BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIV
E
27
NAPOLI

(XXIV - E - 27

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PHILOSOPHIA
PRACTICA
UNIVERSALIS
METHODO SCIENTIFICA PERTRACTATA.

PARS PRIOR

THEORIAM COMPLECTENS,

QUA OMNIS

ACTIONUM HUMANARUM

DIFFERENTIA,


OMNISQUE JURIS AC OBLIGATIONUM OMNIUM
PRINCIPIA A PRIORI DEMONSTRANTUR,

AUCTORE

CHRISTIANO WOLFIO,

POTENTISSIMI SUECORUM REGIS, HASSIÆ LANDGRAVII CONSILIARIO REGIMINIS, MATHEMATUM AC PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PRIMARIO IN ACADEMIA MARBURGENSI, PROFESSORE PETROPOLITANO HONORARIO ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM PARISINÆ, SOCIETATUMQUE REGIARUM BRITANNICÆ ATQUE BORUSSICÆ MEMBRO.

EDITIO NOVISSIMA EMENDATIOR.



VERONÆ MDCCXXXIX.

TYPIS DIONYSII RAMANZINI BIBLIOPOLÆ APUD S. THOMAM.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOSEPHO DOMINICO
SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ
CARDINALI AMPLISSIMO,
EXEMTÆ ECCLESIÆ PATAVIENSIS
EPISCOPO ET S. R. I. PRINCIPI, COMITI DE LAMBERG &c.

SUb id fere tempus, CELSISSIME PRINCEPS, quo plura ex iis volumina conquirendi nobis cupido inceſſit, quorum in primis ſubſidio doctrina omnis, præſertim philoſophica, amplior in dies fit atque illuſtrior; id commode factum eſt, ut Chriſtianus Wolfius, noviſſimum, forte etiam maximum, Germaniæ veſtræ decus, de Philoſophico, quem etiamnum adornat, Curſu cum ejus Scientiæ ſtudioſis communicando laudabiliter cogitaret: nec diu poſt, utiliſſimum Reipublicæ litterariæ conſilium exſequi cœpiſſe audivimus. Tanti viri nomen inter noſtrates

Digitized by Google

tes quoque jamdiu ante claruerat: neque nobis, qui ſæpius maximaque animi attentione ejus Elementa univerſæ Matheſeos *evoluimus; poſt ejuſmodi experimentum, incertum eſſe amplius poterat, vel ſi fama ſiluiſſet, ab eodem Auctore eademque methodo elaboratum opus, quidquid a Philoſophiæ incunabulis ad hæc uſque tempora Veterum omnium ac Recentiorum meditatione atque induſtria perfectum eſt; longo intervallo poſt ſe relicturum. Delatos, ſtatim ac prelo evaſiſſent, priores tomos avide arripuimus ac diligenter excuſſimus, eoſque exſpectationem noſtram non æquare tantum, ſed etiam vincere, experientia comperimus. Hic autem pro ea, quæ nobis jampridem inſederat, bene de Philoſophiæ potiſſimum cultoribus merendi cupiditate compelli nos ſenſimus, ut eos libros alioſque deinceps ad totius uſque operis complementum, ubi ſinguli e Germania ad nos perveniſſent;* πρὸς τὰς τυποθέτας *quantocyus ferre in animum induceremus, quo poſſet per multiplicata ope artis* ἀπόγραφα *tantæ tam frugiferarum notionum ſeges latius faciliuſque ſpargi ac diſſeminari. Multum quidem laboris ſubeundum eſſe, plus ſatis apertum erat, ex quo innumera prope menda conſpeximus, quæ in priori editione irrepſerant, eaque ſæpe legentis progreſſus uſque adeo remorantia, ut patientiam non raro vincere, multoſque a lectione viderentur poſſe abſterrere: cujus præcipue ſunt generis, quæ in numeris occurrunt antecedentia loca indicantibus, unde decreti cujuſque veritas Wolfiano ac Mathematicorum more evidentiam ſumit. Omnia nihilominus perferre maluimus, quam officium defugere tantum utilitatis orbi allaturum. Quædam etiam aliquando clariora, aliquando elaboratiora deſideravimus: limam interea noſtram adhibere vix audebamus. Sed cum Auctore commercio litterarum fidenter inito, atque ejus humanitatem animique modeſtiam cum ſcientia certare, ipſa re, ut vaticinati eramus, edoctis, huic quoque incommodo certa via occurrendi facultas fuit. Tantum ſcilicet vir maximus (quod ejus laudum, non gloriæ nobis aucupandæ cauſſa com-*

me-

Digitized by Google

memoramus) non dedignatus eſt epiſtolis noſtris deferre, tantum deſiderio ac petitionibus indulgere; ut & ad non nulla expolienda ſe ſe ipſe demitteret, & eadem in re opellam aliquando noſtram non gravaretur impenſam. Sic porro accuratius editis tomis ſingulis, quos ita, ut dictum eſt, ut primum evulgati eſſent, per vices accepimus; gratos ſibi conatus noſtros ac diligentiam fuiſſe, verbis diſertiſſimis aliiſque ſignificationibus patefecit. Itaque nobiſmet ipſis magnopere gratulantes, cœptum opus eo proſecuti ſumus alacrius. Pari cura novam Wolfianæ Matheſeos editionem nuper aggreſſi ſumus: cujus priorem tomum non ſine quibuſdam neceſſariis per nos flagitatis atque ab eo libenter ſuppeditatis illuſtrationibus, non nullis præter hæc noſtris eidem non improbatis, commodiore propter figuras ſuis quaſque locis appoſitas, & ubicumque ad rem faciunt, oculis objectas forma propediem proferemus in lucem.

Ampliſſimi autem atque incomparabilis Philoſophici Curſus octavum tomum, quem, ſuperioribus licet menſibus e prelo exemtum, præter morem apud nos hactenus detinuimus; hiſce ipſis diebus emittimus. O lapillo candidiſſimo dies notandi! Non ea profecto, quæ meditate & conſulto fiunt, Præſul Eminentiſſime, ſortiri aeque felices exitus conſueverunt. Romam Te adire oportuit, intermiſſoque paulliſper itinere, hac in urbe dies aliquot commorantem, omnium oculos ac mentes, quod ubique Tuo nomine actibuſque ſoles, in Te convertere, tum permovere, ut, quo poſſet quiſque propius, majeſtate Tui vultus & eloquii ſuavitate fruiturus, ſuæque ſimul obſervantiæ ſigna demiſſiſſime atque ſubjectiſſime exhibiturus accederet. Jamdiu vero inter nos ſermones de Te gratiſſimi cædebantur, ex quo præſertim meritorum æquiſſimus æſtimator, Sanctiſſimus Te Eccleſiæ Antiſtes Purpuratos inter Patres adſcripſit, & volupe erat iterum iterumque luſtrare oculis illa præ ceteris teſtimonia locupletiſſima, quæ noſtrum cuilibet præſto ſunt, quippe quibus maxima pars conſtat epiſtolæ, quam ſcitiſſimus ille vir, & a candore non minus animi quam a doctrina clariſſimus,

Lu-

Digitized by Google

Ludovicus Antonius Muratorius ad Te perſcripſit, aureoque præfixit libro, quem contra Burneti pernicioſas nugas exaravit, ac non ita pridem in urbe noſtra primum typis excudi voluit, de Paradiſo. Sic ergo affectis animis & comparatis, quid accidere commodius poterat, quam ut tam facilis ad Te aditus aperiretur eo prorſus tempore, quo munus in promtu eſſet ejus generis, quo maxime delectaris, certa propterea veniæ ſpe deferendum, certumque & cultus noſtri & obſequii futurum omnibus argumentum?

Sed obliti videamur vetus proverbium, quo actum vetamur agere, ſi explicare cauſſas nitimur, cur hac nos Tibi addictiſſimos probandi occaſione oblata tantopere gaudeamus. Fecit enim jamdudum, Celſiſſime Princeps, tuus, fecit Majorum tuorum ſplendor, ut nemini non ſint perſpicua. Quæ tanta lux, tamque late diffuſa id etiam præſtitit, ut ne tuas tuæque Gentis, ac præcipue Eminentiſſimi Cardinalis Patrui tui Joannis Philippi ejuſdem antehac nobiliſſimæ urbis & ampliſſimæ diœceſeos Epiſcopi, quem ad unguem referre perpetuo ſtuduiſti; laudes enumerandi onus imbecillitati noſtræ ſuſcipere neceſſum, atque adeo neque conſultum foret. Hæc plane eorum omnium ſententia futura eſt, quotquot viderunt, quam lato calamo præclariſſima hujus geſta in priore SACRÆ GERMANIÆ *tomo eruditiſſimus ac diſertiſſimus Hiſtoricus ſit perſecutus, quam diligenter deinde collegerit, quæcumque ad eam, qua opus vulgavit, diem Tute egeris, quæ, quamque aperta atque inſignia probitatis atque in Deum pietatis indicia, quæ ſummæ eruditionis, atque in litteras & litterarum cultores amoris, quæ diligentiæ, induſtriæ, ac ſedulitatis ſpecimina in propaganda non tam aliorum quam tuo ipſius ore Evangelii doctrina, ac vitæ morumque honeſtate & animorum perfectione in clero atque in populo procuranda, quæ prudentiæ, & ſollertiæ, fortitudinis & conſtantiæ in juribus, ſive Eccleſiæ tuæ ſive Principatus, tuendis, quæ denique virtutum*

omni-

Digitized by Google

omnium in utroque explendo, tum Principis tum Dominicarum ovium Paſtoris, munere exempla ediderís, hæcque omnia numquam interituris commendaverit monumentis, intentis nihilominus exinde in Te ſemper oculis, ut, quæ porro ſimilia præſtare pergis; iis aliquando contexta uberrimæ ceteroqui hiſtoriæ mantiſſa, haud ſane decore ac fructu impar, accedat. Quibus proinde adſentientibus, tentando tam difficili vado ſuperſedere fas arbitramur, & quæ loquendo tractare convenienter non poſſumus; melius prætereunda ſilentio.

Neque illud animos dejicit, aut alacritatem, qua eoſdem ſumſimus, aut, qua perfuſi accedimus, lætitiam minuit, quod tenue, ſi dignitas tua ſpectetur, munuſculum oblatus codex videri fortaſſis queat. Quid enim Te dignum penitus aut proferre ipſi, aut certe indicare uſpiam poſſent, ſi qui eſſent, qui hujuſce nos auſus reos agere cogitarent? Nos Te nobis ante oculos, non ſolum quantus, ſed etiam qualis es, propoſuimus, atque ita, quidquid ab amplitudine trepidationis incutiebatur; clementiæ ac benignitatis intuitu diſpulſum eſt. Novimus præterea, quidquid doctrinæ provehendæ ac perficiendæ aptum ſit, id ceteris Tibi rebus omnibus pretioſius eſſe. Hic autem locus eſt, unde magis adhuc fiducia, nec immerito ſane, erigimur. Tibi namque volumen ſiſtimus, quo, niſi turpiter alucinamur, illud ad ſe proprio jure pertinere Wolfius oſtendit, quod de Homero cecinerat Lyricorum inter Latinos Princeps: *

Qui quid ſit pulcrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chryſippo & Crantore dicit:

neque id dumtaxat, ſed illis inſuper, quicumque ab omni ævo, toto plaudente orbe, de moribus Philoſophi diſputarunt; palmam ſe ſe omnibus abſtuliſſe. Ad hæc, quæ hoc in libro Wolfius enucleat; rationibus conducunt tuis & conatibus obſecundant, qui nullum non moves lapidem, ut mores hominum videas optime conſtitutos. Non e ſacris quidem fontibus, deliciis tuis, ea ſunt hau- *ſta,*

* Epiſt. 2. lib. 1.

ſta, quæ lectoribus hic propinantur: verumtamen & ad eos adeundos ſæpius incitare, & ad divinos latices excipiendum animos comparare, nemo ibit inficias. Neque vero non loci quamplures ſunt, in quibus mentes una cum naturæ lumine Divinum quoque Scripturarum lumen illuſtrat, quodque ſibi peculiare eſt, ſacris ignibus præterea accendit, &, quo Tu optas, ad cæleſtia meditanda ac diligenda evehit, dehinc etiam ad promerenda rectis piiſque actibus aptas efficit. Itaque hoc Tibi volumine nuncupato, nihil pœnitendum feciſſe nos arbitramur: contra potius eo & gaudemus & gloriamur adductos, quo perſpectum nobis ſtudium tuum atque indoles invitavit, allexit.

Non alias profecto cauſſas fuiſſe compertum eſt, cur ipſum hunc librum, cum primum lucem adſpexit Lipſienſibus typis editus; ſummo, ut ceteris dotibus, ita & ſapientia viro Melchiori de Polignac Cardinali Eminentiſſimo, & vigilantiſſimo Eccleſiæ Auſcitanæ Archiepiſcopo, fulgidiſſimo Galliarum ornamento, humaniſſime annuenti ab ipſo Auctore inſcriptum, tanto decore inſignem contigerit apparere. Cum hoc dum Tu conſenſionem tuam publice teſtaris, qui eumdem librum benigne amplecteris, atque in fidem tuam recipis; prodit ille rurſus, nomina duo felici omine in fronte præferens, quæ omnibus victura & claritura ſæculis, ipſi & vitam & claritatem tribuant nullis temporum injuriis obnoxiam. Nos vero, ſive omnes potius veræ ac ſolidæ Philoſophiæ amatores Tuæ Celſitudini arctiſſimis & adamantinis obſtringis vinculis: quæ nobis eo jucundiora ſunt, quod præterea ipſe Wolfius rem ſuam, ſi umquam alias, a nobis utiliter geri ſentiet, talem ſuæ de recta vivendi ratione doctrinæ Patronum ac vindicem cura noſtra habiturus.

EMI-

Digitized by Google

EMINENTISSIMO CARDINALI
MELCHIORI
DE POLIGNAC,
ARCHIEPISCOPO AUSCITANO,
REGIORUM ORDINUM COMMENDATORI, &c. &c.

ACtionum humanarum theoria in profundo latet, & in abditos animorum receſſus penetrandum, ubi interiorem illarum rationem perſpicere & omnis juris ac obligationis fontes recludere voluerimus, ita ut licitum ab illicito, honeſtum ab inhoneſto, æquum ab iniquo, juſtum ab injuſto, decorum ab indecoro accuratiſſime in omni actionum genere ſeparetur, nec in earum rectitudine quicquam

Digitized by Google

deſideretur. Magnum omnino opus & arduum conor, theoriam iſtam in apricum prolaturus eandemque certis regulis adſtricturus. In Philoſophia practica univerſali ejus fundamentum jacio, quod niſi firmum ac ſtabile fuerit, ſed facta diſcuſſione convellatur, ædificium totum eidem ſuperſtructum collabatur neceſſe eſt. Patere igitur, EMINENTISSIME PRÆSUL, ut TUÆ EMINENTIÆ theoriam tanti momenti humillima & devotiſſima mente offeram, cum nemo in ea examinanda Te poſſit eſſe acutior, nemo etiam ad alios luminibus ſuis juvandum pronior. Ecquis enim eſt, qui neſciat, benignam illam matrem Naturam, quæ Numinis providentiſſimi nutu regitur, in EMINENTIAM TUAM uberrima manu contuliſſe, quicquid eximii ad ornandum genus humanum habet, & Te indefeſſo ſtudio addidiſſe, quicquid ab humana induſtria proficiſci poteſt? Forma imperatoria, vultus majeſtas, oris ſuavitas, eloquii potentis virtus, converſationis amœnitas etiam invitos ad ſe oculos deflectit, & Te intuentium animos veluti extra ſe rapit. Nemini mortalium major eſt, quam EMINENTIÆ TUÆ ſcientiarum & omnis generis eruditionis amor. Qui ſcientias & bonas literas tantopere amat, maximam ex iis percipit voluptatem: eam vero percipere nequit, niſi qui intime perſpicit, quid in iis pulchri ſit, quid divini. Ex eo igitur ſolo abunde intelligi poterat, quanta Tibi ſit rerum ſublimium ſcientia, quanta elegantiorum literarum copia, niſi alia proſtarent luculentiſſima documenta. Academia Regia Scientiarum, Judex in iis, quæ ſcientiarum ſunt, maxime competens, Te ornamento ſuo ſuperbit. Tua in conventibus aſſiduitas, animi Tui ad ea, quæ dicuntur, attentio abunde loquitur, quanto EMINENTIÆ TUÆ in pretio ſint ſcientiæ. Neque vero ſolum Academia Scientiarum, verum etiam Academia elegantio-

rum

Digitized by Google

rum literarum & Academia Gallica Te ſuum eſſe voluit; & Tu tam dignitate, quam meritis Eminentiſſimus earum voluntati gratioſe annuiſti, & qualem Te in Academia Scientiarum, eundem etiam in Academiis elegantiorum literarum & Gallica probas. Syſtema impium Epicuri, quod verſibus exornatum a Lucretio plurimorum animos pervertit, verſibus Latinis, quas Virgilius ſuos eſſe mallet, tanta ingenii felicitate, tanta mentis acie deſtruxiſti, ut, quotquot vel fando innotuit opus illuſtre & omnem ætatem laturum, ii nihil magis in votis habeant, quam ut in publicas proſtet utilitates. Inprimis etiam rerum civilium prudentia ſumma emines, ut quemadmodum in ceteris, ita etiam in ea maximo Tuo merito ſummus habearis. Neque enim alia ratio eſt, cur Ludovicus XIV, nomine & re Magnus, EMINENTIAM TUAM negotiis quam maxime arduis in ſummis Europæ aulis perficiendis præfecerit. Sane cum de pace Europæ ſtabilienda in Ultrajectenſi conventu agendum eſſet, Tibi Roma evocato, ubi rebus Galliæ providebas, Legationis obeundæ munus demandavit, quo nemo Te rectius fungi poterat. Inter graviſſimas tamen regii miniſterii curas nunquam depoſuiſti animum ſcientias & bonas literas promovendi. Munificentiam EMINENTIÆ TUÆ deprædicabunt ſeri nepotes, qua Romæ ſumtus neceſſarios ad uſum teleſcopii palmos centum & quadraginta longi in contemplandis Planetarum faciebus adhibendi ſubminiſtraſti, eidemque acceptum ferendum, quod indefeſſis obſervationibus Illuſtris nuper Aſtronomi Franciſci Blanchini facies Veneris antehac nobis ignota tanta accuratione innotuerit, quanta in depingenda facie Lunæ uſi ſunt Aſtronomi ævi recentioris. Ego me laudibus EMINENTIÆ TUÆ cenſendis longe imparem ſentio, nec mea eædem indigent commendatione. Operi potius meo, quod molior, omne

Digitized by Google

accedet decus omniſque auctoritas, ſi EMINENTIA TUA gratioſo vultu fundamentum ejus reſpicere voluerit. Servet Te Deus, PRÆSUL EMINENTISSIME, Neſtoreis annis dignum, per plurima adhuc luſtra! Ita vovet

EMINENTIÆ TUÆ

Cliens humillimus

CHRISTIANUS WOLFIUS.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

AMpliſſimum ingredimur campum, dum Philoſophiam practicam univerſam ad certitudinem evehere conamur. Actionum enim humanarum tanta eſt varietas & eadem actio pro diverſitate circumſtantiarum inſtar Vertumni toties ſpeciem mutat, imo in eandem actionem tam multiplices facultates animæ, tot actiones & paſſiones præteritæ influunt, ut ubi ſingula accurate diſcutere volueris, maxima demonſtrandorum ſeges proveniat. Neque hic ſufficit omnem actionum humanarum indolem intime ac penitus perſpexiſſe: docendum etiam eſt, quomodo habitus agendi alii acquirantur, alii vitentur &, ubi acquiſiti fuerint, alii conſerventur ac perficiantur, alii vero dediſcantur. Ob agendi libertatem homini multiplicia competunt jura, nec minus multiplices in eum cadunt obligationes, quibus ſatisfacere tenetur, niſi cenſuram meritam incurrere velit. Non levi opus eſt acumine in iis, quæ hic diverſa ſunt, a ſe invicem ſeparandis, ne difficultatibus inextricabilibus immergaris, nec in errores incidas nullibi magis quam hic nocivos. Horum omnium æterna ac immutabilis veritas eſt, ut ſingula eundem ferant demonſtrandi rigorem, quem ſibi hactenus proprium vindicavit numerorum & magnitudinum ſcientia, quæ excelſa ingenia in partes ſuas pertraxit evidentia ſua. Equidem non defuere, qui ſaltem theoriam actionum humanarum demonſtrationis legibus ſubjici poſſe agnoverunt, quos inter LOCKIUM & ipſi aſſentientem LEIBNITIUM nominaſſe ſufficiat: nemo tamen hactenus auſus eſt adire Corinthum. Cum nobis propoſuerimus philoſophiam univerſam methodo demonſtrativa pertractare, noſtrum quoque eſt philoſophiæ practicæ humano generi longe utiliſſimæ eandem operam impendere. Habet autem philoſophia practica principia quædam generalia, ſive theoriam, ſive praxin ſpectes, unde cetera deducuntur. Hæc igitur primo loco evolvenda fuerunt, antequam

ad

Digitized by Google

ad cetera progredi datur. Telam iſtam pertexere duximus in Philoſophia practica univerſali, cujus nunc prodit pars prior theoriam complexa. Fæcunda in ea ſparguntur ſemina, quæ lætam ſegetem, meſſem uberrimam in ſequentibus promittunt. In actionum humanarum differentiam ſollicite inquirimus, ut interior earum ratio pateſcat. Ampliorem demonſtramus libertatis in actiones humanas influxum, quam vulgo agnoſcitur, præſertim quoad uſum facultatum inferiorum & operationes intellectus. Etſi enim facultates inferiores homini cum brutis communes ſint, in earum tamen uſum facultates ſuperiores influunt, ita ut earum actus aliam prorſus induant ſpeciem quam in brutis habent. Et quamvis operationes intellectus immutabilibus ſubjaceant legibus, quas homo violare neſcit; a libertate tamen animæ, ſi uſum earundem ſpectes, dependent. Influxum iſtum & hanc dependentiam vi principiorum pſychologicorum clariſſime evicimus, ne quid relinqueretur obſcuri, quod evidentiæ obeſſe poſſit aſſenſum acutiſſime cogitantium extorquendum requiſitæ. Pudeat igitur calumniatorem inſulſiſſimum indeſinenter vociferantem, nos ab omnibus actionibus humanis libertatis uſum removere & animum in agendo cæci fati legibus inviolabilibus ſubjicere, omnemque moralitatem funditus evertere, niſi frontem dudum perfricuerit omnemque pudorem poſuerit, nec amplius glorietur, quod apud hebetiores atque eos, qui nonniſi alienis oculis vident, facilem reperiat fidem, ſi ſero ſapere faſtus ridiculus permittit. Moralitatem intrinſecam actionum profundius ſcrutamur, quam hactenus fieri ſuevit. Etſi omni tempore agnita fuerit, donec noſtra ætate a nonnullis in dubium vocata; intus tamen nondum apparuit, præcluſo arcanorum penetralium aditu. Deſiderata fuit perfectionis notio diſtincta, nec hominis perfectio eſſentialis expenſa: unde latuit perfectio accidentalis uſu facultatum, quatenus a libertate animæ dependet, obtinenda, ut mens humana divinæ æmula fiat. Quodſi quis ægre ferat, ex ſubtilitatibus metaphyſicis erui ea, quæ ad ipſius vulgi eſſe debent palatum, & planiorem deſideret viam nemini non calcandam; ei reſpondemus, quod olim reſpondebat EUCLIDES, cum Elementa ſua edidiſſet, PTOLOMÆO percontanti, annon planior daretur ad hæc via, non dari viam regiam ad ſcientiam. Neque enim hæc vulgo imperito ſcribuntur; nec iis, qui in moralibus haud altius vulgo ſapiunt; ſed his, quorum auctoritate & vulgus & qui eodem non altius ſapiunt, ſtare tenentur. Non deerunt alii, qui, ut juventuti humi repere, quam altius ſe a terra tollere malenti placeant, curabunt ne deſidia efficiantur ſtudii utiliſſimi deſertores: quod ut ſtudioſe ac diligenter curent, ſubtilitatibus noſtris conſequentur. Inprimis autem notionem rectitudinis actionum evolvimus, ut quid rectum ſit intelligatur, cum ſine ea ardua de culpa doctrina luce ſua careat, nec ſuum virtuti conſtet decus:

cus:

Digitized by Google

cus: etſi enim de eo, quod rectum eſt, judicent omnes, nemo tamen, quid ſit rectum, cogitat, quaſi recte agere poſſit, qui quid rectum ſit ignorat. Legem naturæ cum jure ac obligatione naturali ex ipſa hominis rerumque eſſentia derivamus, eidemque omnem tribuimus amplitudinem, quam habere poteſt, ita ut nulla omnino ſit actio, quæ ſufficienter determinata eam normam non agnoſcat. Intra limites nimis anguſtos coarctata hactenus fuit lex, quæ nullis limitibus ſeſe coerceri patitur. Leges poſitivæ ex naturali fiunt, ſuoque dabimus loco theoriam naturalem legum civilium, & poſitivarum quarumcunque in genere, ex ipſis juris naturalis principiis deductam, ut certa proſtet legum poſitivarum norma. Ita vero apparebit, Legem naturæ in cenſendis civilibus Judicis munere defungi, nec ſine illa de harum rectitudine conſtare poſſe. Theoriæ iſtius aliquid pervidit ULPIANUS (a), dum *Jus Civile*, inquit, *neque in totum a naturali, vel gentium recedit, nec per omnia ei ſervit. Itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus juri communi, jus proprium, id eſt, civile efficimus.* Enimvero nemo hactenus repertus eſt, qui animum ad eam adverteret, etſi non poſtrema pars Juris naturalis exiſtimari debeat, nec ſine ea Jus Gentium arbitrarium, quod vulgo vocatur, & perperam a nonnullis hodie in dubitationem adductum fuit, determinari queat. Nemo non agnoſcit, rectum, æquum, juſtum, honeſtum decorum, & ex adverſo malum, non rectum, iniquum, injuſtum, inhoneſtum, indecorum a ſe invicem differre: nemo autem dedit notiones horum omnium ſatis diſtinctas, per quas eorum diſcrimina appareant. Cum lex naturæ de his omnibus pronuntiet; noſtrum quoque fuit, determinatis notionibus ſingula a ſe invicem ſeparare, ne ulla unquam metuenda ſit confuſio. Etſi autem tam late patentem naturæ legem ipſa natura conſtitutam demonſtremus, ut ne Atheus quidem eam in dubium vocare poſſit; hoc tamen non obſtante evincimus, Deum eſſe ejus auctorem, & non modo obligationem naturalem eam ſervandi a Deo eſſe, utut rationem ſufficientem in ipſa hominis eſſentia atque natura habeat; verum etiam Numen optimum poſitivam quandam obligationem per ipſam naturam rerum introduxiſſe, ut ea præmia & pœnas diſpenſet voluntati divinæ convenienter. Sæpius idem agendo habitus agendi contrahuntur: unde in animis hominum naſcuntur virtutes & vitia, & ſic vel aliter agentes aut fiunt beati & felices, aut miſeri & infelices. Patet igitur ratio, cur theoriam quoque generalem virtutis ac vitii, beatitudinis, ſeu ſummi boni & mali ſummi, cui obnoxius fieri poteſt, felicitatis denique ac infelicitatis tradere a noſtro inſtituto non fuerit alienum. Maximum homini ad felicitatem præſidium eſt conſcientia recta & bona. Quamobrem de ea amplam inſtituimus tractationem, ne quid in argumento tanti momenti deſiderari poſſit. Multa de conſcientia loquuntur tantum non omnes, ſed quæ

(a) *l. 5. ff. de Juſt. & Jure.*

Digitized by Google

quæ non ſatis intelligunt. Quid ſubſit veri diſtincte explicamus, ut imaginarium ab eo, quod intelligi poteſt, ſeparetur, nec qui acumen ſuum aliorum hebetudine metiuntur non ſine præſentiſſimo damno terminis inanibus accenſeant, quos rebus ſcitu apprime neceſſariis ſignificandis deſtinatos agnoſcere tenebantur. Doctrinam enucleatam iis profuturam confidimus, qui aliorum conſcientiæ præſunt, præſertim ubi praxis acceſſerit, quam Tomo alteri reſervamus. Inter difficillimæ ſcientiæ moralis capita referendum iſtud, quod de imputatione & culpa tractat, neglectum fere a Philoſophis & Juris Interpretibus relictum. Hi vero cum quod civile eſt ab eo, quod naturale, non diſtinguant, & ne illud quidem caute diſcernant, perparum proferunt, quod ad philoſophiam aliquod afferat adjumentum: imo ne ſuis quidem ſatisfaciunt, qui emunctioris ſunt naris. Noſtrum igitur eſſe exiſtimavimus notiones tradere fœcundas, ne in re ardua ſcituque maxime neceſſaria cæcutiamus. Quemadmodum vero a libertate dependet omnis imputatio actionum, & dolus atque culpa defectum rectitudinis earundem arguunt; ita nobis ad hæc diligentiſſime rimanda haud parum profuerunt ea, quæ de influxu libertatis in uſum facultatum animæ & de actionum humanarum rectitudine ſtatim ab initio tradidimus. Qui naturæ legem arctioribus limitibus coercent, quam par erat, nec omni libertatis in uſum facultatum noſtrarum influxui attendunt; imputationi quoque non omnem ſuam tribuunt amplitudinem, ipſis licet communibus notionibus reclamantibus: vulgus enim haud raro acutius videt peritis, quorum mentem notiones parum limatæ obtundunt. Nos multiplici experimento edocti, quid notionibus iſtis inſit, nec eam ſpernimus lucem, quam accuratior ipſarum evolutio menti effundit, probe memores, ſæpe etiam olitorem valde opportuna eſſe locutum. Nulli igitur dubitamus fore, ut noſtris perſpicillis uſus circumſpectum ferat de actionibus imputandis judicium. Plurimum refert ab omni culpæ ſenſu vacuum poſſidere animum. Quamobrem culpam accurata diſcuſſione dignam judicavimus, & quæ pro ſynonymis vulgo habentur notionibus determinatis a ſe invicem diſcrevimus, quarum fœcunditatem experientur, quotquot earum uſum fecerint. Ceterum quod nuper commendavimus Metaphyſicæ ſtudium, cum eidem colophonem imponeremus, idem denuo commendamus omnibus, qui in Philoſophia practica ſine remora progredi ac celerrime proficere voluerint. Dabam Marburgi Cattorum d. 10. Aprilis A. 1738.

PHI-

Digitized by Google

PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ
UNIVERSALIS
PROLEGOMENA.

§. 1.

Scientia affectiva eſt ſcientia voluntatem & noluntatem ad actus ſuos determinandi. *Scientia affectiva quænam dicatur.*

Nimirum dantur rationes actuum volitionis & nolitionis (§. 70 *Ontol.*). Quoniam in philoſophia ratio reddenda eſt, cur poſſibilia actum conſequantur (§. 31 *Diſc. prælim.*); in philoſophia quoque exponendæ ſunt rationes, per quas voluntas & noluntas ad actus ſuos determinatur. Et quoniam ſcientia conſiſtit in habitu aſſerta ſua demonſtrandi (§. 30 *Diſc. prælim.*); non ſufficit recenſuiſſe rationes determinantes voluntatis atque noluntatis, verum etiam demonſtrandum eſt per eas voluntatem & noluntatem ad actus ſuos determinari. Ea igitur philoſophiæ pars, in qua demonſtrationes iſtæ occurrunt, per ſcientiam affectivam definienda.

§. 2.

Scientia practica eſt ſcientia locomotivam facultatem vel etiam cognoſcitivam determinandi ad actus externos vel internos voluntati & noluntati conformiter exequendos vel omittendos. *Scientia practica quænam dicatur.*

Quoniam agimus, quod volumus, & omittimus, quod nolumus; facultas locomotiva, quatenus ab anima pendet, itemque facultas cognoſcitiva determinari videtur per ſolum voluntatis & noluntatis actum, adeoque eam determinandi ſcientiam peculiarem nullam eſſe, forſan colligent nonnulli. Enimvero hi erunt, qui mente non ſatis attenta ea, quæ agunt, expendunt. Etenim nunc deliberandum eſt de mediis, ut propoſitum exequamur: nunc ſeſe offerunt impedimenta, quæ executioni mediorum obſtant, & diſpiciendum, quomodo removeantur. Atque adeo patet, non ſufficere ut norimus, quid ſit agendum, atque idem agere velimus, vel nolimus; ſed requiri præterea, ut conſtet, quomodo quid ſit agendum, & qua ratione impedimentis occuratur. Ad praxin adeo plura requiruntur quam rationes voluntatem & noluntatem ad actus ſuos determinantes.

§. 3.

Philoſophia practica univerſalis eſt ſcientia affectiva practica dirigendi actiones liberas per regulas generaliſſimas. *Philoſophia practica*

Digitized by Google

univerſalis quid ſit.

Hanc definitionem jam tradidimus in Diſcurſu præliminari de philoſophia in genere; quam Logicæ præmiſimus (§. 70). Nimirum Philoſophia practica varias complectitur diſciplinas, nimirum Jus Naturæ & Gentium, Ethicam ſive Philoſophiam moralem, œconomicam atque Politicam ſive Philoſophiam Civilem (§. 64 & ſeqq. *Diſc. prælim.*). Dantur autem non minus theoriæ, quam praxeos principia generalia, quorum uſus per omnes iſtas diſciplinas extenditur. Quodſi ergo Philoſophiam practicam methodo demonſtrativa tradere volueris; principia iſta generalia præmittenda ſunt (§. 134 *Diſc. prælim.*). Patet igitur ratio, cur Philoſophia practica univerſalis condenda fuerit, in qua principia illa generalia explicantur & demonſtrantur. Cur vero hanc Philoſophiæ partem definiamus per ſcientiam affectivam practicam, patet ex definitionibus, quas modo præmiſimus (§. 1. 2).

§. 4.

Cur in Philoſophia practica univerſali requirantur demonſtrationes.

Quæ in philoſophia practica univerſali traduntur, demonſtranda ſunt. Philoſophia practica univerſalis ſcientia eſſe debet (§. 3). Quamobrem cum ſcientia ſit habitus demonſtrandi, quod affirmamus, vel negamus (§. 594 *Log.*); quæ in philoſophia practica univerſali traduntur, demonſtranda utique ſunt.

Hæc ita conſequuntur, ſi ſumamus philoſophiam practicam univerſalem ſcientiam eſſe debere. Num recte ſumatur, patebit ex propoſitione ſequente. An vero ſumatur, quod in ſe non repugnat, & num in poteſtate noſtra poſitum ſit dare demonſtrationes eorum, quæ in Philoſophia practica doceri debent, ex ipſa tractatione dijudicandum.

§. 5.

Cur Philoſophia practica univerſalis ſcientia eſſe debeat.

Qui Philoſophiæ practicæ univerſali ſtudet, certam de principiis generalibus dirigendarum actionum liberarum cognitionem acquirit. Qui enim philoſophiæ practicæ univerſali ſtudet, is regulas generaliſſimas dirigendi actiones liberas, ſeu, quod perinde, eſt principia generalia dirigendarum actionum liberarum ſibi cognita atque perſpecta reddit (§. 3), & quia in eadem demonſtranda ſunt, quæ traduntur (§. 4), eadem demonſtrare diſcit. Enimvero propoſitio nobis certa eſt, quam ſive directe, ſive indirecte demonſtrare valemus (§. 568 *Log.*). Quamobrem qui philoſophiæ practicæ univerſali ſtudet, certam de principiis generalibus dirigendi actiones liberas cognitionem acquirit.

Patet adeo ratio, cur in definitione philoſophiæ practicæ univerſalis ſumatur, eam ſcientiam eſſe debere. Certam enim actionum dirigendarum cognitionem intendimus. Quoniam itaque ſine demonſtratione non datur certa eorum, quæ ſub ſenſum minime cadunt, cognitio (§. 567. 568 *Log.*); generalia dirigendarum actionum liberarum principia utique demonſtranda veniunt. Non igitur eſt, quod dubitemus, in definienda Philoſophia practica univerſali recte ſumi, quod ſit ſcientia. Quodſi excipias, actionum liberarum directionem pertinere ad omnes omnino homines, ad quorum tamen captum compoſitæ non ſunt demonſtrationes; haud difficilis eſt reſponſio. Philoſophiæ enim univerſæ, adeoque & practicæ univerſalis, ſyſtema methodo demonſtrativa conditur non vulgi gratia, neque etiam eorum gratia, qui hebetiores ſunt, quam ut demonſtrationes capere poſſint. Conſulendum eſt ceteris, qui certa ab incertis diſtinguere valent: hebetioribus autem, qui ab acutiorum auctoritate pendent, ſatisfacit cognitio minus exaſciata.

§. 6.

Cur principia Juris naturalis in

In Philoſophia practica univerſali tradenda ſunt principia Juris naturalis: Etenim ex philoſophia practica univerſali addiſcere debemus principia generalia dirigendarum actionum liberarum (§. 5). Quamobrem cum Jus naturæ actiones bonas atque malas a ſe invicem ſeparet (§. 68 *Diſc. prælim.*),

Digitized by Google

prælim.), adeoque actionum liberarum diſcrimen exponat; quin in philoſophia practica univerſali tradenda ſint Juris naturalis principia, dubitari nequit.

Nimirum qui actiones ſuas liberas rite determinare debet, is noſſe tenetur, quænam ſint bonæ, quænam vero malæ, ne ſpecie boni vel mali decipiatur. Generalia igitur principia, ex quibus actionum liberarum differentia deducitur, cognoſcat neceſſe eſt. Quamobrem cum principia dirigendarum actionum liberarum ex philoſophia practica univerſali haurire debeat; in eadem utique tradenda ſunt. Enimvero hæc ipſa principia Juris naturalis principia ſunt. Quamobrem in philoſophia practica univerſali tradenda ſunt Juris naturalis principia. Suo loco conſtabit, Jus omne reliquum ex Jure naturali tanquam fonte profluere. Atque tum clariſſime eluceſcet, in philoſophia practica univerſali omnis Juris principia recte ſtabiliri. Nimirum demonſtranda in eadem eſt Juris reliqui omnis dependentia a Jure naturali, ut diverſitatis Jurium ratio pateat.

Philoſophia practica univerſali tradenda.

§. 7.

In Philoſophia practica univerſali tradi debet generalis theoria motivorum actionum committendarum & omittendarum. Etenim philoſophia practica univerſalis ſcientia affectiva eſſe debet (*§.3*). Quamobrem cum ſcientia affectiva ſit, quæ voluntatem & noluntatem ad actus ſuos determinare debet (*§.1*); in philoſophia practica univerſali docendum, quomodo voluntas & noluntas ad actus ſuos determinetur. Enimvero ſine motivis nulla datur in anima volitio, nulla nolitio (*§.889 Pſychol. empir.*). Quoniam itaque determinandarum actionum liberarum principia generalia in philoſophia practica tradenda (*§.3*); quin in eadem quoque theoria generalis motivorum actionum committendarum & omittendarum locum habeat, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt.

Cur theoria motivorum generalis in Philoſophia practica univerſali tradenda.

Ut noris actionem aliquam eſſe bonam, aliam vero malam, non ſufficit ad illas volendum, haſce autem nolendum. Nuda igitur notitia minime ſufficit. Neceſſe adeo eſt, ut, ſi has averſari, illas appetere debeas, illas quoque tibi repræſentes tanquam bonas, haſce vero tanquam malas (§. 891. 892 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum iſta repræſentatio ſit motivum, quo voluntatem flectimus in alterutram contradictionis partem (§. 890 *Pſychol. empir.*); ſi in philoſophia practica univerſali doceri debet modus dirigendi actiones liberas per regulas generaliſſimas, theoria generalis motivorum ex ea exulare minime poteſt.

§. 8.

In Philoſophia practica univerſali tradenda eſt theoria generalis mediorum. Philoſophia enim practica univerſalis ſcientia practica eſt (§. 3). Quoniam itaque ſcientia practica eſt, quæ facultatem locomotivam vel etiam cognoſcitivam determinare docet ad actus externos vel internos voluntati ac noluntati conformiter exequendos vel omittendos (*§.2*); in philoſophia practica univerſali doceri debet modus determinandi facultatem locomotivam vel cognoſcitivam ad actus externos, vel internos, quibus obtinetur, quod volumus, & cavetur, ne fiat, quod nolumus. Enimvero id, propter quod actus externos vel internos edimus, ut ſit vel fiat, vel etiam quod intendimus, ne fiat, finis eſt vel rationem finis habet (*§. 932 Ontol.*) & actus illi, per quos finis obtinetur, quique adeo rationem continent, cur hic actum conſequatur (§. 56 *Ontol.*), media ſunt (§. 937 *Ontol.*). In philoſophia igitur practica univerſali contineri etiam debet mediorum theoria. Tra-

Cur theoria generalis mediorũ in Philoſophia practica univerſali tradenda.

dit autem philoſophia practica nonniſi generaliſſima (§. 3). Quamobrem patet, in philoſophia practica univerſali tradendam eſſe theoriam generalem mediorum.

E. gr. Ponamus te velle amare Deum: non ideo eundem amas, quod amare velis. Præſupponuntur actus alii, quibus amor iſte acquiritur. Intenditur adeo amor tanquam finis, & actus iſti, quibus hic finis obtinetur, ſunt media ad eundem ducentia. Ut igitur amore Dei imbuatur animus, utendum eſt mediis, quibus acquiritur, conſequenter Deum amaturus hæc ignorare nequis. Similiter ponamus te velle vitam honeſte ſuſtentare. Comparandi ergo ſunt ſumtus, in honeſtam vitæ ſuſtentationem faciendi, adeoque utendum eſt mediis, quibus comparantur. Patet adeo vitam honeſte toleraturo perſpecta eſſe debere media, quæ huc faciunt. Philoſophia practica univerſalis in generali actionum committendarum & omittendarum theoria acquieſcit. De mediis igitur etiam nonniſi generatim agit, ultra ea nimirum non progrediens, quæ mediis in caſibus ſpecialibus communia ſunt.

§. 9.

Cur theoria generalis impedimentorũ tollendorum in philoſophia practica univerſali tradenda.

In Philoſophia practica univerſali tradenda eſt impedimentorum tollendorum theoria generalis. Philoſophia enim practica univerſalis ſcientia practica eſt (§. 3). Quamobrem cum in ſcientia practica doceatur modus determinandi locomotivam, vel etiam cognoſcitivam ad actus externos, vel internos voluntati conformiter exequendos, vel omittendos (§. 2), id autem fieri nequeat, niſi impedimentum removeatur, quemadmodum nemo non admittit; in philoſophia etiam practica doceri debet, quænam acturo voluntati conformiter objici queant impedimenta, & quomodo eadem tollantur. Tradit autem philoſophia practica univerſalis nonniſi generalia (§. 3). In ea igitur impedimentorum tollendorum theoria generalis tradenda.

E. gr. Deum amaturus eum cognoſcat neceſſe eſt, ut adeo agnitio Dei ſit medium amoris divini. Cognitioni Numinis operam daturo objici poſſunt varia impedimenta, quæ obſtant quo minus agnoſcatur. Ea igitur tollenda, ſi quidem amoris Dei compos fieri volueris. Philoſophia practica univerſalis de actionibus humanis committendis & omittendis nonniſi generalia tradit, adeoque etiam in generali impedimentorum tollendorum theoria ſubſiſtit, unde ſuo loco theoriæ ſpeciales derivantur. Dabimus in hiſce, quemadmodum in ceteris fidem oculatam, ubi integram philoſophiam practicam in ſyſtema redegerimus.

§. 10.

Cur theoria ſignorum rectitudinis actionum generalis in philoſophia practica univerſali tradenda.

In Philoſophia practica univerſali tradenda eſt theoria generalis ſignorum rectitudinis actionum. Actio recta nulli determinationi eſſentiali, vel attributo contradicere debet (§. 950 *part. I. Theol. nat.*). Quoniam actiones humanæ compoſitæ ſunt ex internis actibus, nempe ex facultate appetendi & averſandi elicitis, atque externis, nimirum motibus, quibus ea exequimur, quæ anima vult & non vult (§ 567 *part. I. Theol. nat.*); ſi rectæ fuerint, tum interna quoad ſingulos actus eam ingredientes, tum externa determinationi nulli eſſentiali vel attributo contradicere debet. Patebit ſuo loco in ſequentibus, hic vero tanquam experimento in ſemetipſo facile comprobandum ſumi poteſt: actio externa etſi rectæ ſpeciem habeat, non tamen ideo internam rectam eſſe, veluti dum quis eleemoſynam largitur, ut videatur ab hominibus, non miſeria miſeri commotus & voluntati divinæ ſatisfacturus. Quare cum externæ quidem in ſenſum incurrant actiones, internæ autem non item,

imo

Digitized by Google

imo cum ipſimet homines, ubi agendi conſuetudinem contraxerunt, non ſatis ſibi conſcii ſint actionum internarum cum externa conjunctarum; neceſſe eſt ut ex aliis, tum quæ in ſenſus incurrunt, tum quæ attentione non difficili in nobismet ipſis advertere licet, actus internos latentes colligamus, ut de rectitudine actionis tam propriæ, quam alienæ judicium ferri poſſit. Quoniam id, ex quo alterius præſentia colligitur, ſignum alterius eſt (§. 952 *Ontol.*); in Philoſophia quoque practica univerſali tradenda eſt theoria generalis ſignorum rectitudinis actionum. Tradit autem Philoſophia practica univerſalis nonniſi generalia (§. 3). In Philoſophia igitur practica univerſali tradenda eſt theoria generalis ſignorum rectitudinis actionum humanarum.

Nimirum ſignis in philoſophia practica opus habemus, ne vel nobiſmet ipſis videamur; qui non ſumus, vel videantur nobis alii, qui non ſunt. Semiotica igitur moralis utilitatis maximæ & pars philoſophiæ practicæ apprime neceſſaria eſt.

§. 11.

Artificia heuriſtica in Philoſophia practica univerſali contenta.

Philoſophia practica univerſalis tradit principia heuriſtica, ſeu artificia inveniendi veritates morales atque politicas. Ex ipſa tractatione hoc abunde eluceſcet, præſertim ubi ſingulæ philoſophiæ practicæ partes in ſyſtema fuerint redactæ.

Nimirum notiones iſtæ univerſales, quibus theoria generalis atque praxis in philoſophia practica univerſali demonſtrata continetur, dirigunt intellectum in veritatibus moralibus atque politicis eruendis, atque adeo ad inveniendum proſunt (§. 461 *Pſychol. empir.*). Atque hinc ſumma Philoſophiæ practicæ univerſalis utilitas elucet.

FINIS PROLEGOMENORUM.

PHILO-

Digitized by Google

PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ UNIVERSALIS

PARS PRIOR

THEORIAM DEMONSTRANS.

CAPUT I.

De Differentia Actionum humanarum.

§. 12.

Actionũ liberarũ & naturalium differentia.

ACtiones tam *animæ*, quam *corporis* dicuntur *naturales* vel *neceſſariæ*, quæ per eſſentiam & naturam animæ & corporis determinantur: *Liberæ* autem appellantur, quæ per eſſentiam & naturam animæ ac corporis non determinantur, ſed a libertate animæ pendent.

Diſcrimen actionum neceſſariarum & liberarum probe attendendum venit, ut intelligatur, quænam actiones homini imputari poſſint & quantum imputandæ veniant; tum etiam ut moralitatis fundamentum actionum liberarum intimius perſpiciatur: unde pendet totum Jus naturæ, quemadmodum ex ſequentibus clariſſime eluceſcet. Ita ſecretio urinæ in renibus eſt actio naturalis, cum a libertate animæ minime dependeat, ſed per ſtructuram renum & naturam corporis determinata ſit, ita ut renes eandem ſecernant, ſive anima velit, ſive nolit, nec ſolo imperio in ſecretione iſta pro arbitrio ſuo quicquam immutare valeat. Aſt ſi manu alterum percutio injuriam mihi factam vindicaturus, & volitio animæ, qua fertur in hunc motum, libera eſt, & motus manus percutientis liber dicitur, quatenus abſque libera volitione non daretur in corpore & per eum deſiderium animæ expletur. Similiter motus cordis actio naturalis eſt, cum per ſtructuram cordis & naturam corporis humani determinetur, ut cor moveatur, ſive homo velit ſive nolit, nec quicquam ſolo imperio in eodem pro arbitrio ſuo immutare poſſit anima. Aſt hauſtus vini actio libera vocatur, quatenus a volitione animæ, quæ libera eſt, dependet, ita ut vinum non biberetur, niſi vellemus.

§. 13.

Digitized by Google

§. 13.

Actus appetitus & averſationis rationalis quod ſint liberi.

Quoniam anima libera eſt in volendo ac nolendo (§. 942 *Pſychol. empir.*); *omnes volitiones & nolitiones animæ*, hoc eſt, *actus omnes appetitus & averſationis rationalis* (§. 882 *Pſychol. empir.*), *ſunt actiones liberæ* (§. 12).

Nimirum actus appetitus & averſationis rationalis per eſſentiam & naturam animæ determinatæ non ſunt (§. 940 *Pſychol. empir.*), ſed rationem ſufficientem in libertate ejuſdem habent (§. 56 *Ontol.* & 941 *Pſychol. empir.*), atque ideo ab eadem dependent (§. 851 *Ontol.*). Et hoc nomine in numerum actionum animæ liberarum recte referuntur (§. 12). E. gr. Si volo cognoſcere Deum, libere hoc volo: etenim dum voluntas fertur in cognitionem Numinis, ferri etiam poterat in cognitionem objecti alterius cujuſcunque, veluti ſi quis Geometra fuerit, in quadraturam alicujus curvæ, vel rectificationem arcus ejuſdem. Libertati adeo animæ tribuendum, quod actus voluntatis ſeu appetitus rationalis potius in cognitionem Numinis, quam cognitionem Quadraturæ curvæ ejuſdem, aut arcus ejus rectificationem determinetur. Ex adverſo ſi nolo Muſicæ addiſcendæ operam dare; libere hoc nolo. Etenim non minus fieri poterat, ut vellem eidem operam dare, quam ut nolim. Anima igitur per eſſentiam & naturam ſuam ad hunc nolitionis actum determinata non eſt; ſed ratio ejus ſufficiens in libertate ejus quærenda, vi cujus potius Muſicam addiſcere nolo, quam volo. Qui libertatem animæ in dubium minime vocat, nihil hic difficultatis deprehendet. Ceteris ſatisfacient, quæ de libertate animæ in nolendo & volendo demonſtrata ſunt (§. 942 *Pſychol. empir.*).

§. 14.

Independentia voluptatis ac tædii ſenſuum a libera voluntate.

Voluptates ac tædia ſenſuum a libera noſtra voluntate minime dependent, ſeu efficere non poſſumus, ut voluptatem potius ex ſenſibili percipiamus, quam tædium, quatenus ſcilicet ſenſu percipitur. Voluptates enim ſenſuum ac tædia eorundem ortum trahunt ex ſenſationibus (§. 552. 553 *Pſychol. empir.*), conſequenter quod tale percipiatur objectum ſenſibile, quale percipitur. Enimvero in ſenſationibus ſuis anima nihil immutare poteſt (§. 78 *Pſychol. empir.*), conſequenter efficere nequit, ut tale non percipiatur, quale percipitur. Quamobrem cum anima libera non ſit, niſi quando ex pluribus poſſibilibus eligit ſponte, quod ipſi placet, ad nullum eorum per eſſentiam determinata (§. 941 *Pſychol. empir.*); in percipiendis voluptatibus ac tædiis ſenſuum libera non eſt, conſequenter per libertatem animæ non intelligitur, cur ex ſenſibili voluptatem potius, quam tædium percipiat, & contra. Quoniam itaque in libertate animæ voluptatis ac tædii ſenſuum ratio non continetur (§. 56 *Ontol.*); nec voluptates ac tædia ſenſuum a libera voluntate pendent (§. 851 *Ontol.*).

Idem confirmatur a poſteriori. Si medicamentum tibi propinatur, in poteſtate tua poſitum non eſt efficere, ut odor ac ſapor ſit potius gratus, quam moleſtus, conſequenter ut ex eo voluptatem potius, quam tædium percipias. Idem experimur de ſono. Similiter quando viſibile primum contueris, veluti faciem hominis tibi nondum viſi, vel imaginem quandam pictam; tui arbitrii non eſt, utrum placere, ac diſplicere debeat, conſequenter num ex eo voluptatem potius, quam tædium percipere malis (§. 542 *Pſychol. empir.*).

Propoſitionem hanc inſtar lemmatis hic præmittimus, non ſolum in uſum demonſtrationis ſequentis; ſed quod eadem quoque in ſequentibus & ſuo tempore in philoſophia morali nobis erit opus. Probe autem notandum eſt, nos ſenſibilia hic non ſpectare niſi quatenus

ſenſu

ſenſu percipiuntur, quemadmodum exigit voluptatis ac tædii ſenſualis perceptio (§ 552. 553 *Pſychol. empir.*). Neque enim negamus, ut alia de cauſa voluptati ſit, quod quatenus ſenſu percipitur tædio eſt: ſed tum voluptas illa ortum minime trahit ex ſenſatione præſente. Et in hoc caſu fieri poſſe, ut voluptas ac moleſtia, quam percipimus, a libera voluntate noſtra dependeat, ultro largimur & ex iis, quæ ſuo loco demonſtrabuntur, patebit ratio, cur fiat. In Moralibus magnum momentum in eo ſitam eſt, ut accurate a ſe invicem diſtinguantur, quæ a voluntate noſtra libera dependent, ab iis, quæ eidem ſubjecta non ſunt, &, ubi ab illa pendent, probe perpendatur, quantum ab eadem pendeant: quod cum ſæpiſſime difficile ſit, niſi in Pſychologia multum fueris verſatus, & ſingulare quoddam acumen tibi comparaveris; quam neceſſarium ſit ſtudium Pſychologicum ad theoriam & praxin moralem accurate tradendam hinc intelligitur.

§. 15.

Appetitiones & averſationes ſenſitivæ quales ſint actiones.

Appetitiones & averſationes ſenſitivæ, in ſe ſpectatæ, non ſunt actiones liberæ; ſed naturales. Etenim appetitiones ſenſitivæ ex perceptione boni confuſa (§. 580 *Pſychol. empir.*); averſationes ſenſitivæ ex perceptione mali confuſa naſcuntur (§. 582 *Pſychol. empir.*). Enimvero quamdiu in notione boni confuſa acquieſcimus, id appetimus, ex quo voluptatem percipimus (§. 591 *Pſychol. empir.*), & quamdiu in notione mali confuſa acquieſcimus, id averſamur, ex quo tædium, ſive moleſtiam percipimus (§. 592 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum voluptates ac tædia ſenſuum a libera noſtra voluntate minime dependeant (§. 14), actio autem libera eſſe nequeat, ſed naturalis ſit, quæ a libertate animæ minime pendet (§. 12); quin appetitiones & averſationes ſenſitivæ, in ſe ſpectatæ, actiones liberæ non ſint, ſed naturales, dubitandum non eſt.

Bruta quoque habent appetitum & averſationem ſenſitivam (§. 757 *Pſychol. rat.*): hoc tamen non obſtante deſtituuntur voluntate & noluntate libera (§. 763 *Pſychol. rat.*). Nemo igitur non agnoſcit, quod appetitiones & averſationes ipſorum non ſint liberæ. Atque ideo in confeſſo eſt, appetitiones ac averſationes ſenſitivas, in ſe ſpectatas, liberas non eſſe. Imo unuſquiſque, modo ſibimetipſi attendat, fide experientiæ libertatem ab appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva removet. Quis enim eſt, qui non in ſeipſo experiatur, quamdiu ſenſuum judicio unice ſtatur, ſe impedire non poſſe ne ex cibo, qui bene ſapit, voluptatem percipiat, ac ideo eundem appetat? Abſit autem, ut quis ſibi perſuadeat, appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam hominem ſubjicere agendi neceſſitati. Gaudet enim voluntate ac noluntate libera (§. 942 *Pſychol. empir.*), quia anima ratione prædita (§. 528 *Pſychol. rat.*). Neceſſe igitur non eſt, ut ſecundum appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam agat, ſed agere poteſt, imo agere debet, quemadmodum deinceps evincetur, ſecundum voluntatem & noluntatem liberam, ſeu appetitum & averſationem rationalem. Imo oſtendemus, quomodo in appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam dominium acquirere eumque ad conſenſum cum rationali reducere valeamus, ut mala actio non excuſetur, propterea quod ab appetitu ſenſitivo, vel averſatione ſenſitiva profecta. Generaliter hoc docebimus in hac ipſa Philoſophia practica univerſali: quid autem in caſibus ſpecialibus conveniat, in Ethica demonſtrabitur.

§. 16.

Senſationes quando actionibus liberis accenſendæ.

Si ex decreto animæ ob ſenſationes prævisas ſitus corporis mutatur; ſi ex eodem decreto ſitus corporis non mutatur, ſenſationum prævisarum gratia, nec alio quocunque modo impeditur, ne ſenſibile aliquod in organum ſenſorium agat; ſi denique ex decreto animæ quid agat eo fine, ut ſenſibile quodpiam percipiat, aut quid eo fine ab aliis fieri jubeat, ſenſationes accenſendæ ſunt actionibus liberis. Etenim ſi ex decreto animæ ob ſenſationes prævisas ſitus corporis mutetur, ſenſationes

nes a libertate animæ pendent quoad actum (§. 151 *Pſychol. rat.*). Similiter ſi ex decreto animæ ſitum corporis non mutes ſenſationum prævilarum gratia, nec alio quocunque modo impedias, ne ſenſibile aliquod in organum ſenſorium agat; ſenſationes, quarum gratia hoc non facis, denuo a libertate animæ pendent (§. 152 *Pſychol. rat.*). Imo pendent ab eadem ſenſationes, ſi quid ex decreto animæ agas eo fine, ut ſenſibile quodpiam percipias, aut ſi quid eo fine ab alio fieri jubeas (§. 153 *Pſychol. rat.*). Quoniam itaque actiones liberæ ſunt, quæ a libertate animæ pendent (§. 12); quin actionibus liberis accenſendæ ſint ſenſationes in omni hypotheſi theorematis, extra controverſiæ aleam poſitum eſt.

Nemo non videt tria theoremata in unum eſſe brevitatis gratia contracta, ut compoſitam conſtituant propoſitionem (§. 314 *log.*), ne demonſtrationes præter neceſſitatem forent multiplicandæ, quæ commode in unam contrahuntur, abſolvendæ nimirum unius ejuſdemque definitionis applicatione ad ſingulas hypotheſes. Ceterum ſtudio dico, ſenſationes in hiſce caſibus accenſendas eſſe actionibus liberis, non vero ſimpliciter, quod ſint actiones liberæ. Etenim ipſa ſenſatio per naturam & eſſentiam corporis atque animæ determinata eſt, quatenus neceſſario ſentimus, ſi objectum ſenſibile in organum ſenſorium rite conſtitutum agit, nec in animæ poteſtate poſitum eſt, utrum ſentire velit, nec ne, quamprimum actio ſenſibilis in organum ſenſorium ponitur (§. 79 *Pſychol. empir.*) & quatenus anima in ſenſationibus ſuis nihil immutare poteſt, nec unam alteri pro arbitrio ſubſtituere valet, dum objectum ſenſibile in organum ſenſorium agit (§. 78 *Pſychol. empir.*). Atque adeo ſenſatio in ſe ſpectata actio potius naturalis, quam libera eſt. In ſenſationibus itaque probe diſcernendum, quod neceſſarium eſt, ab eo, quod a libertate animæ pendet, quatenus per eam fieri poterat, ut ea ceſſaret.

§. 17.

Senſationes quando actiones neceſſariæ.

Si ſitus corporis non pendet a decreto animæ ob ſenſationes præviſas harumque gratia non determinatur, nec a nobis impediri poteſt, ne ſenſibile in organum ſenſorium agat, nec quicquam eo fine agis, ut ſenſibile quodpiam percipias, aut eo fine ab alio fieri jubes; ſenſatio actio neceſſaria ſeu naturalis eſt. Etenim ſi ſitus corporis non pendet a decreto animæ ob ſenſationes præviſas harumque gratia non determinatur; nec actio ſenſibilis in organum ſenſorium ab eodem ullo modo pendet. Atque idem patet ſi actionem ſenſibilis in organum ſenſorium impedire nequis, nec quicquam facias, aut ab alio fieri jubeas eo fine, ut ſenſibile percipias. Quamobrem cum per legem ſenſationis, ſi in organo aliquo ſenſorio ab objecto aliquo ſenſibili quædam producitur mutatio, in anima eidem coexiſtit ſenſatio per illam intelligibili modo explicabilis (§. 85 *Pſychol. empir.*); nec in caſibus iſtis ſenſatio a decreto animæ, in volendo ac nolendo liberæ (§. 942 *Pſychol. empir.*), ullo modo pendet. Quoniam itaque actio libera non eſt, ſed neceſſaria ſeu naturalis, quæ a libertate animæ minime pendet (§. 12)); in iſtis quoque caſibus, hoc eſt, in ſingulis propoſitionis hypotheſibus ſenſatio non eſt actio libera, ſed neceſſaria, ſeu naturalis.

Per præſentem propoſitionem ac præcedentem ſemper judicare licet, utrum ſenſatio aliqua ſit neceſſaria actio, num vero liberis accenſenda veniat. Nimirum ſemper diſpiciendum, utrum a decreto animæ libero ſit, ne ceſſet ſenſatio, num vero in noſtra poteſtate poſitum minime fuerit eandem a nobis evitari, ut conſtet, num aliquo modo libertas animæ

in actualitatem ſenſationis influat. Ita enim patebit, in quantum ſenſatio aliqua actionibus liberis accenſenda veniat, ne quis neceſſitatem ſentiendi in excuſationem vertere queat, ubi minime licet, vel ſibimetipſi parum conſulat, ubi ſenſus impedimenta vitæ honeſtæ objicit. E. gr. Dum in templum me confero, hominem mihi obviam factum video. Quoniam non eo fine in platea incedo, ut ipſum videam, neque in mea poteſtate fuit impedire, ne obviam mihi fieret, & ne ex improviſo obviam factum viderem; viſio a libertate voluntatis minime pendet, atque adeo neceſſaria eſt.

§. 18.

Directio attentionis quomodo actio libera.

Si ex decreto animæ attentionem dirigis in objectum, a quo eandem avertere poteras; directio attentionis eſt actio libera. Etenim ſi ex decreto animæ attentionem dirigis in objectum, a quo eandem avertere poteras; attentionem in idem dirigere vis. Quamobrem cum anima in volendo & nolendo libera ſit (§.942 *Pſychol.empir.*); quin eadem a voluntate libera pendeat, dubitari nequit (§.851 *Ontol.*). Enimvero libera eſt actio, quæ a libertate animæ pendet (§.12). Directio igitur attentionis actio libera eſt, ſi ex decreto animæ attentionem dirigis in objectum, a quo eandem avertere poteras.

A directione attentionis multa in anima pendent, quæ adeo & ipſa a libertate voluntatis dependent, quatenus ab hac proficiſcuntur. Quamobrem magnum momentum in eo ſitum eſt, ut animum ad directionem attentionis advertamus, ne nos fugiat, quum in ejus determinationem libertas influat. Id ipſum vero non modo per obſervationem, ſi acumine utaris; verum etiam per demonſtrationem haud raro detegere licet.

§. 19.

Caſus quidam particularis attentionis liberæ.

Si ex decreto animæ oculum viſibili directe obvertis, vel directe obverſum in hoc ſitu detines; attentio actio libera eſt. Etenim in hypotheſi propoſitionis attentio a libertate animæ pendet (§. 363 *Pſychol. rat.*). Sed quæ a libertate animæ pendet, actio libera eſt (§. 12). Ergo in hypotheſi propoſitionis attentio actio libera eſt.

Caſus hic particularis attentionis liberæ probe notandus, cum in moralibus ſæpiſſime occurrat. Ceterum nemo a nobis requiſiverit, ut demonſtremus attentionem & ejus directionem eſſe actionem animæ: patet enim hoc nuda definitionis actionis applicatione (§. 713 *Ontol.*). Atque hoc notandum eſt in aliis quoque animæ modificationibus, quas in ſequentibus in numerum actionum referemus.

§. 20.

Actus imaginationis actionibus liberis accenſendi.

Si attentionem dirigis in quidpiam ſenſu perceptum, vel in phantaſma aliquod, a quo eandem avertere poteras, vel in alterutro illam conſervas, cum retrahere poſſes; actus imaginationis actionibus liberis accenſendus. Etenim in hypotheſi omni propoſitionis phantaſma ex idea ſenſuali vel alio phantaſmate ortum trahens a libertate animæ pendet (§.344 & *ſeqq. Pſychol. rat.*), conſequenter cum phantaſmata ſint ideæ ab imaginatione productæ (§.93 *Pſychol.empir.*), eorundem productio a libertate animæ pendet. Quoniam itaque libera eſt actio, quæ a libertate animæ dependet (§.12); actus imaginationis in hypotheſi omni propoſitionis actionibus liberis accenſendus.

Qui animæ naturam non ſatis perſpectam habent, actus imaginationis ſi non omnes in univerſum, multos tamen libertati animæ ſubducunt, qui eidem ſubjiciuntur. Unde in Moralibus pro obſtaculis inſuperabilibus habent, quæ tolli poterant, & in imputatione cogitationum ſæpius hærent, imo ceſpitant, extra poteſtatem hominis collocantes, quæ in

eadem

eadem ſunt. Conſultum igitur eſt, ut probe perpendatur, quandonam imaginatio a libertate animæ dependeat, & ejus adeo actus in cenſum actionum liberarum veniant.

§. 21.

Actus imaginationis actionibus liberis accenſendus.

Si vocabulorum ope phantaſma aliquod in te excitare ſtudes, vel per operationes mentis elicis ea, quæ ad conſtituendum aliquod phantaſma concurrere debent; actus imaginationis accenſentur actionibus liberis. Etenim ſi vocabulorum ope phantaſma aliquod in te excitare ſtudes, vel per operationes mentis elicis ea, quæ ad conſtituendum aliquod phantaſma concurrere debent; ejus productio a libertate animæ pendet (§. 347. 348 *Pſychol. rat.*). Quoniam itaque libera eſt actio, quæ a libertate animæ pendet (§. 12); actus quoque imaginationis liberis actionibus accenſendi, tum ſi vocabulorum ope phantaſma aliquod in te excitare ſtudes, tum ſi per operationes mentis elicis ea, quæ ad conſtituendum aliquod phantaſma concurrere debent.

Nimirum hic liberæ noſtræ voluntati tribuendum, quod imaginatio hoc potius agat, quam aliud, ſeu hoc potius phantaſma producat, quam aliud, ipſum non productura, niſi velles. Per libertatem adeo animæ intelligitur, cur imaginatio hoc jam agat, ſeu tale phantaſma producat, conſequenter in eadem continetur ratio, cur hoc agat (§. 56 *Ontol.*). Quoniam itaque actio animæ a libertate ejus dependet, quatenus in hac continetur ratio cur agat (§. 851 *Ontol.*); in caſu præſente actus imaginationis a libertate animæ pendet. Unde liberis ejus actionibus accenſeri debet. Quot modis vero fieri poſſit, ut vocabulorum ope imaginatio libertati animæ ſubjiciatur, patet ex demonſtratione principii, quo hic uſi ſumus, in Pſychologia rationali *loc. cit.* exhibita. E. gr. Ponamus tibi oculum in librum aliquem apertum convertenti occurrere vocabulum vini, ac te in idem attentionem dirigere, ut inſcites ideam vini ex poculis hauriendi. Ut hæc animum tuum ſubeat, omnino a te pendet, non modo quatenus attentionem ſponte in vocabulum, quod legis, dirigis, & in eodem conſervas, verum etiam quatenus certam quandam ideam vini a te hauſti producere intendis. Exempla in caſu poſteriori, qui in propoſitione præſente continetur, jam dedimus alias (*not.* §. 348 *Pſychol. rat.*).

§. 22.

Caſus adhuc alius.

Si phantaſma repræſentat rem ſenſu libere perceptam; ejus reproductio adhuc actionibus liberis accenſetur. Etenim ſi phantaſma repræſentat rem ſenſu libere perceptam, ejus quoque reproductio, etſi non libere facta, adhuc tamen a libertate pendet (§. 349 *Pſychol. rat.*). Quoniam itaque actio omnis libera eſt, quæ a libertate animæ pendet (§. 12). Quin phantaſmatis quoque rem ſenſu libere perceptam repræſentantis reproductio adhuc actionibus liberis accenſeri debeat, dubitandum non eſt.

Etenim phantaſma iſtud præter voluntatem tuam tibi non occurreret, niſi antea libero animæ decreto ad rem eodem repræſentatam ſenſu percipiendo te determinaſſes. Quamobrem ſi quæris rationem, cur tibi occurrat; ad eam quoque pertinere liberum animæ decretum animadvertes. Atque adeo patet pendere ab eadem actionem imaginationis non quidem proxime, ſed remote. In præſenti autem, ubi actiones liberas a naturalibus diſcernere tenemur, ſufficit, ut quomodocunque actus imaginationis a libertate pendeat animæ, quemadmodum ex ſequentibus eluceſcet, quorum gratia hæc præmittuntur.

§. 23.

Actus memoriæ quando pro actionibus liberis habendi.

Si quid memoriæ mandamus, vel diu eadem retinere ſtudemus, ut ejus facile meminiſſe, non autem oblivisci poſſimus; actus memoriæ actionibus liberis accenſendi. Etenim ſi quid memoriæ mandamus, vel diu eadem retinere ſtudemus, ut ejus facile meminerimus, non autem oblivisci poſſimus; actus me-

moriæ a libertate animæ pendet (§.350 *Pſychol.rat.*). Quoniam itaque actionibus liberis accenſenda, quæ a libertate animæ pendet (§. 12); actus quoque memoriæ actionibus liberis accenſendi ſunt, ſi quid memoriæ mandamus, vel diu eadem retinere ſtudemus, ut ejus facile meminiſſe, non autem oblivisci poſſimus.

Repetenda hic ſunt, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus: id quod & de ſequentibus notandum.

§. 24.

Actionis poſitivæ & privativæ differentia. Et quid ſit factum commiſſionis atque omiſſionis.

Actio poſitiva dicitur, quæ actu editur: *Privativa* autem eſt ceſſatio actionis eſſentiæ ac naturæ entis alias convenientis. Quodſi actio fuerit libera, poſitiva *Factum commiſſionis*; privativa vero *Factum omiſſionis* appellatur. *Actionem* nimirum *committere* dicitur, qui, cum ab ea abſtinere poſſet, eam edit; *omittere* autem, qui cum edere poſſet, ab ea abſtinet.

Digeſtio cibi in ventriculo actio poſitiva eſt. Quodſi vero quacunque de cauſa ventriculus fuerit depravatus, ut cibum ingeſtum digerere nequeat; digeſtio non facta actio privativa appellatur. Etenim per eſſentiam & naturam ſuam ventriculus determinatus eſt ad cibum digerendum, atque adeo hæc actio eſſentiæ ac naturæ ejuſdem convenit. Quodſi ergo quacunque de cauſa ceſſet, actio ceſſat eſſentiæ ac naturæ ejus conveniens. Atque adeo vi definitionis actio privativa eſt hæc ceſſatio. Equidem in phyſicis diſtinctione hac carere poteramus; ſed eam in moralibus non eſſe negligendam, quod actiones privativæ a libertate animæ pendere queant, etiamſi poſitivæ nullo modo eidem ſubjiciantur, patebit ex inferius demonſtrandis. Quodſi quis vinum immodice haurit, cum etiam nullum bibere, aut modice bibere poſſet; actionem committere dicitur, & vini immodicus hauſtus factum commiſſionis eſt. At ſi quis vinum bibere recuſat, cum bibere poſſet; actionem omittit, & actus bibendi ceſſatio factum omiſſionis eſt, vel ſiquis vinum modice bibit, cum immodice haurire poſſet; omiſſio hauſtus immodici denuo factum omiſſionis eſt. Similiter qui alterum interficit, homicidium committit, eſtque homicidium factum commiſſionis, qui vero inimico non nocet, cum poſſet, actionem omittit & ejus omiſſio factum omiſſionis eſt. In Moralibus non minus factorum omiſſionis, quam commiſſionis habenda eſt ratio, ita ut quæ de actionibus liberis in genere demonſtrantur, de utroque accipienda ſint, & factum omiſſionis ſub facto ſimpliciter dicto ſubintelligatur, tanquam ſpecies ſub ſuo genere. Ita factum alienum nobis non modo imputatur, quod ſuademus, vel ad quod alterum inſtigamus; verum etiam ſi non diſſuademus, vel alterum ab eodem dehortari negligimus, ubi idem diſſuadere, vel alterum ab eodem dehortari debebamus.

§. 25.

Quatenus oblivio actionibus liberis accenſeda.

Si quas ideas, quarum reproductio in poteſtate tua eſt, longo tempore reproducere nolis, vel attentionem ab objecto, quod percipis, ſtatim avertis, cum eam in eodem retinere poſſes, vel ejus, quod ſemel percepiſti, ideam reproducere negligis, cum reproducere poſſes; oblivio actionibus liberis accenſetur. Etenim in omni hypotheſi propoſitionis præſentis oblivio a libertate animæ pendet (§ 351. 352 *Pſychol.rat.*). Quoniam oblivio conſiſtit in impotentia ideas reproductas recognoſcendi (§. 215 *Pſychol empir.*) & includit impotentiam reproducendi ideas rerum antea perceptarum (§. 216 *Pſychol. empir.*); eidem tribuenda eſt ceſſatio actuum imaginationis (§. 92 *Pſychol. empir.*) atque memoriæ (§.175 *Pſychol.empir.*), conſequenter ea utpote a libertate pendens *per demonſtrata* eſt factum omiſſionis (§.24). Quamobrem cum liberis actionibus accenſenda ſit, quæ a libertate pendet (§.12); oblivio quoque in hypotheſi omni propoſitionis præſentis actionibus liberis accenſenda venit.

Nimirum

Digitized by Google

Nimirum quod ceſſet actus imaginationis atque memoriæ, adeoque locus ſit oblivioni, tibi tribuere debes, quatenus in poteſtate tua erat efficere, ne ceſſaret. Sane ſi quis ſibimet ipſi digitos amputaret, ut ad caſtra ſequenda eſſet ineptus; nemo non agnoſcit, ceſſare actiones ad functiones militis obeundum neceſſarias voluntate libera, atque adeo illorum actuum omiſſionem etſi neceſſariam, ſi in ſe ſpectetur, liberis actionibus annumerandam eſſe, ſeu pro factis omiſſionis liberis recte haberi (§. 24). Quidni igitur etiam actus imaginationis & memoriæ, in ſe ſpectati neceſſarii, actionibus liberis, ſeu factis omiſſionis liberis annumerandi, ubi imaginationem & memoriam libere ineptam reddis, ut functiones ſuas in dato caſu obire minime queant? Oblivio plurimum influit in actiones hominum liberas, & magnum momentum in eo ſitum eſt, ubi de imputatione agitur, ut conſtet, quandonam illa pro libera habenda. Nemo igitur ſibi perſuadeat inanes eſſe ſubtilitates, quæ de oblivionis a libera voluntate dependentia inculcantur. Doctrina de imputatione in Moralibus ardua eſt & utilitatis maximæ, quemadmodum ſuo loco patebit. Quæcunque igitur ad eam intimius inſpiciendam cognitu neceſſaria ſunt, non minus momentoſa atque utilia haberi debent.

§. 26.

Facta omiſſionis imaginationis & memoriæ.

Si quis imaginationem & memoriam extendere negligit, cum poſſet; actus ea de cauſa ceſſantes ſunt factis omiſſionis accenſendi. Etenim ſi imaginationem & memoriam extendere negligis, cum exercitio extendere valeres; in poteſtate tua poſitum erat efficere, ne actus imaginationis atque memoriæ in dato caſu ceſſarent. Ceſſant igitur libera tua voluntate (§. 941 *Pſychol. empir.*). Quoniam itaque liberæ actuum ceſſationes ſunt actiones privativæ liberæ, conſequenter facta omiſſionis (§. 24); quin actus imaginationis & memoriæ ea de cauſa ceſſantes ſint factis omiſſionis accenſendi, dubitandum non eſt.

Eadem hic valent, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus. Diiudicatu tamen hic difficilius, num extenſio imaginationis atque memoriæ fuerit in poteſtate eius, penes quem actus inde proficiſcentes ceſſant: id quod probe notandum, ne in applicanda propoſitione præſente facile a vero aberres.

§. 27.

Ignorantia quid ſit.

Ignorantia eſt abſentia notionis, ſive rei ſimpliciter apprehendendæ inſerviat, ſive judicio cuidam reſpondeat.

E. gr. Si quis nunquam vidit pſittacum, nullam quoque ideam, nullam notionem ejus habet, conſequenter nec in eam attentionem ſuam convertere valet, ac ideo fieri nequit, ut eam ſimpliciter apprehendat (§. 33 *Log.*). Ponamus porro, eum nec vidiſſe unquam, nec ab aliis audiviſſe, quod pſittacus ſaccharo veſcatur. Deeſt igitur ipſi notio & idea, quæ huic propoſitioni reſpondet: Pſittacus ſaccharo veſcitur, conſequenter notio abeſt, quæ judicio vero reſpondet (§. 520 *Log.*). In caſu primo ignorare dicitur, quid ſit pſittacus, ſeu quænam avis pſittaci nomine indigetetur; in caſu altero autem ignorare, quod pſittacus ſaccharo veſcatur. Sunt qui ignorantiam definiunt per ſcientiæ negationem. Vid. *Goclenius* in Lexico philoſophico. Enimvero vocabulum *ſcientia* tum ſumitur laxiori ſenſu pro qualibet notitia. Quamobrem cum eidem ſignificatum ſtrictiorem tribuerimus (§. 594 *Log.*), in Scholis Philoſophorum receptum; ab eodem quoque temere non diſcedendum fuit (§. 142 *Diſc. prælim.*), ac idem in philoſophia quoque practica retinendus (§. 143 *Diſc. prælim.*), præſertim cum nulla neceſſitas nos adigat ad eum immutandum. Enimvero qui ignorantiam per ſcientiæ negationem definiunt; idem tamen nobiſcum ſentiunt, in verbis diſcrepantes, in re conſentientes. Etenim negant in exemplo dato, eum, cui deeſſe dicunt ſcientiam pſittaci, vel quod is ſaccharo veſcatur, carere notione pſittaci, qua audito vocabulo eandem ſibi tanquam præſentem repræſentare valeret; vel carere notione complexa, qua ſibi pſittacum tanquam ſaccharo veſcentem repræſentare valet. Quodſi equidem vi imaginationis ſibi pſittacum tanquam ſaccharo veſcentem repræſentare valet phantaſmatum combinatione (§. 142 *Pſychol. empir.*); abeſt vero notio veritatis propoſitioni reſpondentis,

ſeu

ſeu poſſibilitatis illius notionis; ignorat tamen, num propoſitio hæc vera ſit; pſittacus ſaccharo veſcitur. Nimirum aliud eſt ignorare aliquam propoſitionem, aliud vero ignorare, utrum propoſitio aliqua vera ſit, necne. In caſu priori notionem, quæ eidem reſpondet, formare non poſſumus; in caſu poſteriori abeſt notio poſſibilitatis notionis formatæ. Quodſi quis propoſitionem enuntiare audiverit, in caſu priori non intelligit, quid dicatur; in poſteriori quid dicatur equidem intelligit, ſed non novit, utrum recte affirmetur, an negetur, quod affirmatur, vel negatur. Differentia hæc probe notanda eſt in philoſophia practica, quemadmodum ex ſequentibus eluceſcet. Quamobrem eam inculcari neceſſe erat. Quando ſcilicet in definitione ignorantiæ dicimus, abeſſe notionem judicio reſpondentem, tam notio propoſitioni intelligendæ inſerviens, tam notio poſſibilitatis ejuſdem intelligitur.

§. 28.

Ignorantiæ vincibilis & invincibilis differentia.

Ignorantia dicitur *vincibilis*, quæ evitari poteſt, modo velimus: *Invincibilis* vero eſt, quam evitare non poſſumus, vel non potuimus.

Si quis in Academia ſtudiis literariis operam navat, in qua Mathemata perſpicue traduntur; is rerum mathematicarum cognitione animum imbuere valet, modo velit: ſupponimus enim non deeſſe illam aptitudinem, quæ ad Mathemata capienda requiritur. Quodſi ergo illorum tractationem negliget, ut Mathematum prorſus imperitus diſcedat: eorum ignorantia, qua laborat, vincibilis erat. Enimvero ſi quis nec in Scholis, nec in Academia incidit in Doctorem, a quo Mathematicorum demonſtrationes doceri poterat, nec librorum mathematicorum copia ipſi ſint, quibus conſpectis Matheſeos addiſcendæ cupido ſuſcitari poſſet; hujus ignorantia, qua laborat, pro invincibili habenda. Multa ab hominibus fiunt propter ignorantiam, quæ recta non ſunt; non tamen ideo excuſanda, quod ignorantiam evitare poterant, imo debebant. Quamobrem maximi momenti eſt in omni philoſophia practica & negotiis humanis, ut ignorantia vincibilis ab invincibili probe ſeparetur.

§. 29.

Ignorantia vincibilis actionibus liberis accenſenda.

Ignorantia vincibilis accenſenda eſt actionibus liberis in caſu ſingulari. Etenim ſiquis ignorantia ejus laborat, cujus in dato caſu ſingulari meminiſſe debebat; fieri non poteſt, ut ejuſdem meminerit. Quamobrem ſi ea fuerit vincibilis; eandem evitare potuiſſet, modo voluiſſet (§. 28), conſequenter quod non meminerit, a voluntate ejus, quam liberam eſſe conſtat (§. 942 *Pſychol. empir.*), pendet (§§. 56. 851 *Ontol.*). Eſt igitur ignorantia vincibilis actio privativa libera (§. 24), adeoque in caſu ſingulari actionibus liberis recte accenſetur.

Nimirum ceſſant operationes intellectus in dato caſu ſingulari, quod nolueris eam tibi comparare notitiam, quam poteras. Quodſi enim hanc acquirere ſtuduiſſes, ejus memor de re præſente judicium non omiſiſſes, quod defectu principii ad judicandum neceſſarii jam nullum eſt. Ceſſatio judicii actio privativa eſt (§. 24). Ceſſat autem voluntate tua, quatenus voluntate tua tibi deficit principium, ſine quo judicio locus eſſe nequit. Quamobrem cum in volendo liber ſis (§. 942 *Pſychol. empir.*); actio illa privativa libera eſt. Probe notandum, ubi inquirimus, utrum in actiones noſtras ſive poſitivas, ſive privativas influat libertas, nec ne, non ſufficere, animum ad immediatam actionis a libertate dependentiam adverti, ſed habendam quoque rationem eſſe dependentiæ quantumlibet remotæ. Unde facile intelligitur, haud raro acumine opus eſſe, ut actionis præſertim privativæ dependentiam a libera voluntate detegas. Abſit autem, ut pro inanibus ſubtilitatibus habeas, quæ de remota actionum privativarum a libertate dependentia dicuntur! Patebit enim deinceps, ubi de imputatione agetur, quæ maximi momenti eſt in omni philoſophia practica & Juris quoque praxi, eam probe perſpectam eſſe debere. Imo Theologo quoque eam ſcrutari convenit, ne peccatorum numero eximantur, quæ in eodem ſunt. Ceterum ignorantiæ tanquam actionis privativæ habenda ratio eſt, ubi actio editur, quæ ceſſare poterat, vel vice verſa ceſſat, ubi edi poterat, niſi quis ignorantia laboraſſet, aut etiam quæ edi poterat, a rectitudine deficit, propterea quod ignoras ea, quæ noſſe debebas aliter acturus.

§. 30.

§. 30.

Erroris vincibilis & invincibilis differentia.

Error dicitur ***vincibilis***, qui evitari poteſt, modo velimus: ***Invincibilis*** vero eſt, quem evitare non poſſumus, vel non potuimus.

Scholaſtici errorem *ignorantiam compoſitam* appellant. Qui enim errat, propoſitionem falſam pro vera habet (§. 623 *Log.*), adeoque ignorat, quod falſa ſit propoſitio. Affirmat, quod erat negandum; negat, quod affirmandum erat (§. 624 *Log.*). Ignorat igitur affirmandum eſſe, quod negat; negandum, quod affirmat. Abeſt igitur notio veritatis propoſitionis, conſequenter notiones deſunt principiorum, per quas perſpicitur veritas illius. Unde error multiplicem ignorantiam involvit: adeoque nil obſtat, quo minus pro compoſita habeatur. Ceterum hinc quoque patet, cur diſtinctio ignorantiæ vincibilis & invincibilis ad errorem quoque applicari poſſit ac debeat, quia ſcilicet ſub ignorantia continetur error, tanquam ſub genere ſpecies. Conſultius tamen viſum fuit communi magis loquendi more errorem ab ignorantia diſtingui & eundem in vincibilem ac invincibilem dividi.

§. 31.

Error vincibilis actionibus liberis accenſendus.

Error vincibilis in caſu ſingulari accenſendus actionibus liberis. Etenim ſi quis errorem fovet, cum errans affirmet, quod erat negandum, neget, quod erat affirmandum (§. 624 *Log.*); in caſu dato ſingulari non verum, ſed falſum fert judicium (§. 505 *Log.*). Quamobrem ſi is fuerit vincibilis, eum evitare potuiſſet, modo voluiſſet (§. 30), conſequenter quod falſum ferat judicium, adeoque erret (§. 623 *Log.*), a voluntate ejus, quam liberam eſſe conſtat (§. 942 *Pſychol. empir.*), pendet (§. 851 *Ontol.*). Quamobrem cum libera ſit actio, quæ a libertate animæ pendet (§. 12); error vincibilis in caſu ſingulari actionibus liberis accenſendus.

Nimirum labitur intellectus in dato caſu ſingulari, quod nolueris veritatis tibi comparare cognitionem, quam acquirere poteras. Quodſi enim eam acquirere ſtuduiſſes, ejus memor de re præſente verum judicium tuliſſes, quod applicato principio falſo falſum evaſit, ſeu erroneum (§. 626 *Log.*). Falſo autem judicas voluntate tua, quatenus voluntate tua erroneum tibi eſt judicium, juxta quod judicas. Quamobrem cum in volendo ſis liber (§. 942 *Pſychol. empir.*); actus ille judicandi liber eſt. Repetenda hic ſunt, quæ de ignorantia vincibili, in dato caſu ſingulari actionibus liberis accenſenda, annotavimus (*not.* §. 29).

§. 32.

Operationes intellectus quando actiones liberæ.

Operationes intellectus in numero actionum liberarum ſunt, quando ex decreto animæ, ſeu ab anima eliciuntur. Etenim ſi ab anima volente eliciuntur, ideo v. gr. judicas, vel ratiocinaris, quod judicare, vel ratiocinari vis. Quamobrem cum anima libera ſit in volendo (§. 942 *Pſychol. empir.*); libertas animæ rationem continet, cur jam judices, vel ratiocineris (§. 56 *Ontol.*), conſequenter judicii vel ratiocinii actus a libertate animæ pendet (§. 851 *Ontol.*). Atque adeo liquet, operationes intellectus in numero actionum liberarum eſſe, quando ab anima volente eliciuntur.

Abſit tamen, ut hinc tibi perſuadeas, intellectum eſſe liberum in judicando & ratiocinando, & ita judicare ac ratiocinari, prouti juſſerit voluntas: neque enim in intellectu major libertas eſt, quam in manu, dum ad nutum animæ movetur, hoc eſt, nulla. Libertas non competit, niſi voluntati: actiones ceteræ animæ tales ſunt, quales a facultatibus ſuis eſſe permittuntur, & motus organorum corporis ii ſunt, qui per mechaniſmum eorundem perfici poſſunt. Sunt autem illæ actiones liberæ animæ, hi corporis, quatenus non ponuntur, niſi poſita animæ libera voluntate. Unde actiones liberas definivimus per eas, quæ a libertate animæ pendent, quatenus nempe abſque libera voluntate non intelligitur, cur edantur, vel, ſi privativæ fuerint, omittantur, & ſic libertas influit in earum actualitatem.

§. 33.

Digitized by Google

§. 33.

Actiones ex diſpoſitione fluentes quænam ſint liberæ.

Actiones ex diſpoſitione libero exercitio acquiſita fluentes liberæ ſunt. Etenim ſi qua actio proficiſcitur ex diſpoſitione libero exercitio acquiſita; ideo editur, quod illam diſpoſitionem nobis acquirere voluimus. Atque adeo abſque libera voluntate non intelligitur, cur actio edita fuerit, conſequenter ea rationem continet, cur edita fuerit (§. 56 *Ontol.*). Quamobrem cum quid ab altero dependeat, quatenus rationem aliquam, cur ſit, in eodem agnoſcit (§. 851 *Ontol.*); actiones ex diſpoſitione libero exercitio acquiſita proficiſcentes a libera voluntate dependent. Enimvero libera eſt actio, quæ a libertate voluntatis dependet (§. 12). Quamobrem actiones ex diſpoſitione libero exercitio acquiſita fluentes liberæ ſunt.

Actio ex diſpoſitione libero exercitio acquiſita duplici reſpectu libera eſſe poteſt, vel quod ex decreto animæ libero nunc agis, quod vi diſpoſitionis acquiſitæ agere potes (§. 427. 429 *Pſychol. empir.*), vel quod eam edere non potuiſſes, niſi iſtam diſpoſitionem libere tibi acquiſiviſſes. Videtur adeo utilitate carere, quod actiones ex diſpoſitione libero exercitio acquiſita fluentes in numerum liberarum ea propter referamus, quod hoc nomine a libertate dependeant. Enimvero probe notandum eſt, etſi actionem ex iſta diſpoſitione fluentem libere decernere valeamus, id non tamen ſemper fieri; ſed ſubinde quoque eam edi nullo animæ decreto prævio, ita ut eandem ex numero liberarum eximeret, qui ad præſentem propoſitionem animum non advertit. Nimirum appetitus ſenſitivus determinari poteſt ad iſtiuſmodi actionem per ſenſus, imaginationem atque memoriam; atque tum libertas animæ non immediate, aut, ſi mavis, proxime influit in eandem, ſed nonniſi mediante diſpoſitione acquiſita, aut, ſi mavis, remote. Actiones autem liberæ ſunt, ſive immediate, ſive mediate a libertate dependeant, quamvis immediata dependentia eas magis efficiat liberas, ut hoc diſcrimen in Moralibus alicujus ſit momenti.

§. 34.

Factum omiſſionis ob neglectũ diſpoſitionis acquirẽdæ liberis actionibus accenſendum.

Si actio aliqua omittitur ob defectum diſpoſitionis, quam acquirere potuiſſes, ſi voluiſſes; factum omiſſionis accenſendum eſt actionibus liberis. Etenim ſi deficit diſpoſitio, quam acquirere potuiſſes, modo voluiſſes; in poteſtate tua poſitum erat efficere, ut actionem ex iſta diſpoſitione fluentem occaſione agendi oblata edere valeres. Ceſſat igitur actio libera tua voluntate (§. 941 *Pſychol. empir.*). Quoniam itaque liberæ actionum ceſſationes ſunt actiones privativæ liberæ, conſequenter facta omiſſionis (§. 24); quin actio omiſſa ob defectum diſpoſitionis, quam acquirere potuiſſes, modo voluiſſes, actionibus liberis accenſeri debeat, dubitandum non eſt.

E. gr. Ponamus ſubſcribendum eſſe nomen tuum manu propria. Ponamus porro, te ne difficulter quidem literarum ductus imitari poſſe, adeoque omni ad ſcribendum diſpoſitione carere (§. 429 *Pſychol. empir.*). Ponamus denique non defuiſſe tibi occaſionem illam minimum ad ſcribendum diſpoſitionem tibi comparandi, etſi defuerit occaſio habitum ſcribendi acquirendi. Nemo non intelligit, te nomen tuum propria manu jam ſubſcribere non poſſe, quod diſpoſitionem ad ſcribendum acquirere nolueris, veluti quod malueris ne difficulter quidem literarum ductus imitari poſſe, ſiquidem ſcribendi habitum acquirendi denegetur occaſio. Ecquis vero non videt, impotentiam ſubſcribendi nomen pendere a libertate animæ, conſequenter & ipſam ſubſcriptionem omittendam? Omiſſio igitur ſubſcriptionis hoc reſpectu recte accenſetur actionibus liberis (§. 12). Non tamen negamus, magis liberam eſſe ſubſcriptionis omiſſionem, quæ fit ab eo, qui ſcribendi habitu pollet. Sed jam quæſtio non eſt de eo, quid magis, vel minus liberum ſit, ſed quid ſimpliciter pro libero haberi poſſit.

§. 35.

§. 35.

Actiones ex habitu libero exercitio acquiſito fluentes liberæ ſunt. Si qua enim actio ex habitu libero exercitio acquiſito fluit; ideo editur, quod habitum iſtum tibi acquirere voluiſti. Quamobrem cum abſque libera voluntate non intelligatur, cur actio iſta edita fuerit; in eadem ratio continetur, cur edita fuerit (*§. 56 Ontol.*). Enimvero actio a libera voluntate dependet, cujus, cur edita fuerit, in eadem ratio continetur (§. 851 *Ontol.*). Ergo actiones ex habitu libero exercitio acquiſito fluentes a libera voluntate dependent. Quoniam itaque libera eſt actio, quæ a libertate voluntatis dependet (§. 12); actiones ex habitu libero exercitio acquiſito fluentes liberæ ſunt.

Actiones ex habitu fluentes quænam liberæ.

Propoſitio hæc probe notanda eſt. Quodſi enim actiones ex habitu profluentes ex numero actionum liberarum eximere volueris, propterea quod data agendi occaſione eas non decreveris; haud exigua pars actionum humanarum ea numero liberarum eximenda foret, quas tamen omnes recte pro liberis habent. Ceterum non ſuperflua videri debet determinatio adjecta, quod habitus libero exercitio fuerit acquiſitus. Conſtat enim etiam animantia bruta habitus acquirere poſſe, etſi nulla ipſis ſit libera voluntas (§. 763 *Pſychol. rat.*), & homines in prima ætate non differre a brutis, in qua adeo habitus acquiri poſſunt abſque libero exercitio.

§. 36.

Si actio aliqua omittitur ob defectum habitus, quem acquirere potuiſſes, modo voluiſſes; factum omiſſionis accenſendum eſt actionibus liberis. Oſtenditur eodem modo, quo demonſtravimus, factum omiſſionis accenſendum eſſe actionibus liberis, ſi actio aliqua omittitur ob defectum diſpoſitionis, quam acquirere potuiſſes, modo voluiſſes (§. 34).

Factum omiſſionis ob neglectum habitus acquirendi liberis actionibus accenſendum.

Diſpoſitio præcedit habitum (*§. 428 429 Pſychol. empir.*), & mediante exercitio in habitum convertitur (*§. 430 Pſychol. empir.*). Propoſitio igitur præſens ſuperflua videri poterat. Etenim aut cum habitu una deficit diſpoſitio, aut deficiente habitu adeſt tamen diſpoſitio. Quamobrem, etſi deſit habitus agendi, propter diſpoſitionem tamen adhuc agere potes, quamvis difficulter (*§. 429 Pſychol. empir.*). Actio itaque abſque prævio animæ decreto immediato nunquam ceſſare videtur, niſi defectu diſpoſitionis. Enimvero cum diſpoſitio nonniſi in agendi difficultate (*§. 429 Pſychol. empir.*), habitus vero in agendi promptitudine conſiſtat (*§. 428 Pſychol. empir.*); haud raro contingit, quod actioni cuidam locus non ſit, quia agendi promptitudo deficit, ne actiones ſimplices ad compoſitam requiſitæ cito, nec ullis inter eas interjectis morulis produci poſſint (*§. cit.*). Fieri adeo poteſt ut ceſſet actio ob defectum habitus, etſi non deſit diſpoſitio, quia occaſio agendi oblata non fert agendi difficultatem, qua actiones ſimplices ad compoſitam requiſitæ nonniſi tarde ac interjectis moris eliciuntur. Nemo de his dubitare valet, quæ obvia confirmantur experientia, modo attentionem ſuam deſiderari non patiatur in obviis. Præſens adeo propoſitio uſui eſt, ubi alteri locus eſſe nequit.

§. 37.

Si qua actio ceſſat ob habitum amiſſum, diu libere intermiſſo ejus uſu; factum omiſſionis accenſendum eſt actionibus liberis. Etenim ſi habitus, ob quem amiſſum actio ceſſat, amiſſus fuerit, diu libere intermiſſo ejus uſu; in poteſtate tua poſitum erat impedire, quo minus ea ceſſaret. Ceſſat igitur actio libera tua voluntate (§. 941 *Pſychol. empir.*). Unde eodem patet modo, quo ſupra evicimus, actionem omiſſam ob defectum diſpoſitionis, quæ acquiri pote-

Factum omiſſionis ob habitum libere amiſſum accenſendum eſſe

actionibus liberis.

poterat, ſi voluiſſes (§. 34), actionem ceſſantem defectu habitus, libere intermiſſo ejus uſu, eſſe actionibus liberis accenſendam.

Nimirum ſi habitum continuo exercitio conſervaſſes (§. 431 *Pſychol. empir.*), actio occaſione agendi oblata minime ceſſaret. Quamobrem cum libere intermiſeris ejus uſum, nec eum conſervare ſtudueris, quemadmodum poteras; actio ideo ceſſat, quod eam ceſſare volueris, ſi non directe, quatenus actionis ex habitu profluentis nullam amplius rationem habuiſti; ſaltem indirecte, quatenus id voluiſti, unde neceſſario ſequi debebat actionis ceſſatio agendi occaſione in poſterum oblata. Conſulto autem addimus, uſum habitus diu libere intermitti debere. Etenim fieri quoque poteſt, ut eundem invitus intermittas, nec impedimenta, quæ uſum ejus intervertunt, vincere detur. In hoc autem caſu agendi occaſione data actio minime ceſſat libera tua voluntate: unde nec factum omiſſionis liberum cenſeri poteſt.

§. 38.

Nolitio & averſatio, quales ſint actiones.

Nolitio & averſatio ſenſitiva non ſunt actiones privativæ, ſed poſitivæ. Etenim nolitio non eſt nuda volitionis omiſſio (§. 884 *Pſychol. empir.*), conſequenter non ideo quis quidpiam non vult, quod ceſſet actus volitionis. Quamobrem cum actio privativa ſit nuda ceſſatio actionis, quæ alias eſſentiæ ac naturæ entis convenit (§. 24); nolitio non eſt actio privativa. Similiter ſi ceſſat appetitio ſenſitiva, anima ad objectum non inclinatur, defectu boni confuſe in eodem percepti (§. 580 *Pſychol. empir.*). Quoniam vero nihil in eodem boni confuſe percipiens non neceſſario quidpiam mali in eodem percipit, vel etiam abſentiam boni ſibi ſemper tanquam malum repræſentat, quemadmodum obviis exemplis indies docemur; ceſſante inclinatione ad objectum, ab eodem non ſtatim reclinatur (§. 586 *Pſychol. empir.* & §. 118 *Ontol.*), conſequenter ceſſante appetitione ſenſitiva nondum ponitur averſatio (§. 581 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum averſatio ſenſitiva non ſit nuda appetitionis ceſſatio; patet ut ante, averſationem ſenſitivam non eſſe actionem privativam. Enimvero cum averſationis ratio ſufficiens ſit repræſentatio mali (§. 586 *Pſychol. empir.*), ſenſitivæ nimirum, ſi malum confuſe ſaltem percipitur (§. 582 *Pſychol. empir.*), rationalis vero ſive nolitionis, ſi percipitur diſtincte (§. 881. 882 *Pſychol. empir.*); poſita repræſentatione mali confuſa ponitur averſatio ſenſitiva, poſita autem repræſentatione diſtincta ponitur nolitio (§. 118 *Ontol.*). In omni averſatione, ſive ſenſitiva, ſive rationali anima reclinatur ab objecto (§. 581 *Pſychol. empir.*), ſeu impedire conatur, ne perceptioni prævisæ locus ſit (§. 496 *Pſychol. rat.*), conſequenter ſtatus ipſius mutatur (§. 709 *Ontol.*), & quoniam id ſit ob mali repræſentationem (§. 590 *Pſychol. empir.*); ratio mutationis datur in ipſo ſubjecto (§. 711 *Ontol.*). Eſt igitur averſatio ſenſitiva & nolitio actio (§. 713 *Ontol.*), quæ actu editur *per demonſtrata*. Quamobrem cum actio, quæ actu editur, poſitiva ſit (§. 24); averſatio ſenſitiva & nolitio actiones poſitivæ ſunt.

Actiones privativas a poſitivis diſtingui in Moralibus neceſſe eſt, quemadmodum loco non uno conſtabit. Conſultum igitur duximus propoſitionem præſentem demonſtrare, ſit ita quod principiorum noſtrorum gnarus etiam ſine demonſtratione eam facile admiſerit. Ceterum hic relegenda ſunt, quæ de nolitione ex ratione poſitiva enata alibi demonſtravimus (§. 885 *Pſychol. empir.*), ad averſationem ſenſitivam facile applicanda.

§. 39.

Digitized by Google

§. 39.

Nolitio ceſſans ob ignorantiam, vel errorem vincibilem accenſenda actionibus liberis privativis. Quoniam nolitio eſt actio poſitiva (§. 38); ſi ea ceſſat, actio poſitiva ceſſat, conſequenter ceſſatio nolitionis, tanquam actionis animæ convenientis (§. 882 *Pſychol. empir.*), actio privativa eſt (§. 24). Enimvero ignorantia (§. 29) & error vincibilis in caſu ſingulari accenſetur actionibus liberis (§. 31). Quamobrem etiam ceſſatio nolitionis ob ignorantiam & errorem vincibilem liberis actionibus privativis accenſenda venit. *Ceſſatio nolitionis, quando liberis accenſenda actionibus.*

Nimirum ſi quis ignorantia vel errore non laboraret, id nollet, quod jam nolle omittit. Quamobrem cum libera cenſeatur actio, quæ ignorantia vel errore vincibili proficiſcitur; ceſſatio quoque nolitionis pro libera actione privativa recte habetur.

§. 40.

Si averſatio ſenſitiva ceſſet ob ignorantiam vel errorem vincibilem, actionibus liberis accenſenda. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus. *Averſatio ſenſitiva actionibus liberis quando accenſenda.*

Nimirum ſi quis ignorantia vel errore vincibili non laboraret, id jam averſaretur, quod averſari omittit. Quoniam itaque libere omitti cenſetur, quod ob ignorantiam vincibilem, vel errorem vincibilem omittitur, quatenus ſcilicet in poteſtate tua poſitum erat efficere, ut non omitteretur; ceſſatio quoque averſationis ſenſitivæ ob ignorantiam vel errorem vincibilem pro libera reputanda. Aliter ſeſe res habet in hominibus, quam in brutis. Bruta enim cum ratione (§. 762 *Pſychol. rat.*) & libertate agendi deſtituantur (§. 763 *Pſychol. rat.*); nec ignorantia vincibilis, nec error vincibilis in ea cadit, conſequenter nec averſatio ſenſitiva in iis unquam ceſſat ob ignorantiam vel errorem vincibilem, ſed quicquid averſantur, neceſſario averſantur, & quando ceſſat averſatio ſenſitiva, nec in eorundem poteſtate poſitum erat efficere, ne ceſſaret. In homine, qui ratione (§. 454. 451 *Pſychol. rat.*) ac voluntate libera pollet (§. 942 *Pſychol. empir.*), averſatio ſenſitiva effici poteſt a ratione & libera voluntate dependens. Quatenus igitur hoc efficere libere omittimus, a libertate utique pendet, quod jam ceſſet averſatio ſenſitiva. Appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva in concordiam cum rationali reduci poſſunt ac debent. Magnum igitur momentum in eo ſitum eſt, quod averſatio ſenſitiva ceſſet cum averſatione rationali ſeu nolitione concordans. Alias nimirum accidit, ut appetitus ſenſitivus prævaleat adverſus rationalem: id quod in caſu oppoſito metuendum minime fuerat. Abſit igitur, ut quis ſibi perſuadeat inanes fingi ſubtilitates, quibus in Moralibus tuto carere poteramus.

§. 41.

Si ob ignorantiam vel errorem vincibilem appetitioni ſenſitivæ locus eſt; ea actionibus liberis accenſenda. Etenim ſi ob ignorantiam vel errorem vincibilem appetitioni ſenſitivæ locus eſt; id appetis, quod averſaturus fueras, niſi ignorantia vincibili laboraſſes, vel errore vincibili imbutus fuiſſes. Ceſſat igitur nolitio ob ignorantiam vel errorem vincibilem. Enimvero ceſſatio nolitionis ob ignorantiam vel errorem vincibilem accenſenda eſt actionibus liberis (§. 39). Ergo etiam appetitio ſenſitiva, quæ eadem ceſſante locum habet, liberis actionibus accenſenda venit. *Appetitio ſenſitiva quando actionibus liberis accenſenda.*

Nimirum per eſſentiam & naturam animæ ad appetendum in hoc caſu determinatus non es, ſed a libertate pendet appetitio ſenſitiva, quatenus per eam abeſt nolitio. Quoniam itaque libera dicanda eſt actio, quæ per eſſentiam & naturam animæ determinata non eſt, ſed a libertate animæ pendet (§. 2.); quin in hoc caſu appetitio ſenſitiva pro actione libera habenda, dubitandum non eſt.

§. 42.

Appetitio ſenſitiva qua fortior quando actio libera:

Si ab actionibus quibuſcunque liberis pendet, ut ideam boni ingrediantur plures voluptates ex re quadam, vel cum eadem antea perceptæ; appetitio ſenſitiva qua fortior actionibus liberis accenſenda. Etenim ſi plures voluptates ex re quadam, vel cum eadem antea perceptæ ideam boni ingrediuntur; appetitus fortior (§. 595 *Pſychol. empir.*), tantus adeo non futurus, niſi omnes iſtæ voluptates ideam boni ingrederentur. Quodſi ergo ab actionibus quibuſcunque liberis pendet, ut ideam boni ingrediantur plures voluptates ex re quadam, vel cum eadem antea perceptæ; a libertate utique animæ dependet, ut in caſu dato appetitio ſit fortior. Quoniam itaque libera dicenda eſt actio, quæ a libertate animæ dependet (§. 12); quin appetitio ſenſitiva qua fortior actionibus liberis accenſeri debeat, ſi ab actionibus quibuſcunque, ſeu quomodocunque liberis pendet, ut ideam boni ingrediantur plures voluptates ex re quadam vel cum eadem antea perceptæ, dubitandum non eſt.

Libere ea feciſti, unde voluptatem percepiſti; libere omiſiſti, quæ impedire poterant, quo minus eam perciperes, atque adeo in cauſa es, cur ideam boni etiam ingrediantur voluptates accidentales a te, quæ bona judicatur, minime pendentes, conſequenter a libertate tua pendet, ut bonum videatur majus, quam revera eſt, vel alias appariturum erat (§. 597 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum magnitudo appetitus ſit a magnitudine boni (§. 589 *Pſychol. empir.*); appetitio ſenſitiva utique in caſu propoſitionis a libertate animæ dependet, atque adeo liberis actionibus accenſenda, quatenus eſt fortior. Videmus adeo, libertatem animæ magis influere in actiones humanas, quam vulgo putatur, nec ab animantibus brutis ad hominem valere conſequentiam in iis, quæ a facultatibus communibus proficiſcuntur.

§. 43.

Averſatio ſenſitiva qua fortior quando actio libera.

Si ab actionibus quibuſcunque liberis pendet, ut ideam mali ingrediantur plura tædia ex re quadam, vel cum eadem percepta; averſatio ſenſitiva qua fortior actionibus liberis poſitivis accenſenda. Etenim ſi plura tædia ex re quadam percepta, vel antehac cum eadem percepta ideam mali ingrediuntur; averſatio fortior, ſeu major eſt, quam ſi paucioribus in eadem ſit locus (§. 596 *Pſychol. empir.*). Quodſi ergo ab actionibus liberis quomodocunque pendet, ut ideam mali ingrediantur plura tædia ex re quadam, vel cum eadem antea percepta; ecquis eſt qui dubitat, quin ab animæ libertate dependeat, quod averſatio fortior ſit? Quoniam itaque averſatio ſenſitiva actio poſitiva eſt (§. 38), omnis verò actio, quæ a libertate animæ pendet, libera (§. 12); averſatio ſenſitiva utique libera actio poſitiva, quatenus fortior.

In propoſitione præſente ac præcedente averſatio & appetitio ſenſitiva ſpectantur præciſe quoad gradum, non vero præciſo eodem. Libere igitur tam fortiter quid appetere, vel averſari dicendus es, quod appetis, vel averſatis, nec eſt quod gradum appetitus & averſationis in excuſationem vertas, quoniam eidem reſiſtere ſi non impoſſibile, ſaltem difficillimum fuerit. Ceterum ad propoſitionem quoque præſentem mutatis mutandis trahenda, quæ ad præcedentem annotavimus.

§. 44.

Digitized by Google

§. 44.

Si actio aliqua ceſſat, vel etiam editur ob defectum attentionis, quam conſervare poteras, vel cujus conſervandæ habitus a te acquiri poterat; tam actio privativa in caſu priori, quam poſitiva in poſteriori, actionibus liberis accenſenda. Etenim ſi actio aliqua ceſſat, vel etiam editur ob defectum attentionis, quam conſervare poteras; non impoſſibile erat illam non ceſſare, hanc non edi, modo voluiſſes. Quoniam itaque per voluntatem tuam liberam intelligitur, cur ceſſet illa, hæc edatur; in ea continetur ratio, cur illa ceſſet, hæc edatur (§. 56 *Ontol.*). Quamobrem cum a libera voluntate tua pendeat, quod actio in caſu priori ceſſet, in poſteriori edatur (§. 851 *Ontol.*), quæ in illo privativa, in hoc poſitiva eſt (§. 24), omnis vero libera ſit actio, quæ a libertate pendet (§. 12); tam actio privativa, quam poſitiva liberis actionibus accenſenda venit, ſi qua ceſſat actio, vel etiam editur ob defectum attentionis, quam conſervare poteras. *Quod erat unum.*

Actiones liberæ ob defectû attentionis tales.

Similiter, ſi deficit habitus conſervandæ attentionis, quem acquirere poteras, modo voluiſſes; in poteſtate tua poſitum erat efficere, ne ob defectum attentionis ceſſaret actio, quæ ob eundem nunc ceſſat, nec ederetur, quæ ob eundem nunc editur. Ceſſat igitur in caſu priori, editur in poſteriori libera tua voluntate (§. 941 *Pſychol. empir.*). Unde porro ut ante patet, ſi qua ceſſat, vel editur actio defectu attentionis, cujus conſervandæ habitus a te acquiri poterat; actionem tam privativam in caſu priori, quam poſitivam in poſteriori, accenſendam eſſe actionibus liberis. *Quod erat alterum.*

Ignorantia vincibilis eſt, quæ evitari poteſt, modo velimus (§. 28). Defectus adeo attentionis, quam conſervare poteramus, vel cujus conſervandæ habitus a nobis acquiri poterat, in præſenti negotio, reſpectu nimirum voluntatis, ignorantiæ vincibili equipollet. Quamobrem cum ignorantia vincibilis in caſu ſingulari accenſenda ſit actionibus liberis (§. 29); defectus quoque attentionis, quam conſervare poteramus, vel cujus conſervandæ habitus a nobis acquiri poterat, in caſu ſingulari actionibus liberis, privativis ſcilicet (§. 24), accenſendus venit, conſequenter in earundem quoque cenſum veniunt actiones privativæ & poſitivæ inde pendentes. Quæ igitur ſuperius (§. 29) de ignorantia vincibili annotavimus, ad præſentem quoque propoſitionem recte trahuntur. Ceterum propoſitio præſens uſui eſt non minus in æſtimando gradu culpæ, quam in hac imputanda. Quod vero defectu attentionis actio edi poſſit, quæ ea non deficiente ceſſaret, in dubium revocari nequit. Quis enim eſt, qui neſciat homines haud raro excuſaturi factum allegare defectum attentionis, veluti quod hoc dixerint, quia animum non adverterunt ad præſentiam hujus vel illius: etenim ſi hoc feciſſent, idem non dixiſſent, imo pœnitet quod dixerint. Quod defectu attentionis omittatur actio, eadem ratione intelligitur, ſiquidem experimentum facere velis. De poſſibilitate igitur propoſitionis præſentis dubium nullum eſt, ut eam a priori evinci non ſit opus. Imo ſufficit in philoſophia practica, quod caſus obvii, in quibus theoremata uſui ſunt, poſſibilitatem hypotheſium, hoc eſt, eorum, quæ ſumuntur, loquantur: nec requiritur ut prolixa theoria, qua carere poteramus, animus oppleatur.

§. 45.

Si uſus facultatum animæ vel organorum corporis ab agente intenditur, ſeu agens ideo agit, ut eum, quem habere poſſunt, uſum actu conſequatur; uſus in finem abit. Etenim ſi agens uſum facultatum animæ vel organorum corporis

Uſus facultatum animæ & orga-

norum corporis quando finis agentis.

poris intendit, ſeu ideo agit, ut eum actu conſequatur; propter eum agit. Quamobrem cum id, ob quod cauſa efficiens agit, ſit finis ejuſdem (§. 932 *Ontol.*); evidens eſt, uſum facultatum animæ vel organorum corporis abire in finem, quando ab agente intenditur, ſeu agens ideo agit, ut uſum, quem habere poſſunt, actu conſequatur.

E. gr. Senſus hunc habent uſum, ut eorum, quæ ſunt ac fiunt in univerſo, cognitionem acquiramus. Quodſi igitur agimus quidpiam, ut cognitionem cujuſdam, quod in univerſo eſt, vel contingit, nobis acquiramus ſenſu duce: cognitio iſta finis eſt, quem intendimus. Similiter organa vitalia ſimul ſumta hunc habent uſum, ut eorum functionibus vita conſervetur. Quando igitur vitæ conſervandæ gratia quid agimus, & functiones organorum vitalium eo dirigimus; conſervatio vitæ finis noſtræ actionis eſt. In utroque caſu & in omni reliquo agens ad uſum rei, quem habere poteſt, tendit tanquam ad finem. Qui uſus eſt ex parte rei, veluti ex parte ſenſuum ac organorum vitalium, finis eſt ex parte agentis, qui libera voluntatis determinatione uſus iſtius compos fieri deſiderat.

§. 46.

Quid ſint fines a Deo intenti.

Uſus facultatum animæ & organorum corporis ſunt fines a Deo intenti. Etenim uſus rerum naturalium omnium ſunt fines a Deo intenti (§. 648 *part. I. Theol. nat.*). Quoniam igitur in harum numero etiam ſunt facultates animæ & organa corporis humani; quin eorundem quoque uſus ſint fines a Deo intenti, dubitari nequit.

Ita cognitio eorum, quæ ſunt ac fiunt in univerſo, ſibi acquirenda & conſervatio corporis ſunt fines, quos Deus intendit, dum hominem produxit, cui inſunt ſenſus & organa ſenſoria atque vitalia, ac ideo dicendus eſt dediſſe animæ facultatem ſentiendi corpuſque inſtruxiſſe organis ſenſoriis ac vitalibus, ut homo eorum, quæ ſunt & fiunt in univerſo, hoc eſt, cognitionem rerum creatarum hiſtoricam acquirere vitamque ſuam conſervare valeret.

§. 47.

Quando actiones liberæ & naturales per eaſdem, quando per diverſas rationes finales determinantur.

Si agens ideo agit, ut eum, quem habere poſſunt uſum facultates animæ & organa corporis, actu conſequatur; actiones liberæ per eaſdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales: ſi vero quid ab eo diverſum intendit; actiones liberæ determinantur per rationes finales diverſas ab iis, per quas determinantur naturales. Etenim ſi agens ideo agit, ut eum, quem habere poſſunt uſum facultates animæ & organa corporis, actu conſequatur; per hunc ipſum uſum intelligitur, cur actio libera potius edatur, quam non edatur, aut, ſi privativa fuerit, cur potius non edatur, quam edatur (§. 24). Eſt igitur ratio actionis poſitivæ editæ & privativæ non editæ (§. 56 *Ontol.*). Uſus autem iſte tum in finem abit (§. 45), adeoque ratio finalis eſt. Et quia de agente affirmari poteſt actio libera edita, vel non edita, quod hunc finem intendit *per hypoth.* ea per hanc rationem finalem determinatur (§. 113 *Ontol.*). Similiter quia uſus facultatum animæ & organorum corporis ſunt fines a Deo intenti (§. 46), & tam corpus, quam anima per eſſentiam & naturam ſuam agit propter iſtos fines (§. 661 *part. I Theol. nat.*), hæ autem actiones naturales ſunt (§. 12); per uſus iſtos intelligitur, cur tales potius ſint actiones animæ ac corporis naturales, quam aliæ, conſequenter iidem ſunt rationes finales actionum

natura-

Digitized by Google

naturalium animæ atque corporis. Et quia de anima atque corpore affirmantur iſtæ actiones, quod propter hoſce fines agere tenentur; actiones naturales corporis atque animæ per haſce rationes finales determinantur (§. 113 *Ontol.*). Patet itaque actiones liberas cum naturalibus per eaſdem rationes finales determinari, ſi agens ideo agit, ut eum, quem habere poſſunt uſum facultates animæ & organa corporis, actu conſequatur. *Quod erat unum.*

Si agens quid intendit ab eo, quem facultates animæ & organa corporis habent, uſu diverſum; propter alium agit finem, quam ſi eundem uſum intendit (§. 183. 932 *Ontol.*). Enimvero ſi uſum iſtum intendit, actio libera per eandem rationem finalem determinatur, per quam determinatur naturalis *per demonſtrata*. Ergo ſi ab eo quid diverſum intendit, per aliam rationem finalem determinari debet, quam naturalis. *Quod erat alterum.*

Quodſi quæſiveris, num actiones liberæ ab homine per eaſdem rationes finales determinari poſſint, per quas determinantur naturales; a poſteriori patet, id utique a nobis fieri poſſe. Ne tamen quid ſine probatione ſumſiſſe videamur; propoſitionem ſequentem addere lubet.

§. 48.

Diverſus modus determinandi actiones liberas.

Actiones liberæ per eaſdem & diverſas ab iis rationes finales determinari poſſunt, per quas determinantur naturales. Organa vitalia ſimul ſumta hunc habent uſum, ut per eorum functiones vita corporis conſervetur, conſequenter cum conſervatio vitæ corporis ſit finis a Deo intentus (§. 46); functiones organorum vitalium, per eſſentiam & naturam eorundem, hoc eſt, eorum ſtructuram (§. 276 *Coſmol.*) & vim activam ac paſſivam (§. 145 *Coſmol.*) determinatæ (§. 277. 142 *Coſmol.* & §. 113 *Ontol.*), adeoque actiones corporis qua vivi naturales (§. 12), per conſervationem vitæ corporis tanquam rationem finalem determinantur (§. 113 *Ontol.*). Enimvero nemo non novit, nos in eligendo potu ac cibo unum alteri præferre poſſe, quod hunc potius, quam alium ſanitati corporis conſervandæ conducere noverimus, conſequenter unum præ altero appetere, ut vita corporis conſervetur, nec quid a nobis committatur ejus conſervationi adverſum. Quoniam itaque cibi ac potus electio a libertate animæ dependet (§. 941 *Pſychol. empir.*), adeoque actio libera eſt (§. 12), & vitæ conſervatio finis eſt (§. 932 *Ontol.*); actio hæc libera per vitæ conſervationem tanquam rationem finalem determinatur (§. 113 *Ontol.*). Enimvero per eandem rationem finalem determinantur quoque actiones naturales corporis qua vivi *per demonſtrata*. Patet itaque actiones hominis liberas per eaſdem rationes finales determinari poſſe, per quas determinantur naturales.

Porro nemo eſt, qui neſciat, plurimos cibum ac potum unum præferre alteri, propterea quod ſapor illius magis delectat, quam hujus, etſi non ignorent, eundem ſanitati parum convenire. Unde eſt, quod vernacula

nacula

Digitized by Google

nacula dicitur: ***Ich eſſe, vvas mir ſchmeckt, und leide, vvas ich kan***, hoc eſt, quæ bene ſapiunt, comedo paſſurus, quæ tolerare poſſum. Nec dubitandum eſt, voluptatem ex ſapore cibi ac potus percipiendam eſſe finem, qui intenditur in cibi ac potus electione ac perceptione (§. 932 *Ontol.*). Quoniam itaque actio hominis libera in capiendo cibo ac potu determinatur per eandem rationem finalem, per quam determinantur actiones corporis qua vivi naturales, ſi unus alteri præfertur, propterea quod illum ſanitati conducere, hunc eidem averſari agnoſcas *per demonſtrata*; evidens eſt actiones hominis liberas determinari etiam poſſe per rationes finales diverſas ab iis, per quas determinantur naturales (§. 113 *Ontol.*).

Quoniam quod facti eſt, a poſteriori probatur (§. 434 *Pſychol. empir.* & §. 665 *Log.*), ab eo, quod actu fit, argumentando ad id, quod fieri poteſt (§. 170 *Ontol.*); haudquaquam difficile foret plura cumulare facta, per quæ idem probatur. Enimvero quia de iis agendum nobis erit, quando diverſa actionum humanarum genera ad rectitudinem reducturi ſumus; non opus eſt ut in evincenda poſſibilitate hypotheſeos propoſitionis præcedentis ad plura deſcendamus: neque enim admittenda eſt identitas determinationis actionum liberarum ac naturalium per eaſdem rationes finales, niſi ubi eidem locum eſſe demonſtrari poteſt. Abſit itaque ut quis ſibi perſuadeat, poſſibilitatem propoſitionis præcedentis argumentando a particulari ad univerſale inſufficienter a nobis fuiſſe probatam.

§. 49.

Quando actiones liberæ ad perfectionē & imperfectionē hominis tendant.

Si actiones liberæ per eaſdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales; ad perfectionem hominis tendunt: ſi vero determinantur per diverſas; ad imperfectionem ejuſdem tendunt. Etenim ſi actiones liberæ per eaſdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales, cum finis ſit id, propter quod cauſa efficiens agit (§. 932 *Ontol.*), inter ſe vero conſentiant, quæ ad idem aliquod obtinendum tendunt (§. 503 *Ontol.*); actiones liberæ ac naturales inter ſe conſentiunt. Quamobrem cum in hoc conſenſu conſiſtat perfectio hominis accidentalis (§. 528 *Ontol.*); ſi actiones liberæ per eaſdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales, ad perfectionem hominis tendunt. *Quod erat primum.*

Quodſi actiones liberæ per diverſas rationes finales determinantur, quam per quas determinantur naturales, cum finis ſit id, propter quod cauſa efficiens agit (§. 932 *Ontol.*), a ſe invicem vero diſſentiant, quæ ad contraria obtinenda tendunt (§. 504 *Ontol.*); actiones liberæ & naturales inter ſe diſſentiunt. Quamobrem cum in hoc diſſenſu imperfectio hominis conſiſtat (§. 504 *Ontol.*); ſi actiones liberæ & naturales per diverſas rationes finales determinantur, ad imperfectionem hominis tendunt.

Omnes functiones naturales organorum vitalium corporis ad conſervationem ejus tendunt, cumque adeo actiones naturales per naturam & eſſentiam corporis determinantur (§. 12), perfectionem corporis qua vivi eſſentialem loquuntur functiones organorum vitalium (§. 528 *Ontol.*). Quodſi jam actiones liberæ, quatenus corpus reſpiciunt, ad ejus etiam conſervationem tendant, eædem non modo perfectionem hominis accidentalem loquuntur, quatenus ad eas hoc modo determinandas aptus deprehenditur, ſed eandem quoque promovent, quatenus per eas aptus efficitur ad eas ſic potius, quam aliter determinandas, & aptitudo acquiſita augetur & conſervatur (§. *cit. Ontol.*). Sed hæc ex ſpeciali tractatione clarius

eluce-

elucefcent, per quam diſpellentur nebulæ, quæ in generalibus adhuc menti offunduntur, quamdiu a notionibus ſpecialibus vacua. Nimirum quomodo ſingulæ actiones liberæ ad perfectionem hominis tendant, ut per eas fiat accidentaliter perfectus, & ſtatus ejus tam internus, quam externus perfectus evadat, id ipſum eſt, quod in omni theoria actionum liberarum demonſtrandum. Abſit autem, ut quis ſibi perſuadeat, demonſtrationes omnes procedere ex notione generali perfectionis: ea enim non niſi directrix eſt & in generalibus ſatisfacit. Ex iis vero, quæ inde deducuntur, applicatione ad hominem quoad animam & corpus facta, continuo deducuntur alia indivulſo nexu cohærentia, ita ut quædam ſint principiis primis propiora, alia vero remotiora. Abunde hæc patebunt, ubi omnis actionum humanarum theoria, ampliſſima profecto, fuerit abſoluta: neque enim loquimur niſi experta, quamvis, ſi opus foret in has ambages deſcendere, a nobis quoque haud difficulter demonſtranda.

§. 50.

Actiones liberæ vel tendunt ad perfectionem hominis, vel ad ejuſdem imperfectionem. Etenim actiones liberæ determinari poſſunt vel per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales, vel per diverſas ab iis, per quas hæ determinantur (§. 48). Enimvero ſi actiones liberæ per eaſdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales; ad perfectionem hominis tendunt: ſi vero determinantur per diverſas, ad ejuſdem imperfectionem tendunt (§. 49). Liberæ igitur actiones vel ad perfectionem hominis, vel ad ejuſdem imperfectionem tendunt.

Actionũ liberarũ differentia quoad nos.

Poteramus hoc ſumere, utque intelligeretur, quod ſumitur & pateret non ſumi, quod impoſſibile, uno alteroque exemplo declarare. Ne quid tamen prætermiſiſſe videremur, quod ab acutioribus deſiderari poterat, non inconſultum duximus, ut idem demonſtraremus. Quodſi tamen quis notiones ontologicas, in quas reſolvitur demonſtratio, nondum ſatis familiares experiatur; is differentiam hanc actionum liberarum ſumat, cum in ſpeciali tractatione nullam admiſſuri ſimus tanquam ad perfectionem hominis tendentem, niſi de qua id demonſtratum fuerit. Præſtat quædam ſumi, quam in eorum demonſtratione hæſitare, ne aſſenſus præter neceſſitatem vacillet, cauſa ab hæſitante non facile detegenda.

§. 51.

Actiones quædam liberæ tendunt ad perfectionem ſtatus externi, vel ad imperfectionem ejuſdem. Nemo non novit opes, hoc eſt, res, quibus indigemus ad vitæ neceſſitatem, commoditatem & jucunditatem, cum ſint extra nos (§. 544 *Ontol.*), ad ſtatum noſtrum externum pertinere (§ 706 *Ontol.*). Nec minus conſtat, ſtatum externum reddi perfectiorem opes acquirendo, conſervando & augendo: quod tanquam conceſſum nunc ſumimus, ſuo loco ex primis notionibus demonſtrandum. Actiones itaque, quæ tendunt ad opes acquirendas, conſervandas & augendas, ut non modo vitæ neceſſitati proſpicere, verum etiam eam commode ac jucunde tranſigere valeamus, ad perfectionem ſtatus externi tendunt. Atque adeo patet, dari actiones liberas, quæ ad ſtatus externi perfectionem tendunt.

Earundem differentia quoad ſtatum externum.

Quoniam opes acquirendo, conſervando & augendo ſtatus externus perficitur; ex adverſo idem imperfectior evadit, ſi eas acquirere negligimus, ut ne nobis quidem adſint, quæ ad vitæ neceſſitatem requiruntur, nedum ut vitam commode & jucunde tranſigere valeamus; ſi acquiſitas dilapidamus, nec caſibus futuris proſpicientes eas, cum poſſimus, augere

ſtudemus. Dantur itaque actiones liberæ tam poſitivæ, quam privativæ; quæ tendunt ad ſtatus externi imperfectionem.

Atque adeo patet, actiones quaſdam liberas tendere ad ſtatus externi perfectionem, vel ad imperfectionem ejuſdem.

Hic nobis aliud propoſitum non eſt, quam adſtruere poſſibilitatem tendentiæ actionum liberarum ad ſtatus externi perfectionem & imperfectionem. Quænam vero ſint illæ actiones, quæ ad perfectionem & imperfectionem ſtatus externi tendunt; ſuo loco demonſtrabitur.

§. 52.

Quando actiones, quibus perficitur ſtatus externus, tendant ad perfectionē noſtri.

Si ſtatus externus perficitur perfectionis noſtræ acquirendæ, vel jam acquiſitæ conſervandæ & augendæ gratia; actiones liberæ ad perfectionem ſtatus noſtri externi tendentes ſimul tendunt ad perfectionem noſtri. Etenim ſi ſtatus externus perficitur perfectionis noſtræ acquirendæ, conſervandæ & augendæ gratia; actiones liberæ, quibus is perficitur, perfectionem noſtram reſpiciunt tanquam finem (§ 932 *Ontol.*), & ea, quibus perfectio ſtatus noſtri continetur, ſpectantur tanquam media illius obtinendæ, vel conſervandæ atque augendæ (§. 937 *Ontol*). Quoniam itaque actiones iſtæ eduntur, ut per ea, quæ iis acquiruntur, perfectionem noſtram promovere valeamus, cum media velle debeat, qui vult finem (§. 941 *Ontol.*); extra omnem controverſiæ aleam poſitum eſt, actiones liberas, quibus ſtatus externus perficitur, tendere ſimul ad perfectionem noſtri, ſiquidem ſtatus externus perfectionis noſtræ acquirendæ, vel conſervandæ atque augendæ gratia perficitur.

E. gr. Si quis opes appetit, ne deſint ſumtus neceſſarii in conſervationem corporis & perfectionem ſui reliquam impendendi; eum omnes actiones, quas opum acquirendarum & conſervandarum gratia edit, dirigere ad perfectionem ſui tanquam finem, conſequenter eas ad eandem tendere, nemo dubitare poteſt.

§. 53.

Actionū liberarum differentia.

Actiones liberæ vel bonæ ſunt, vel malæ. Etenim actiones liberæ vel tendunt ad perfectionem hominis, vel ad ejuſdem imperfectionem (§. 50); aliæ tendunt ad perfectionem ſtatus externi, vel ad imperfectionem ejuſdem (§. 51), &, ubi ſtatus externus perficitur perfectionis noſtræ acquirendæ, vel jam acquiſitæ conſervandæ ac augendæ gratia, quæ ad perfectionem ſtatus noſtri externi tendunt, ſimul ad perfectionem noſtri tendunt (§. 52). Enimvero bona eſt actio, quæ nos ſtatumque noſtrum externum perficit (§. 554 *Pſychol. empir.*), mala vero, quæ nos ſtatumque noſtrum externum imperfectiorem reddit (§. 565 *Pſychol. empir.*). Actiones itaque liberæ vel bonæ, vel malæ ſunt.

Nondum inquirimus, utrum dentur actiones liberæ, quæ neque bonæ ſint, neque malæ, ſed indifferentes, quod ſcilicet neque nos ſtatumque noſtrum perfectiorem, neque imperfectiorem reddant, ſed ad utrumque ſeſe indifferenter habeant: neque enim adeo facile hoc definiri poteſt. Equidem novi multis indifferentes videri bene multas hominum actiones, præſertim eas, quæ nihil in receſſu habere putentur; ſed ſuo loco patebit, acutioribus eas non apparere tales, qui naturæ conſuetudinem intimius perſpiciunt, per inſenſibilia incrementa ad maxima tendentis.

§. 54.

§. 54.

Actionũ bonarum & malarum determinatio.

Actiones bonæ per eaſdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales; malæ autem per diverſas. Etenim actiones bonæ ad noſtram ſtatuſque noſtri perfectionem (§. 554 *Pſychol. empir.*), malæ autem ad noſtram ſtatuſque noſtri imperfectionem tendunt (§. 565 *Pſychol. empir.*). Enimvero actiones liberæ, quæ ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri ſimul tendunt, per eaſdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales, & contra quæ ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri ſimul tendunt, determinantur per diverſas (§. 49. 52). Quamobrem quæ actiones bonæ ſunt, per eaſdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales; malæ autem quæ ſunt, per diverſas rationes finales determinantur.

Fœcundiſſimum hoc eſt in philoſophia practica principium, quemadmodum ex ſequentibus abunde patebit. Non nego, quod, qui edit actionem bonam vel malam, non ſemper perpendat rationem iſtam finalem; ſed ſufficit, quod per eam determinari poſſit ac debeat, quodque per eam determinetur, quatenus phyſice ſpectatur.

§. 55.

Undenã actiones ſint bonæ, unde malæ.

Si actiones liberæ per eaſdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales; bonæ ſunt: ſi vero determinantur per diverſas; malæ ſunt. Si actiones liberæ per eaſdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales; ad perfectionem hominis tendunt (§. 49). Actiones bonæ ſunt, quæ ad perfectionem hominis tendunt (§. 554 *Pſychol. empir.*). Ergo ſi actiones liberæ per eaſdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales, bonæ ſunt. *Quod erat unum.*

Similiter ſi actiones liberæ per diverſas rationes finales determinantur, quam per quas naturales determinantur; ad imperfectionem hominis tendunt (§. 49). Enimvero ſi actiones liberæ ad imperfectionem hominis tendunt, malæ ſunt (§. 565 *Pſychol. empir.*). Quamobrem ſi actiones liberæ per rationes finales diverſas ab iis determinantur, per quas naturales determinantur, malæ ſunt. *Quod erat alterum.*

Propoſitio hæc converſa prioris eſt: eadem vero ſæpius utemur. Non licet excipere, actionem aliquam poſſe ab agente rationali determinari per eaſdem rationes finales, per quas naturales determinantur, & hoc non obſtante tendere ad imperfectionem hominis, conſequenter malam eſſe (§. 565 *Pſychol. empir.*), veluti ſi quis appetit cibum vitæ ac ſanitatis conſervandæ gratia, quem eidem prodeſſe arbitratur, cum tamen adverſetur. Enimvero determinatio actionis liberæ ſic præſupponit errorem, huicque debetur, quod mala ſit, quæ bona exiſtimatur. In theoria autem ſupponimus, determinationem eſſe ab omni errore liberam. Quæritur enim, quomodo ſeſe habeant actiones humanæ, ſi ſecundum rei veritatem ſpectentur omnia, quæ circa eas conſideranda veniunt. Nimirum qui in dato exemplo cibum appetit ſanitatis conſervandæ gratia, ſi cum ratione agit, nolle utique debet, cibum, quem nunc appetit, non eſſe ſanitati inimicum, ſed ſalubrem: alias actio vitiatur per intellectum, etſi non vitietur per appetitum. Sed hæc ex ſequentibus clarius eluceſcent, ubi diſtinctius expoſituri ſumus, quomodo actiones liberæ fiant vitioſæ. Hic ſufficit notaſſe, citra errorem ſeu ex rei veritate actiones liberas per eaſdem rationes finales cum naturalibus determinari minime poſſe, niſi cum naturalibus ejuſdem ſint naturæ, adeoque ad perfectionem hominis tendant, quemadmodum jam ante annotavimus (*not.* §. 54). Curandum nobis eſt, ut non modo facultas appetitiva, verum etiam cognoſcitiva nullo laboret defectu: ne-

Digitized by Google

que enim ulla concipitur actio humana abſque utriuſque facultatis actibus. Notandum præterea eſt actiones liberas dupliciter ſpectari poſſe, ſcilicet quatenus phyſice determinantur, tum quatenus determinantur libera noſtra voluntate. Determinatio actionis liberæ phyſica & ea, quæ proficiſcitur a libertate, per eaſdem rationes fieri debet finales, ne contradictionem involvat. Quodſi itaque determinatio libera a contradictione immunis eſſe debet, fieri haudquaquam poteſt, ut cibum ſanitatis conſervandæ gratia appetas, qui eidem infeſtus eſt, adeoque determinationem iſtam non admittit. Sane voluntate noſtra non efficitur poſſibile, quod in ſe impoſſibile eſt.

§. 56.

Actionis in ſe bonæ definitio.

Actio dicitur ***in ſe bona***, quæ per determinationes eſſentiales bona eſt, hoc eſt, ſi ex iis determinationibus, per quas concipitur tanquam actio ab aliis genere vel ſpecie diſtincta, ſeu certi cujuſdam generis aut ſpeciei, demonſtrari poſſit, quod ſit bona.

E. gr. Cibum quendam certa quantitate capere tanquam actio concipitur per actum comeſtionis, per cibum, qui capitur, & per quantitatem, quæ capitur, tanquam determinationes eſſentiales (§. 142. 143 *Ontol.*). Quatenus itaque ex hiſce determinationibus demonſtrari poteſt, actionem hanc eſſe bonam; ea in ſe bona eſt. Nimirum bonitas de hac actione prædicatur per ea, quæ ad eam neceſſario requiruntur, & ſine quibus ea actio non eſt. Quemadmodum itaque triangulo in ſe competit, quod tres anguli ſint duobus rectis æquales, propterea quod hoc de ipſo demonſtratur, quia tribus lineis rectis terminatur; ita quoque bonitas in ſe convenit actioni, ſi ex iis, ſine quibus concipi nequit, demonſtratur quod ſit bona. Bonitas nimirum hic ſeſe habet per modum attributi (§. 146 *Ontol.*), quatenus per ea, ſine quibus concipi nequit actio, adeoque per ea, quæ tanquam eſſentialia ipſius ſpectantur, determinatur (§. 113 *Ontol.*). Probe notandum eſt, quo ſenſu actio in ſe bona dicatur, ne defectu notionis diſtinctæ negetur, quod luce meridiana clarius. In luce enim meridiana caligant, qui in notionibus confuſis & obſcuris acquieſcunt & haud raro terminis inanibus contenti per notiones deceptrices & ſibimetipſis, & aliis imponunt.

§. 57.

Bonitas intrinſeca actionis quænam dicatur.

Bonitas actionis intrinſeca appellatur, quæ eidem competit per ea, ſine quibus concipi nequit, ſeu propter determinationes eſſentiales & accidentales ejuſdem, ſeu, quod perinde eſt, quæ rationem ſufficientem in iſtis determinationibus habet. Quoniam itaque per rationem ſufficientem intelligitur, cur quid potius ſit, quam non ſit (§. 56 *Ontol.*); *per ea, ſine quibus actio concipi nequit, ſeu per determinationes eſſentiales & accidentales ejuſdem intelligitur, cur bonitas intrinſeca eidem competat*. Et quoniam poſita ratione ſufficiente ponitur id, quod propter eam potius eſt, quam non eſt (§. 118 *Ontol.*); *poſitis iis, ſine quibus actio concipi nequit, ſeu determinationibus ejus eſſentialibus & accidentalibus poſitis ponitur ejus bonitas intrinſeca*.

Habes hic notionem directricem in bonitate actionum intrinſeca demonſtranda, probe adeo perpendendam ob rationem modo datam (*not.* §. 55).

§. 58.

Actio in ſe mala quænam dicatur.

Actio in ſe mala dicitur, quæ per determinationes eſſentiales mala eſt; hoc eſt, ſi ex iis determinationibus, per quas concipitur tanquam actio certi cujuſdam generis vel ſpeciei, demonſtrari poſſit, quod ſit mala.

E. gr. Si ex eo, quod cibum quendam certa quantitate capias, demonſtrari poſſit, actionem hanc eſſe malam; ea in ſe mala eſt. Applicari hic poſſunt, mutatis mutandis, quæ de actionibus in ſe bonis annotavimus (*not.* §. 55).

§. 59.

§. 59.

Malitia intrinſeca actionis quænam dicatur.

Malitia actionis intrinſeca appellatur, quæ eidem competit per notionem ejuſdem, ſeu propter determinationes eſſentiales & accidentales ejuſdem, ſeu, quod perinde eſt, quæ rationem ſufficientem in iſtis determinationibus habet. Quoniam itaque per rationem ſufficientem intelligitur, cur quid potius ſit, quam non ſit (§. 56 *Ontol.*); *per notionem actionis, ſeu per determinationes eſſentiales & accidentales ejuſdem intelligitur, cur malitia intrinſeca eidem competat*. Et quoniam poſita ratione ſufficiente ponitur id, quod propter eam potius eſt, quam non eſt (§. 118 *Ontol.*); *poſita notione actionis, ſeu determinationibus ejus eſſentialibus & accidentalibus poſitis, ponitur ejus malitia intrinſeca.*

Habes hic notionem directricem in malitia actionnm intrinſeca demonſtranda, probe notandam per ea, quæ paulo ante (*not.* §. 55) de notione actionum per ſe bonarum annotavimus.

§. 60.

Actio in ſe indifferens quænam dicatur.

Actio per ſe indifferens dicitur, quæ per determinationes eſſentiales neque bona, neque mala eſt, hoc eſt, ſi ex iis determinationibus, per quas concipitur tanquam actio certi generis vel ſpeciei, demonſtrari non poſſit, quod ſit bona, nec quod ſit mala.

E. gr. Ex notione deambulationis ſola demonſtrari nequit, qnod bona ſit, vel mala. Unde deambulatio præciſis circumſtantiis & non attento fine deambulantis ſpectata, neque bona eſt, neque mala. Et eatenus dicitur in ſe indifferens. Iſtiuſmodi actiones longe plurimæ ſunt. Cavendum tamen, ne indifferentia actionum extendatur ultra id, quod in definitione continetur: quam ideo apponere libuit, ne confuſa notio pariat errorem.

§. 61.

Actio in ſe indifferens quando bona vel mala fiat.

Si actio in ſe indifferens propter determinationes accidentales ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri quomodocunque tendit; in bonam abit: ſi vero propter eaſdem ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendit; mala evadit. Etenim ſi actio in ſe indifferens propter determinationes accidentales ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri quomodocunque tendit; poſitis iſtis determinationibus accidentalibus fieri nequit, ut ad eandem non tendat (§. 28 *Ontol.*). Quamobrem cum bona ſit actio, quæ ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri externi tendit, ſeu, quod perinde eſt, nos ſtatumque noſtrum perficit (§. 554 *Pſychol. empir.*); actio in ſe indifferens ſi propter determinationes accidentales ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri externi quomodocunque tendit, bona eſt, conſequenter cum in ſe eſſet indifferens *ex hypotheſi*, nunc bona evadit.

Similiter mala eſt actio, quæ ad noſtram ſtatuſque noſtri imperfectionem quomodocunque tendit (§. 565 *Pſychol. empir.*). Enimvero actio in ſe indifferens, quæ *ex hypotheſi* propter determinationes accidentales ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendit, ad eandem tendit (§. 28 *Ontol.*). Quamobrem actio in ſe indifferens, ſi propter determinationes accidentales ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendit, mala eſt, conſequenter, cum in ſe eſſet indifferens *ex hypotheſi*, nunc mala evadit.

Quæ

Quæ de actionum in ſe indifferentium bonitate & malitia hic demonſtrantur, probe notanda veniunt, ne Lex naturæ intra arctiores limites coerceatur, quam par eſt, aliiſque præjudiciis ac erroribus latæ pandantur fores. Ex Ontologia atque Logica claret, duplicis generis eſſe prædicata, quæ enti unicuique conveniunt: alia ſcilicet abſoluta, quæ vi determinationum eſſentialium, per quas ens unumquodque tanquam certi generis, vel ſpeciei concipitur, eidem tribuuntur; alia vero hypothetica, quæ eidem non conveniunt, niſi propter determinationes quaſdam accidentales eſſentialibus ſupervenientes. Hinc nimirum eſt differentia, quæ inter propoſitiones categoricas atque hypotheticas intercedit (§. 216. 218 *Log.*). Eodem modo bonitas & malitia, quæ de actionibus liberis prædicatur, ſpectari debet vel ut prædicatum abſolutum, quod actioni tribuitur vi determinationum eſſentialium, per quas tanquam actio certi generis aut ſpeciei concipitur; vel ut hypotheticum, quod eidem tribui nequit, niſi determinationibus eſſentialibus aliis accidentalibus adhuc ſupervenientibus. Unde propoſitiones, quibus enuntiatur, actionem aliquam eſſe bonam vel malam, in priori caſu categoricæ ſunt, in poſteriori hypotheticæ. Quemadmodum autem omni propoſitioni, ſive categoricæ, ſive hypotheticæ veritas ineſt, vel falſitas, ex notione ſubjecti demonſtrabilis (§. 551 & ſeqq. *Log.*); ita quoque bonitas & malitia non minus de actionibus demonſtrari poteſt, ſi hypothetica fuerit, quam ſi abſoluta extiterit. E. gr. Agnitio Dei actio bona eſt in ſe, & bonitas de ea prædicatur abſolute. Dictum vero eſt ante, deambulationem in ſe eſſe indifferentem, ut neque bonitas, neque malitia de eadem abſolute prædicari poſſit. Enimvero ſi deambulatio faciat ad ſanitatis conſervationem, quatenus corpus noſtrum ita diſpoſitum eſt, ut hoc indigeat motu; actio erit bona, ſed bonitas de eodem non prædicatur, niſi ſub hac conditione, quod corpus noſtrum in eo, quo nunc eſt ſtatu, indigeat iſtiuſmodi motu, qui deambulationi ineſt. Ex adverſo ſi deambulatio fiat eo tempore, quo aliis negotiis non intermittendis vacare debemus; actio erit mala, ſed malitia denuo de eadem non prædicatur, niſi ſub hac conditione, quod neceſſario conjuncta ſit cum negligentia eorum, quæ a nobis fieri debent. Abunde patebit ex ſpeciali tractatione, quænam differentia intercedat inter actiones in ſe bonas atque malas, & eas, quæ in ſe indifferentes ſunt, propter determinationes vero accidentales ſupervenientes nunc malæ, nunc bonæ evadunt. Theoria enim completa actionum, ubi methodo demonſtrativa conditur, non minus propoſitiones categoricas, quam hypotheticas complecti debet, quarum illis enuntiatur bonitas & malitia actionibus abſolute competens: hiſce vero bonitas & malitia nonniſi ſub certa conditione iiſdem tribuenda. Ubivis autem tam bonitas, quam malitia deducitur ex notionibus boni atque mali generalibus, quamvis non immediate.

§. 62.

Quando actiones intrinſece bonæ ſint.

Actiones in ſe bonæ, itemque *actiones in ſe quidem indifferentes, ſed propter determinationes accidentales in bonas abeuntes, bonitatem intrinſecam habent*. Si enim actiones in ſe bonæ ſunt, ex determinationibus eſſentialibus, per quas certi generis vel ſpeciei actiones concipiuntur, demonſtrari poteſt, quod ſint bonæ (§. 56). Et, ſi actiones in ſe quidem indifferentes ſunt, ſed propter determinationes accidentales in bonas abeunt, ex ſolis quidem determinationibus eſſentialibus, per quas in certo actionum genere, vel certa earundem ſpecie conſtituuntur, demonſtrari nequit, quod ſint bonæ (§. 60); cum tamen in bonas abeant, quatenus propter determinationes accidentales eſſentialibus ſupervenientes ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 61), ex determinationibus eſſentialibus & accidentalibus ſupervenientibus ſimul ſumtis demonſtrari poteſt, quod ſint bonæ. Poſitis igitur in caſu priori determinationibus eſſentialibus ſolis, in poſteriori una cum hiſce adhuc aliis accidentalibus, ponitur actionum bonitas, quemadmodum ex natura demonſtrationis manifeſtum eſt (§ 549 & ſeqq. *Log.*). Quamobrem cum intrinſeca ſit bonitas actionum,

quæ

Digitized by Google

quæ poſitis determinationibus eſſentialibus, per quas in certo actionum genere vel ſpecie conſtituuntur, vel ſolis, vel una cum ipſis adhuc aliis accidentalibus, ponitur (§. 57); actiones tam in ſe bonæ, quam in ſe quidem indifferentes, ſed propter determinationes accidentales eiſdem ſupervenientes in bonas abeuntes, intrinſecam bonitatem habent.

Si quis bonitatem intrinſecam tantummodo tribuere vellet actionibus in ſe bonis, eandem vero denegaret actionibus in ſe quidem indifferentibus, propter determinationes tamen accidentales ſupervenientes in bonas abeuntibus, nulla id faceret ratione. Etenim cur bonitas intrinſeca tribuitur actionibus in ſe bonis? Sane non alia de cauſa, quam quod ex notione actionis demonſtrari poteſt, quod ſit bona, hoc eſt, quod tendat ad noſtram ſtatuſque noſtri perfectionem (§. 554 *Pſychol. empir.*). Enimvero ex notione quoque actionum indifferentium in ſe, ſi accidentales quædam determinationes una cum eſſentialibus eandem ingrediantur, demonſtrari poteſt, quod ſint bonæ, hoc eſt, quod tendant ad noſtram ſtatuſque noſtri perfectionem. Quænam igitur ſubeſſe debet ratio, cur hic bonitas non minus intrinſeca eſſe debeat, quam in caſu altero? Quodſi regeras, hanc intercedere differentiam, quod ibi bonitas ex ſolis determinationibus eſſentialibus, hic vero ex eſſentialibus & accidentalibus quibuſdam ſimul ſumtis fluat; concedendum equidem eſt, bonitatem intrinſecam in caſu priori eſſe eſſentialem, atque adeo abſolute neceſſariam, in poſteriori accidentalem, atque adeo hypothetice neceſſariam, hoc tamen non obſtante, cum per ipſam actionis notionem, ſeu ea, quæ de actione ſumuntur, eadem neceſſario bona ſit, utraque intrinſeca manet, quemadmodum veritas non minus propoſitioni hypotheticæ, quam categoricæ ineſt, propter neceſſitatem prædicandi ex notione ſubjecti fluentem, utut in categorica ea fluat ex determinationibus eſſentialibus ſolis, in hypothetica vero ex eſſentialibus & aliis accidentalibus ſimul ſumtis. Sane non minus immutabiliter bona eſt deambulatio ſanitati conſervandæ proficua, quam comeſtio cibi eidem inſervientis. Quando de bonitate intrinſeca quæſtio eſt, non aliud quæritur, quam num ex iis, quæ de actione ſumuntur, demonſtrari poſſit, utrum bona ſit, nec ne. Bonitas enim intrinſeca opponitur arbitrariæ, quæ ab arbitrio ſuperioris pendet, & ex iis, quæ de actione ſumuntur, demonſtrari nequit.

§. 63.

Quando actiones intrinſece malæ ſint. *Actiones in ſe malæ, itemque actiones in ſe quidem indifferentes, ſed propter determinationes accidentales in malas abeuntes, malitiam intrinſecam habent.* Si enim actiones in ſe malæ ſunt, ex determinationibus eſſentialibus, per quas certi generis vel certæ ſpeciei actiones concipiuntur, demonſtrari poteſt, quod ſint malæ (§. 58). Et, ſi actiones in ſe quidem indifferentes ſunt, ſed propter determinationes accidentales ſupervenientes malæ evadunt, ex determinationibus equidem eſſentialibus ſolis demonſtrari nequit, quod ſint malæ (§. 60); cum tamen malæ evadant, quatenus propter determinationes accidentales eſſentialibus ſupervenientes ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 61), ex determinationibus eſſentialibus & accidentalibus ſupervenientibus ſimul ſumtis demonſtrari poteſt, quod ſint malæ, conſequenter poſitis in caſu priori determinationibus eſſentialibus ſolis, in poſteriori autem una cum iiſce adhuc aliis accidentalibus, ponitur actionum malitia per ipſam demonſtrationis naturam (§. 549 & ſeqq. *Log.*). Quoniam itaque intrinſeca eſt actionum malitia, quæ poſitis determinationibus vel eſſentialibus ſolis, vel adhuc aliis nonnullis accidentalibus ponitur (§. 59); actiones non minus in ſe indifferentes, ſed propter accidentales determinationes in malas abeuntes, quam in ſe malæ intrinſecam habent malitiam.

Quæ

Digitized by Google

Quæ modo prolixe inculcavimus de intrinſeca actionum bonitate (*not.* §. 62), ea quoque tenenda ſunt de earundem malitia intrinſeca. Erunt forſan, qui mirabuntur, in re manifeſta nos eſſe adeo prolixos. Enimvero non mirabuntur amplius, ubi perpenderint, poſtquam *Puffendorfius* bonitatem & malitiam actionum intrinſecam rejecit, & utramque nonniſi arbitrariam eſſe voluit, ab arbitrio ſuperioris unice fluentem, plurimoſque hodie inter nos nactus aſſeclas, bonitatem & malitiam actionum intrinſecam, antehac a Theologis & Philoſophis unanimiter aſſertam & magno fervore initio contra *Puffendorfium* defenſam, tanquam impiam & religioni boniſque moribus adverſam, traduci ab hominibus, qui dicendi auctoritate ſibi pollere videntur, temerario faſtu damnantes, quæ olim a magiſtris ſuis non accepere tanquam vera. Quanta vero ſit vis præjudiciorum iſtiuſmodi, nemo acutiorum eſt, qui neſciat.

§. 64.

Actionis rectæ & minus rectæ definitio.

Actio humana recta eſt, quæ rationem ſufficientem in eſſentia & attributis hominis habet, conſequenter nulli determinationi eſſentiali, vel hinc pendenti attributo contradicit. Aſt *minus recta* eſt illa, quæ determinationi cuidam eſſentiali, vel pendenti hinc attributo hominis contradicit.

Definitionem actionis liberæ rectæ generalem, quatenus competit omni agenti rationali, ipſique adeo Deo, jam dedimus in Theologia naturali (§. 950 *part. I. Theol. nat.*), cum de Jure Dei in creaturas ageremus. Quoniam tamen actionum rectitudo maximi momenti eſt in philoſophia practica, omnique Juris doctrina; hic eam in ſpecie ad actiones hominis liberas applicare libuit, ne aliunde ſupponatur, quod propriam in philoſophia practica univerſali ſedem habet, ubi differentia actionum humanarum ex inſtituto traditur. Quamobrem & eandem hic uberius expoſituri ſumus, ut penitus intelligatur, nec deſint principia ad veritates arduas demonſtrandas. Ceterum relegenda ſunt, quæ ad definitionem generalem annotavimus (*loc. cit.*).

§. 65.

Rectitudo actionis in quo conſiſtat.

Rectitudo igitur *actionis humanæ* eſt convenientia cum omnibus determinationibus hominis eſſentialibus. *Convenire* autem cum hiſce dicitur actio, quæ in iis ſimul ſumtis rationem ſufficientem agnoſcit, conſequenter *per eas explicari poteſt, cur talis potius ſit, quam non ſit, ac eſſe debeat* (§. 56 *Ontol.*).

Ut nullus ſit in rectitudine actionis defectus plura requiruntur, quam vulgo putatur. Et quamvis nomen continuo ſit in ore omnium, vulgo tamen non ſemper diſtincte perpenduntur omnia, quæ ad rectitudinem requiruntur. Noſtrum igitur eſt, ut in ea inquiramus ſollicitius.

§. 66.

Facultas locomotiva quænam dicatur.

Facultas locomotiva dicitur potentia localiter movendi corpus, ejusque partes.

Ita a facultate locomotiva eſt, quod moveamus manum, quod extendamus brachium, quod ex loco uno in alterum progrediamur.

§. 67.

Motus liberi quinam dicantur.

Motus corporis ejusque partium *liberi* appellantur, qui fiunt anima volente.

Ita brachium libere extendi dicitur, quando idem ad nutum animæ extendimus. Libere deambulare dicimur, quando deambulamus, quia volumus. Anima enim in volendo libera eſt (§. 942 *Pſychol. empir.*). Quamobrem quia in corpore non datur motus niſi anima volente, libere fieri recte dicitur. Dari iſtiuſmodi motus, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, nec quiſquam ſanus eos unquam in dubium vocavit (§. 953 *Pſychol. empir.*). Modus dependentiæ a libera voluntate non æque manifeſtus: id quod ex diverſis ſyſtematis explicandi commercium, quod inter animam atque corpus intercedit, in Pſychologia rationali explicatis, abunde intelligitur. In moralibus nullius is eſt uſus: ſufficit enim dependentiam

eſſe

Digitized by Google

eſſe manifeſtam, quemadmodum ad generationem prolis nil confert, ut diſtincte perſpicias modum, quo ea generatur, ita ut nec error in eo explicando admiſſus officiat ipſi generationi. Neque adeo opus eſt, ut in gratiam philoſophiæ moralis ullum recipiatur: in gratiam enim ſyſtematis explicandi commercium inter mentem & corpus in philoſophia practica nil quicquam immutandum (§. 538 *Pſychol. rat.*). Vanus igitur eorum metus eſt, qui verentur, ne per iſtiuſmodi ſyſtema damni quidpiam patiatur philoſophia moralis; vanæ quoque ſunt illorum querelæ, qui alta voce vociferantur, quaſi per ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ tollatur omnis moralitas actionum. Id ipſum enim tum demum valeret, ſi libertas animæ ac dependentia motuum in corpore a libera voluntate negaretur.

§. 68.

Quales actiones ſint motus liberi.

Motus liberi ſunt actiones hominis liberæ. Motus enim liberi non fiunt, niſi anima volente (§. 67), conſequenter cum anima in volendo libera ſit (§. 942 *Pſychol. empir.*), a libertate animæ pendent (§. 56. 851 *Ontol.*). Enimvero cum libera ſit actio, quæ a libera hominis voluntate dependet (§. 12); quin motus liberi ſint actiones liberæ hominis dubitandum non eſt.

Motus, quos liberos dicimus, non liberi dicuntur reſpectu corporis, cui libertatem motus quoſdam producendi nemo ſanus unquam tribuit, nec tribuere poteſt; ſed reſpectu animæ, quatenus ea motus iſtos libere vult, nec iis in corpore locus eſt, niſi poſita libera animæ voluntate. Unde & oſtendi nequit, quod ſint actiones liberæ corporis; ſed, quemadmodum habet præſens propoſitio, actiones liberæ hominis, tanquam ſubſtantiæ ex anima & corpore conſtantis: neque enim anima ſine corpore, nec corpus ſine anima homo eſt, ut adeo actio humana conſtet, & ex actionibus internis animæ, & ex motibus externis corporis vel quarundam ejus partium, tanquam compoſita ex pluribus actibus. Unde actio humana libera eſt, quatenus eam ingreditur actus liberæ voluntatis, nec abſque ea libera concipi poteſt. Si quis in ſomno brachium extendit, anima ignorante nec motum decernente; nemo extenſionem brachii liberam vocat, propterea quod eam ſoli tribuit corpori. Imo ne libera quidem dicetur, ſi vel maxime vigilans brachium extendere ſupponatur, anima ad motum iſtum non attendente, neque eundem decernente, non alia ſane de cauſa, quam quod actio iſta non involvat actum liberæ voluntatis.

§. 69.

Quales actiones ſint motus libere ceſſantes.

Si motus aliquis in corpore ceſſet, anima eundem nolente; ceſſatio motus eſt actio libera. Motus enim, qui anima volente locum habere poterat, ſi ceſſat, ceſſatio ejus actio privativa eſt (§. 24). Quoniam igitur ceſſat anima nolente *per hypoth.* cum ea in nolendo libera ſit (§ 942 *Pſychol. empir.*), ceſſatio motus a libertate animæ pendet (§. 56. 851 *Ontol.*). Enimvero libera eſt actio, quæ a libertate animæ pendet (§. 12.). Quare motus ceſſatio, anima eundem nolente, actio libera eſt.

E. gr. Si quis brachium extendere non vult, adeoque motus hic ceſſat; ceſſatio ejus ſeu non extenſio brachii actio privativa libera eſt.

§. 70.

Ex quibus actibus actio humana conſtet.

Actio humana ex actionibus intellectus, voluntatis vel noluntatis atque facultatis locomotivæ conſtat. Actiones enim externæ ſunt motus volitionibus ac nolitionibus animæ reſpondentes, quibus ea exequimur, quæ anima vult & non vult (§. 567 *part. I. Theol. nat.*). Quamobrem cum motus iſti a facultate locomotiva proficiſcantur (§. 66), & volitiones ac nolitiones ſint actiones internæ (§. 567 *part. I. Theol. nat.*); actionem humanam conſtare ex actibus facultatis locomotivæ atque voluntatis vel noluntatis conſtat. Enim-

Digitized by Google

vero anima in volendo ac nolendo libera eſt (§. 942 *Pſychol. empir.*), adeoque eligit, quod ipſi placet (§. 941 *Pſychol. empir.*), & ſi quam actionem vel quidvis aliud appetere vel averſari debet, id ante cognoſcere tenetur (§ 929. 930 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum volitiones & nolitiones ex diſtincta boni malique cognitione oriantur (§. 880 *& ſeqq. Pſychol. empir.*), adeoque ab intellectu proficiſcantur (§. 275 *Pſychol. empir.*); actionem humanam quoque ingrediuntur actus intellectus. Atque adeo patet, eam conſtare ex actibus intellectus, voluntatis vel noluntatis, atque facultatis locomotivæ.

In liberis adeo actionibus hominis dijudicandis habenda eſt ratio & actuum intellectus, & voluntatis ac noluntatis, & facultatis locomotivæ. Singuli illi facultatum actus, ex quibus conſtat actio, quatenus tanquam actio hominis conſideratur, atque ideo humana appellatur, perpendendi veniunt, antequam de ipſa actione judicium minime fallax ferre potueris in moralibus. Quoniam in anima hominis facultates inferiores continuo miſcentur ſuperioribus; ideo habenda quoque venit ratio facultatis cognoſcitivæ ac appetitivæ inferioris, ſenſuum ſcilicet, imaginationis ac memoriæ & appetitus ſenſitivi ac averſationis ſenſitivæ. Aſt huc in primis reſpiciendum eſt, quando defectu quodam laborat actio libera, quemadmodum ex poſter dicendis conſtabit. Ceterum hinc elucet, non adeo facile eſſe de actionis moralitate judicium, ut mirum non ſit, multos ſibi videri, qui non ſunt, multoque magis falli in aliis dijudicandis. Ex hoc tamen fonte deducenda ſunt, quæ ad actiones humanas intimius inſpiciendas faciunt multumque in omni praxi non modo morum, verum etiam juris uſum habent. Doctrina de culpa maximæ utilitatis eſt per Juriſprudentiam univerſam; ſed nulla videtur intricatior & quæ magis abſconditas habeat rationes, ut, quæ de ea imputanda traduntur regulæ, difficilem pariant applicationem in foro. Enimvero obſcuritas & difficultas omnis inde eſt, quod non ſatis perpendantur ſinguli actus, quibus actio humana conſtat. E re igitur eſt, ut quæ circa ſingulos notanda veniunt, diſtincte explicemus. Patebit autem vel ex hoc ſolo capite philoſophiæ practicæ, quantum adjumentum ad eam afferat Pſychologia. Nullius autem utilitatis hic eſt diſputatio, utrum facultas locomotiva inſit animæ, an corpori: ſufficit enim experientia indubia conſtare eam in actionibus liberis ſubeſſe imperio animæ, non ſecus ac ſi anima in corpus influeret (§. 537 *Pſychol. rat.*), ut, quos motus liberos diximus (§. 68), ab anima imperatos dici minime repugnet.

§. 71.

Notio actionis ſufficienter determinata quænam dicatur.

Notio actionis ſufficienter determinata dicitur, ſi eas continet determinationes, ex quibus demonſtrari poteſt, utrum bona ſit, an mala.

Nimirum notione actionis diſtincta opus habemus, ne in judicio de actionis bonitate ac malitia ferendo hæſitemus, vel aberremus. Id vero fieri minime poſſe, niſi actio contineat eas determinationes, ex quibus demonſtrari poteſt, eam eſſe vel bonam, vel malam, nemo non videt. Ex iis enim, quæ de actione ſumuntur, conſequenter notionem ejus ingrediuntur, demonſtrandum eſſe, utrum bona ſit, an mala, non dubitabit, qui vel modum demonſtrandi perſpexit (§. 558 *& ſeqq. Log.*), vel primis ſaltem labris Geometriam elementarem deguſtavit. Atque adeo patet, cur notionem actionis ſufficienter determinatam tum demum dicamus, ſi eas continet determinationes, ex quibus demonſtrari poteſt, utrum bona ſit, an mala. Omnis etiam theoria actionum humanarum, quam tradimus, abunde loquetur, non conſtare, utrum bona, an mala ſit actio, niſi de ea ſumantur, quæ bonitati vel malitiæ demonſtrandæ ſufficiunt. Unde per ſe patet porro, ad actionem in caſu ſingulari principium ex theoria hauſtum applicari minime poſſe, niſi ante evinceris, adeſſe omnes determinationes, ob quas actionem vel bonam, vel malam eſſe principium iſtud enunciat (§. 1223. 1224 *Log.*).

§. 72.

Quænam ex parte intellectus ad

Si in actione libera ex parte intellectus nihil deſiderari debet, agens & notionem actionis ſufficienter determinatam habeat, & verum ſit judicium neceſſe eſt, actionem iſtam eſſe bonam vel malam. Etenim ad actionem humanam pertinet

quoque

quoque actus intellectus (§. 70), conſequenter, cum non velimus, niſi quod nobis repræſentamus tanquam bonum, nec nolimus, niſi quod nobis repræſentamus tanquam malum (§. 892 *Pſychol. empir.*), judicium de bonitate vel malitia actionis (§. 325 *Pſychol empir.*). Quodſi ergo quoad judicium ex parte intellectus nihil deſiderari debet, neceſſe omnino eſt ut, quando agens judicat, actionem eſſe bonam, bona ſit, & quando judicat, eam eſſe malam, mala ſit: quod nemo non concedere tenetur. Enimvero verum eſt judicium, quo bonam vel malam eſſe actionem affirmatur, ſi bona, vel mala eſt (§. 506 *Log.*). Quamobrem paret, ad actionem liberam requiri, ut judicium de bonitate vel malitia actionis ſit verum. *actionem liberam requir ã-tur.*

Verum eſt judicium, quando prædicatum determinatur per notionem ſubjecti (§. 513 *Log.*), conſequenter cum prædicatum per notionem ſubjecti determinetur, quando eidem ideo tribuitur, quia de eo affirmanda veniunt, quæ in notione ſubjecti continentur (§. 113 *Ontol.*), judicium de bonitate vel malitia actionis verum eſt, ſi ideo bona vel mala ſit, quod hæ, non aliæ determinationes notionem actionis ingrediuntur. Quamobrem ſi quoad notionem actionis ex parte intellectus nihil deſiderari debet, in ea contineantur neceſſe eſt determinationes omnes, ob quas actio bona, vel mala eſt. Enimvero ex ipſo modo demonſtrandi liquet, ex iſtis determinationibus tum demonſtrari poſſe, quod actio bona ſit, vel mala (§. 551. 552 & ſeqq. *Log.*). Ex parte igitur intellectus in actione libera requiritur notio actionis continens eas determinationes, ex quibus demonſtrari poteſt, utrum bona ſit actio, an mala. Notio actionis ſufficienter determinata eſt, ſi eas continet determinationes, ex quibus demonſtrari poteſt, utrum bona ſit actio, an mala (§. 71). Ad actionem igitur liberam requiritur ex parte intellectus notio actionis ſufficienter determinata.

Quoniam principium generale in caſu dato applicatur per ratiocinium (§. 1223. 1224 *Log.*) &, ubi judicium diſcurſivum per idem elicitur (§. 51 *Log.*), ratiocinium in forma legitimum eſſe debet, de quo nemo Logicæ gnarus dubitat (§. 537 *Log.*); ſi judicium agentis de bonitate & malitia actionis fuerit verum, in ratiocinio quoque nihil deſiderari poteſt.

Tres cum ſint intellectus operationes notio, judicium & ratiocinium (§. 325 *Pſychol. empir.*); ubi circa notionem, judicium ac ratiocinium ex parte intellectus nihil deſideratur, nil prorſus ex parte intellectus deſiderari poteſt. Enimvero ubi agens actionis notionem habet determinatam ſufficienter, verumque eſt judicium de bonitate vel malitia actionis, nec quoad notionem, nec quoad judicium, nec quoad ratiocinium quicquam deſideratur *per demonſtrata*. Quare ſi in actione libera nihil deſiderari debet ex parte intellectus; agens & notionem actionis ſufficienter determinatam habeat, & verum ejuſdem de actionis bonitate ac malitia ſit judicium, neceſſe eſt.

Abunde igitur patet, ex parte intellectus ad actionem liberam requiri judicium verum de actionis bonitate vel malitia, ſi ex parte intellectus nil deſiderari debeat, hoc autem ſupponere notionem actionis ſufficienter determinatam, ſine qua verum judicium de ipſa ferri nequit. Nimirum ratiocinium generale, quo elicitur judicium, tale eſt: Actio data eſt iſtiusmodi. Actio iſtiusmodi eſt bona, ſive mala. Ergo Actio data eſt bona, ſive mala. Minor propoſitio agnoſcitur animum advertendo ad actionem, cujus patrandæ occaſio offertur, & formando notionem ſufficienter determinatam. Propoſitio major ex theoria actionum demonſtrata petenda. Liquet igitur præſupponi notionem actionis, cujus patrandæ occaſio offertur, ſufficienter determinatam, antequam judicium verum de ejus bonitate, vel malitia ferri poſſit: ut vero verum de actione, qualis ſit, agnita judicium feratur, principium generale de moralitate iſtiusmodi actionis nobis perſpectum eſſe debere. Fieri adeo poteſt, ut notio actionis ſufficienter determinata ſit agenti, nec tamen judicium de bonitate vel malitia ejus ferat verum, ſiquidem deſit principium de moralitate iſtiusmodi actionum verum. Quoniam itaque ex parte intellectus in actione libera notatus defectus vel circa notionem ſufficienter determinatam, vel circa principium generale, ſeu veritatem propoſitionis de actionis iſtiusmodi bonitate vel malitia in genere; in propoſitione ex parte intellectus requiſivimus, ne quid deſiderari poſſit, ut agens habeat actionis notionem ſufficienter determinatam, & ut judicium, quod de ea fert, ſit verum.

§. 73.

Quænam ad actionem liberam requiratur ex parte voluntatis.

Si in actione libera ex parte voluntatis nihil deſiderari debet; actio, in quam fertur voluntas, & bona ſit neceſſe eſt, & voluntas determinari debet per ipſam bonitatem actionis, non vero per rationes, ob quas bonum verum tanquam apparens repræſentatur. Etenim ſi in actione libera nihil deſiderari debet; ex parte intellectus requiritur judicium verum de bonitate actionis (§. 72). Quoniam vero voluntas oritur ex diſtincta boni repræſentatione (§. 880 *Pſychol. empir.*); judicium de bonitate actionis verum non alia de cauſa requiritur, quam ut voluntas, in ſe generaliter determinata ad bonum appetendum (§. 520 *Pſychol. rat.*), ad bonum verum appetendum determinetur. Actio igitur, in quam fertur voluntas, bona ſit neceſſe eſt.

Et quia repræſentatio boni diſtincta eſt motivum volitionis (§. 890 *Pſychol. empir.*), quo tanquam ratione ejus ſufficiente (§. 887 *Pſychol. empir.*) poſito, ponitur volitio (§. 118 *Ontol.*); quin voluntas determinari debeat per ipſam bonitatem actionis, dubitandum non eſt (§. 113 *Ontol.*).

Quodſi per ipſam actionis bonitatem determinanda *per demonſtrata*; per ſe patet, quod determinari nequeat per rationes, ob quas bonum verum repræſentatur tanquam apparens.

Quoniam itaque actu voluntatis determinato ex parte ejus nihil amplius requiritur ad actionem liberam, quod per ſe patet; ſi ex parte ejusdem nihil deſiderari debeat in actione libera, actio, in quam fertur, bona ſit neceſſe eſt, ipſa vero voluntas determinanda per bonitatem actionis, minime vero per rationes, ob quas bonum verum tanquam apparens repræſentatur.

E. gr. Suo oſtendetur loco, eleemoſynam dare homini egeno actionem eſſe bonam. Quodſi igitur eleemoſynam eidem des, ut miſeriæ ejus ſuccurras, teque hominem, creaturam Dei civemque, imo chriſtianum bonum te præſtes (hinc enim pendere actionis bonitatem patebit ſuo loco); nihil quoad voluntatem amplius deſiderari poteſt. Quodſi vero eleemoſynam des egeno, ut videaris hominibus, qui non es, ac ex laude, qua non promerita mactaris, voluptatem capias, ſicque tibi, quod verum bonum eſt, tanquam bonum appa-

reos repræſentes; voluntas ab appetitu ſenſitivo vitium trahit. Patebit ſuo loco abunde, propoſitionem præſentem eſſe principium ſufficiens demonſtrandi omnia, quæ ad voluntatem quomodocunque ſpectant, nec ullus notetur in rectitudine actionis defectus.

§. 74.

Quænā ad actionem liberam requirantur ex parte noluntatis.

Si in actione libera ex parte noluntatis nihil deſiderari debet; actio, a qua abhorret noluntas, mala ſit neceſſe eſt, & noluntas determinari debet per ipſam malitiam actionis, non vero per rationes, ob quas actio mala repræſentatur tanquam mala apparens. Etenim ad actionem liberam requiritur judicium verum de malitia actionis (§. 72), non alia ſane de cauſa, quam ut noluntas, quæ ex diſtincta mali repræſentatione oritur (§. 881 *Pſychol. empir.*), cum generaliter determinata ſit ad nolendum malum (§. 520 *Pſychol. rat.*), ad mali veri nolitionem determinetur. Patet itaque ad actionem liberam ex parte noluntatis requiri, ut actio, a qua abhorret, ſit mala.

Enimvero repræſentatio mali diſtincta eſt motivum nolitionis (§. 890 *Pſychol. empir.*), quo tanquam nolitionis ratione ſufficiente (§. 887 *Pſychol. empir.*) poſito, ipſa ponitur nolitio (§. 118 *Ontol.*). Quamobrem cum actionem, a qua abhorret noluntas, malam eſſe neceſſe ſit, ſi ex parte noluntatis, nihil deſiderari debet in actione libera *per demonſtrata*; quin noluntas determinari debeat per ipſam actionis malitiam, dubitari nequit (§. 113 *Ontol.*).

Quodſi igitur noluntas determinanda per ipſam actionis malitiam *per demonſtrata*; ultro ſequitur, quod determinari minime debeat per rationes, ob quas actio mala repræſentatur tanquam mala apparens.

Nemo non novit in actione libera ex parte noluntatis nil ſpectari poſſe niſi modum, quo determinatur. Quamobrem liquet, ſi in actione libera nihil deſiderari debet ex parte noluntatis, actionem, a qua abhorret noluntas, malam eſſe debere, eamque determinandam eſſe per ipſam actionis malitiam, minime vero per rationes, ob quas malum verum tanquam apparens repræſentatur.

E. gr. Si quis alterum calumniari nolit, quia hanc actionem malam eſſe agnoſcit; nihil eſt, quod ex parte noluntatis deſiderari poſſit. Enimvero ſi quis alterum calumniari non vult, quod ſibi ab eodem metuit, ne faciat, quæ tædium creare poterunt, alias eundem calumniaturus, quod voluptatem inde percipiat, ſi male audit; noluntas ab appetitu & averſatione ſenſitiva vitium trahit. Equidem exempla ſatis ſuperque loquuntur, bonum verum ſub ratione boni apparentis appeti, & a malo vero ſub ratione mali apparentis abſtineri poſſe, ut adeo probatione ulteriori non ſit opus, ne in præſente aut præcedente propoſitione quicquam ſumſiſſe videri queamus, quod a veritate ſit alienum, vel cujus ſaltem non manifeſta veritas: quodſi tamen quis deſideret, ut utrumque demonſtretur, eidem ſatisfacturi apponimus propoſitiones ſequentes, ne quid prætermiſiſſe videamur, quod jure a nobis exigi videtur, qui methodo demonſtrativa philoſophiam practicam tradere conſtituimus.

§. 75.

Quando bonum verum ſpectetur tanquam apparēs.

Si quod perfectionem noſtram ſtatusque noſtri promovet, ideo habetur pro bono, quod delectationes ſenſuales ſeu voluptates ſenſuum nobis creat; bonum verum ſpectatur tanquam apparens. Etenim ſi quid perfectionem noſtram ſtatusque noſtri promovet, bonum verum eſt (§. 557 *Pſychol. empir.*). Enimvero ſi

quid

quid ideo habetur pro bono, quod delectationes ſenſuales ſeu voluptates ſenſuum nobis creat, cum, quas ſenſationes ad perfectionem ſtatus noſtri referimus, ex iis voluptatem percipiamus (*§. 550 Pſychol. empir.*), bonum vero tantummodo apparens ſit, quod nos ſtatumque noſtrum tantummodo perficere videtur, non vero revera perficit (§. 557 *Pſychol. empir.*); id ipſum ſpectari nequit niſi tanquam bonum apparens. Quamobrem ſi quod perfectionem noſtram ſtatusque noſtri promovet, ideo pro bono habetur, quod delectationes ſenſuales ſeu voluptates ſenſuum nobis creat; bonum verum ſpectatur tanquam apparens.

Nimirum quando quod bonum videtur, bonum revera non eſt, ideo habetur pro bono, quod delectatinnes ſenſuales nobis creat, quia nos ſtatumque noſtrum perficere videtur, etſi revera non perficiat, imo vel nos, vel ſtatum noſtrum imperfectiorem reddat. Unde bonum apparens judicatur ex delectatione ſenſuali, quam nobis offert. Quamobrem etſi quid revera nos ſtatumque noſtrum perficiat, atque adeo bonum verum ſit, quatenus tamen non judicatur bonum, niſi ob delectationes ſenſuales, non niſi tanquam bonum apparens ſpectatur. Non hic quæritur, num quid in ſe ſit bonum, ſed num tale habeatur ab agente. Quodſi ergo agens pro bono habet bonum verum propter eandem rationem, ob quam bonum apparens pro bono habet; bonum utique verum ſpectare nequit niſi tanquam bonum apparens.

§. 76.

Quando malum verum ſpectetur tanquam apparẽs.

Si quod imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri promovet, ideo habetur pro malo, quod tædia ſenſualia nobis creat; malum verum ſpectatur tanquam apparens. Si quid enim imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri promovet, malum verum eſt (*§. 568 Pſychol. empir.*). Aſt ſi quid ideo habetur pro malo, quod tædia ſenſualia nobis creat, cum ex ſenſationibus tædium percipiamus, quas ad imperfectionem ſtatus noſtri referimus (*§. 551 Pſychol. empir.*), malum vero tantummodo apparens ſit, quod nos ſtatumque noſtrum imperfectiores reddere tantummodo videtur (*§. 568 Pſychol. empir.*); id ipſum ſpectari nequit niſi tanquam malum apparens. Quamobrem ſi quod imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri promovet, ideo habetur pro malo, quod tædia ſenſualia nobis creat; malum verum ſpectatur tanquam apparens.

Nimirum quando quod malum videtur, revera non eſt, ideo habetur pro malo, quod tædia ſenſualia nobis creat, quia nos ſtatumque noſtrum imperfectiorem reddere videtur, etſi revera non reddat, imo potius perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri promoveat. Unde malum apparens judicatur ea tædiis ſenſualibus. Quamobrem etſi quid nos ſtatumque noſtrum revera imperfectiores reddat, adeoque malum verum ſit, quatenus tamen non judicatur malum, niſi quia tædia ſenſualia creat, nonniſi tanquam malum apparens ſpectatur.

§. 77.

Quenã ad actionem liberam ex parte facultatis locomotivæ requirantur.

In actione libera ex parte facultatis locomotivæ nihil deſideratur, ſi omnes motus ad actionem externam requiſiti prompte producantur. Quoniam actiones externæ ſunt motus, quibus ea exequimur, quæ anima vult & non vult (*§. 567 part. I. Theol. nat.*), actio vero compoſita ex pluribus iſtiusmodi motibus certo ordine ſe invicem conſequentibus conſtat; facultas locomotiva, qua motus corporis totius ejusque partium producuntur (*§. 66*), ad actionem externam nil conferre poteſt, quam ut motus, ex quibus conſtat, prom-

prompte producat. Quamobrem ſi motus omnes ad actionem externam requiſiti prompte producantur; ex parte facultatis locomotivæ in actione libera nihil deſiderari poteſt.

E. gr. Ut ſcribas, certi requiruntur motus digitorum, quibus penna tenetur, atque manus. Quodſi igitur motus iſtos omnes eo ordine, quo requiruntur, prompte producere valeas; nihil in actione externa ſcriptionis deſiderari poteſt. Nimirum a motibus iſtis pendent ſinguli literarum ductus & quicquid in ſcriptione obſervandum. Quamobrem ſi ſinguli rite fiant, ut nec in ipſis quid deſiderari poſſit; nec in ſcriptione quicquam deſiderari poterit. Nemo miretur, quod terminis adeo generalibus utamur: propoſitio enim cum ſit univerſalis, omnes omnino actiones externas complectens, iis utendum eſt terminis, quibus exprimuntur actionibus in univerſum omnibus communia. Cumque exemplum non adducatur niſi ad illuſtrandam propoſitionem generalem; nec hic recedendum fuit a terminis generalibus.

§. 78.

Quando actio facultati cuidam hominis contradicat.

Si quid in actione libera ex parte facultatis cujuſdam deficit, quod adeſſe debebat; actio facultati iſti contradicit. Si quid enim in actione libera ex parte facultatis cujusdam deficit, quod adeſſe debebat; homo, quatenus id deficit, ſecundum facultatem iſtam non agit. Enimvero homo agit qua homo, quatenus agit ſecundum facultates, quas ad agendum habet, veluti tanquam ens intelligens, ſi agit ex habitu intellectus. Non igitur agit qua homo, quatenus non agit ſecundum facultates, quas ad agendum habet, veluti non qua ens intelligens, quatenus ex parte intellectus quid deſideratur. Quoniam itaque contradictio eſt agere qua homo & non agere qua homo, veluti in caſu particulari agere qua ens intelligens & agere qua ens non intelligens (§. 31 *Ontol.*); actio, in qua quid ex parte facultatis cujusdam deficit, quod adeſſe debebat, facultati iſti contradicit.

Actio humana ex actibus intellectus, voluntatis vel noluntatis atque facultatis locomotivæ conſtat (§. 70), cumque per intellectum & voluntatem ac noluntatem liberam, ac facultatem locomotivam ab iſtis pendentem homo a brutis differat (§. 761. 763 *Pſychol. rat.*); homo qua homo agit, quatenus actiones ipſius ſunt tales, quales permittuntur eſſe ab ipſis facultatibus. In ea igitur parte actio hominis contradicit naturæ humanæ, quatenus talis non eſt, qualis per facultates ipſius eſſe debebat, ac in ſpecie huic facultati, cujus aliquis actus deficit. Nimirum ſi quis ex notione iſtarum facultatum a priori deducere deberet, qualis ſit actio humana, eam talem eſſe demonſtraret: quodſi vero actionem conſiderat, qualis editur, ea talis non eſt. Manifeſta igitur eſt contradictio inter actionem, qualis eſſe intelligitur per facultates homini ad agendum conceſſas, & actionem, qualis nunc editur. Si hanc diſtincte concipias, ex ejus notione deduceres a priori, eam eſſe actionem entis, in qua deficit hæc, vel iſta facultas, qualis homini eſſe intelligitur. Ecquis ergo methodi demonſtrandi indirectæ probe gnarus negaverit, quod actio ex parte facultatis cujuſdam in aliquo deficiens eidem contradicat?

§. 79.

Defectus quos non ferat actio recta.

In actione humana recta nihil deſiderari debet ex parte intellectus, voluntatis ac noluntatis, atque facultatis locomotivæ. Actio humana recta actibus intellectus, voluntatis ac noluntatis, atque facultatis locomotivæ conſtat (§. 70). Quamobrem cum recta nulli attributo hominis contradicere debeat (§. 64), intellectus vero (§. 387 *Pſychol. rat.*), ac appetitus & averſatio rationalis, hoc eſt, voluntas ac noluntas (§. 880. 881 *Pſychol. empir.*), in vi repræſentativa

univerſi

Digitized by Google

univerſi (§. 519 *Pſychol. rat.*), adeoque eſſentia animæ (§. 66 *Pſychol. rat.*); facultas autem locomotiva ab intellectu, voluntate ac noluntate dependens; in eſſentia animæ & corporis ſimul rationem ſufficientem habeat (§. 953 *Pſychol. empir.*), conſequenter intellectus, voluntas, & noluntas, atque facultas locomotiva attributa hominis ſint (§. 146 *Ontol.*); nec ea intellectui, voluntati ac noluntati atque facultati locomotivæ contradicere debet. Quoniam itaque actio libera facultati iſti contradicit, ex cujus parte deficit, quod adeſſe debebat (§. 78); in actione humana recta nihil deſiderari debet ex parte intellectus, ex parte voluntatis ac noluntatis & ex parte facultatis locomotivæ.

Actio humana hic tantummodo in genere conſideratur, quatenus ſpectatur ut actio. Unde etiam hic tantummodo docetur, quænam ad rectitudinem actionis humanæ qua talis requiruntur. Neque vero exiſtimandum eſt, id eſſe nullius uſus: patebit enim deinceps eum eſſe longe ampliſſimum.

§. 80.

Quænã ad actionem rectam requiruntur.

Ad actionem rectam requiritur notio actionis ſufficienter determinata, judicium verum de actionis bonitate & malitia, volitio actionis bonæ & nolitio malæ, determinatio voluntatis per bonitatem, noluntatis per malitiam actionis, non vero facta per rationes, ob quas bonum verum repræſentatur tanquam bonum apparens, & malum verum tanquam malum apparens, omneſque motus ad actionem externam requiſiti prompte produci debent. Etenim in actione humana recta nihil deſiderari debet ex parte intellectus, voluntatis ac noluntatis, atque facultatis locomotivæ (§. 79). Enimvero ſi in actione libera, qualis eſt humana recta (§. 70), nihil deſiderari debet ex parte intellectus; agens notionem actionis ſufficienter determinatam habeat & verum ſit neceſſe eſt judicium de actionis bonitate vel malitia (§. 72). Si nihil deſiderari debet ex parte voluntatis; actio, in quam fertur voluntas, bona ſit & voluntas determinetur neceſſe eſt per ipſam bonitatem actionis, non vero per rationes, ob quas bonum verum tanquam apparens repræſentatur (§. 73). Si nihil deſiderari debet ex parte noluntatis; actio, a qua abhorret noluntas, mala ſit neceſſe eſt, & noluntas determinari debet per ipſam malitiam actionis, non vero per rationes, ob quas actio mala repræſentatur tanquam mala apparens (§. 74). Si denique nihil deſiderari debet ex parte facultatis locomotivæ; omnes motus ad actionem externam requiſiti prompte producantur neceſſe eſt (§. 77). Patet itaque ad actionem rectam requiri notionem actionis ſufficienter determinatam, judicium verum de bonitate ac malitia actionis, volitionem actionis bonæ & nolitionem malæ, determinationem voluntatis per bonitatem, noluntatis per malitiam actionis, non vero factam per rationes, ob quas bonum verum repræſentatur tanquam bonum apparens, & malum verum tanquam malum apparens, omneſque motus ad actionem externam requiſiti prompte produci debent.

Videmus itaque quam multa requirantur ad actionem humanam, ut recta dici poſſit: quæ ſingula in quovis actionum genere diſtincte perpendenda veniunt, niſi a rectitudine recedere volueris. Præſens adeo propoſitio in notionum directricium numero eſt.

§. 81.

§. 81.

Quando actio humana a rectitudine deficiat.

Si quid in actione libera vel ex parte intellectus, vel voluntatis ac noluntatis, vel denique facultatis locomotivæ deſideratur; in eo, quod deſideratur, rectitudinis defectus conſiſtit. Etenim cum in actione recta nihil ex parte intellectus, nihil ex parte voluntatis ac noluntatis, nihil ex parte facultatis locomotivæ deſiderari debeat (§. 79); eatenus recta non eſt, quatenus ex parte facultatis cujuſdam, cujus actus ad eam requiruntur, quidpiam deſideratur. Quamobrem ſi quid in eadem deſideratur vel ex parte intellectus, vel voluntatis ac noluntatis, vel denique facultatis locomotivæ, cum determinatio regulæ, juxta quam fieri debebat, contraria defectus ſit (§. 477. 475 *Ontol.*), in eo, quod deſideratur, defectus rectitudinis conſiſtit.

Actio humana ex actibus intellectus, voluntatis & noluntatis atque facultatis locomotivæ conſtat (§. 70). Singuli certo modo determinandi ſunt, ut ipſa recta ſit (§. 80), & modus eoſdem determinandi regula continetur (§. 475 *Ontol.*). Quodſi ergo quid deſideratur vel ex parte intellectus, vel voluntatis & noluntatis, vel facultatis locomotivæ; actus aliquis ad actionem humanam ſpectans ſecundum regulam determinatus non eſt, conſequenter in eo defectus quidam rectitudinis conſiſtit.

§. 82.

Ratiocinium definitivũ quodnam dicatur.

Ratiocinium definitivum vel etiam *ſyllogiſmum definitivum* appellare lubet, quo ex notione actionis, cujus patrandæ occaſio offertur, ope principii generalis, quod bonitatem vel malitiam iſtiuſmodi actionis determinat, elicitur judicium de bonitate vel malitia actionis in dato caſu ſingulari.

Ad actionem liberam ratiocinium iſtiuſmodi requiri, non modo patet ex demonſtratione propoſitionis ſuperioris, qua enumerantur ex parte intellectus ad actionem liberam requiſita; verum etiam in nota adjecta ad generalem formam id reduximus (§. 72). Lubet autem hoc ratiocinium appellare definitivum, eo ſenſu, quo ſententia a judice lata definitiva dicitur, cum intellectus quaſi judicis munere fungatur in actionis bonitate vel malitia definienda.

§. 83.

Quale ſit iſtud ratiocinium.

In ratiocinio definitivo propoſitio minor enuntiat, qualis ſit ea actio in dato caſu ſingulari, cujus patrandæ occaſio offertur; propoſitio major eſt principium generale, quod in genere enuntiat actionis iſtiusmodi bonitatem vel malitiam; concluſio vero judicium de bonitate vel malitia actionis in dato caſu ſingulari. Ratiocinium enim definitivum ex notione actionis, cujus patrandæ occaſio offertur, ope principii generalis, quod bonitatem vel malitiam iſtiuſmodi actionis determinat, elicit judicium de bonitate vel malitia actionis in dato caſu ſingulari (§. 82). Ex eo igitur, quod actio vi notionis iſtius talis ſit, talis autem actio vi principii generalis bona ſit vel mala, infertur quod actio in dato hoc caſu patranda bona ſit, vel mala, ita ut ſyllogiſmus ad hanc formam reducatur: Actio, cujus nunc patrandæ occaſio offertur, talis eſt. Actio talis bona, vel mala eſt. Ergo actio, cujus nunc patrandæ occaſio offertur, bona, vel mala eſt. Cum propoſitio primo loco poſita ſit minor, inferiori autem loco poſita major (§. 340 *Log.*); evidens eſt, in ratiocinio definitivo in propoſitione minore enuntiari, qualis ſit ea actio in dato caſu ſingu-

ſingulari, cujus patrandæ occaſio offertur, majorem autem propoſitionem eſſe principium generale, quod actionis iſtiusmodi bonitatem vel malitiam enunciat. Unde per ipſam ſyllogiſmi notionem porro liquet, concluſionem eſſe judicium de actionis, cujus patrandæ nunc occaſio offertur, bonitate vel malitia in dato caſu ſingulari.

Plurimum refert, ut ratiocinium definitivum diſtincte animo concipias, ubi non modo de rectitudine actionis judicium certum ferre volueris, verum etiam omni cura ac ſollicitudine eidem ſtudere decreveris. Atque hoc exemplo docemur, doctrinam logicam habere etiam uſum theoreticum in demonſtrando, ac philoſophiæ practicæ ſuppeditare principia non minus in praxi, quam in theoria utilia. Occurrent iſtiuſmodi exempla plura adhue alia. Hiſce autem exemplis docemur, oppido falli, qui ſibi perſuadent, doctrinam de ſyllogiſmo nonniſi in ſcholæ uſum addiſci.

§. 84.

Quomodo ſe habeat judicium, quod ex notione inſufficienter determinata concluditur vi principii veri.

Si ex notione actionis inſufficienter determinata vi principii veri colligitur judicium de bonitate vel malitia actionis; judicium verum eſſe nequit. Etenim in ratiocinio definitivo, quo ex notione actionis ope cujuſdam principii colligitur judicium de bonitate & malitia actionis (§. 82), propoſitio minor formatur ex notione actionis in caſu dato, cujus patrandæ occaſio offertur, prædicando de actione tanquam ſubjecto determinationes, quæ in notione continentur (§. 83). Quamobrem cum ea ſufficienter determinata non eſt, non ea de actione in propoſitione minore prædicantur, ex quibus demonſtrari poteſt, utrum bona ſit, an mala (§. 71), conſequenter ob quæ bonitas vel malitia eidem competit. Quodſi tamen eandem pro ſufficienter determinata ſumis; omnino ſupponis, in propoſitione minore de actione data prædicari ea, ob quæ bonitas vel malitia eidem tribuenda.

Itaque ſi loco majoris utaris principio vero, quo ob iſtas determinationes ſolas bonitas vel malitia de actione prædicatur, ut inde inferas concluſionem; perinde eſt ac ſi in minore affirmares, in dato caſu ſolas illas determinationes actionis adeſſe, nec præterea alias, a quibus bonitas vel malitia ejus pendet. Unde in ſyllogiſmo definitivo major ſub data determinatione actioni ſic determinatæ ſoli tribuit bonitatem vel malitiam, quod minor vero determinationes iſtas ſolas contineat, falſum eſt (§. 507 *Log.*). Enimvero ſi in majore prædicatum ſubjecto ſub data determinatione ſoli competit, minor autem fuerit falſa; concluſio quoque falſa eſſe debet (§. 539 *Log.*). Quamobrem ſi ex notione actionis inſufficienter determinata vi principii veri colligitur judicium de bonitate vel malitia actionis; judicium verum eſſe nequit.

Ne propoſitionis veritas in dubium vocetur, quod alias conſtet (§. 541 *Log.*), ex minore falſa non concludi falſam eſſe concluſionem, ſed tantummodo eam ex præmiſſis non ſequi, conſequenter in medio relinqui, vel quod quis exiſtimet, minorem non poſſe dici falſam, quando determinationes notionem actionis ingredientes revera adſunt in caſu dato, etſi præterea adſint aliæ: quædam adhuc annotanda veniunt. Nimirum ſi theoria ſupponitur vera, unde principia vera deſumuntur, quæ de bonitate vel malitia actionum univerſaliter pronuntiant; actio ideo bona eſt, vel mala, quia notio ſubjecti ſeu, quod perinde eſt, actionis, haſce determinationes continet præciſe, non vero plures, nec pauciores, cum ſub paucioribus indifferens eſſe queat, ſub pluribus mala, quæ ſub iſtis bona eſt, vel bona, quæ

ſub

ſub iiſdem mala eſt. Quodſi jam in caſu dato notio inſufficienter fuerit determinata, non omnes determinationes recenſentur, per quas bonitas vel malitia actionis determinatur, ſed pauciores. Quamobrem ſupponit caſum, qui non eſt, atque ideo propoſitio minor falſa eſt, quatenus ſupponis actionis notionem ſufficienter eſſe determinatam, quæ tamen non eſt, ſeu talem eſſe actionem affirmas, qualis non eſt (§. 507 *Log.*). Et quia ſub iſtis determinationibus bona eſt actio, quæ aliis adhuc ſuperaccedentibus mala evadit, vel ex adverſo ſub illis determinationibus mala eſt actio, quæ aliis ſupervenientibus bona erit; vi principii in ſe quidem veri, aſt ad caſum præſentem per errorem applicati concludes falſo actionem eſſe bonam, cum ſit mala, vel actionem eſſe malam, cum ſit bona, conſequenter judicium de bonitate actionis vel malitia, quod fers in caſu dato, verum non eſt (§. 505 *Log.*). Atque hinc intelligitur neceſſitas notionis determinatæ actionis in caſu dato, cujus patrandæ occaſio datur, etſi theoria perfecta ſupponatur, ne ſcilicet per errorem applices principium, quod in caſu iſto locum minime habet, & ſic ſecurus de veritate principii, quod & certus es majorem eſſe veram, & minor quoque vera tibi videtur (§. 537 *Log.*), in errorem incidas. Qui methodum demonſtrativam ſatis perſpectam habet, & qualia ſint principia, quæ ex vera theoria deſumuntur, novit; ei nihil obſcuritatis in iis, quæ diximus, occurret, ut in dubitationem adducere poſſit veritatem propoſitionis præſentis.

§. 85.

Quale judicium de bonitate vel malitia actionis colligatur ex notione sufficienter determinata vi principii falſi.

Si ex notione actionis ſufficienter determinata colligitur vi principii falſi judicium de bonitate vel malitia actionis; falſum erit. Etenim ſi notio actionis ſufficienter determinata, propoſitio, quæ enuntiat, qualis in dato caſu ſit actio, vera eſt (§. 506 *Log.*). Quare cum in ſyllogiſmo definitivo minor ſit propoſitio, quæ enuntiat, qualis ſit actio in caſu dato, cujus patrandæ occaſio offertur (§. 83); minor propoſitio in eodem vera eſt. Quoniam vero falſum eſt principium, quo uteris in bonitate vel malitia actionis in caſu dato definienda, *per hypotheſin*, principium vero generale, quod actionis iſtiusmodi bonitatem vel malitiam, qualis committendæ in caſu dato occaſio offertur, in genere enuntiat, in ſyllogiſmo definitivo majoris vicem tuetur (§. 83); in eodem propoſitio major falſa eſt, conſequenter actio ſic determinata bona non eſt, quæ bona dicitur, vel mala non eſt, quæ fertur mala (§. 507 *Log.*). Quamobrem nec actio in caſu dato, quæ bona eſſe inde colligitur, bona eſt, nec quæ hinc colligitur mala, mala eſt. Judicium igitur de actionis, cujus patrandæ occaſio offertur, in caſu dato falſum eſt (§. *cit. Log.*).

Hinc intelligitur, quam neceſſaria ſit vera actionum theoria, ne in caſu dato ceſpites, etiamſi maxima circumſpectione agas, ut qualis ſit actio, cujus patrandæ occaſio offertur, intime perſpicias. Atque adeo patet, quam ſit neceſſe, theoriam iſtam niti demonſtrationibus, cum vera ſit propoſitio, quæ demonſtrari poteſt (§. 544 *Log.*), etiam quando indirecte demonſtratur (§. 557 *Log.*). Ut igitur tutus ſis de veritate judicii, quod de actionis, cujus patrandæ occaſio ſeſe offert, bonitate vel malitia fertur, non minus ſupponendum eſt, principium, quo uteris in ea dijudicanda, eſſe verum, quam notionem ejus tibi eſſe ſufficienter determinatam. Nimirum in theoria perfecta actionum humanarum docetur, quibusnam poſitis ponatur actionis bonitas vel malitia. Quamobrem ſi certus eſſe velis, in caſu dato actionem, cujus patrandæ occaſio offertur, eſſe bonam vel malam, neceſſe eſt ut oſtendas ea in caſu dato poni, quæ ponenda ſunt, ut bona vel mala ſit actio: alias omnino fallet judicium. Fallet vero ob notionem actionis non ſufficienter determinatam, ſi in caſu dato non ponuntur, quæ vi theoriæ ponenda ſunt, ſi ex theoria petitum principium verum ſit. Non minus autem judicium fallet, ſi falſum eſt iis poſitis, quæ in caſu dato revera ponuntur, actionem eſſe bonam, vel eſſe malam. Atque adeo judicium de actionis patrandæ bonitate vel malitia falſum eſt, quia principio falſo uteris in eadem dijudicanda. Caſus prior eſt theorematis præcedentis; poſterior vero præſentis.

§. 86.

Caſu verum quãdo ſit judicium.

Judicium dicitur *caſu verum*, ſi ex præmiſſis, ex quibus infertur, non ſequitur, verum tamen fuerit.

E. gr. Si quis ita argumentetur: omne animal, quod habet alas, natare poteſt. Atque Piſcis eſt animal, quod habet alas. Ergo Piſcis natare poteſt; vera eſt concluſio, quod piſcis natare poſſit, adeoque judicium diſcurſivum ita judicantis verum eſt. Enimvero major propoſitio falſa eſt, quod omne animal alas habens natare poſſit, falſa etiam minor eſt, quod piſcis habeat alas. Quamobrem ſi quis judicaret, piſcem poſſe natare, propterea quod alas habeat, alis vero instructum animal natare poſſit; judicium ejus foret nonniſi caſu verum. Damus exemplum facile, ut intelligi poſſit definitio. Patet autem caſui tribui judicii veritatem, ubi judicans ſubjecto tribuit prædicatum, quod ipſi competit, ob rationem non modo falſam, qua ſcilicet poſita non ponitur prædicatum; verum etiam quod rationi ne locus quidem eſt, hoc eſt, ſubjecto minime convenit, quod de eo ſumitur, ut ipſi tribui poſſit prædicatum.

§. 87.

Quando judicium de actionis bonitate vel malitia ſit caſu verum.

Si ex notione non ſufficienter determinata, vel etiam cui falſæ inſint determinationes, vi principii falſi colligitur judicium de actionis bonitate vel malitia, quod verum eſt; judicium hoc nonniſi caſu verum eſt. Etenim ſi notio actionis in dato caſu patrandæ non ſit ſufficienter determinata, vel etiam eidem inſint determinationes falſæ; actio iſta talis non eſt, qualis ſumitur: id quod perinde eſt, ac ſi judices, piſcem omnem habere alas, vel in caſu ſingulari piſcem, qui datur, veluti Lucium, habere alas. Quodſi ergo principium quoque falſum eſt, quo uteris in judicio diſcurſivo de actione in dato caſu eliciendo; falſum eſt, quod actio talis ſit bona, ſi eam bonam eſſe affirmatur, vel mala, ſi eam malam eſſe enuntiatur: id quod perinde eſt, ac ſi ſtatuas, animal, quod habet pennas, volare poſſe. Ex his igitur præmiſſis cum vi dicti de omni & nullo, quo nituntur omnes ſyllogiſmi (§. 353 *Log.*), non ſequatur concluſio, quod ſcilicet actio bona ſit, vel mala (§. 348 *Log.*), cum tamen bona ſit, vel mala *per hypotheſin*; judicium de actionis bonitate vel malitia in caſu dato nonniſi caſu verum eſſe patet (§. 86).

Facile apparet judicia caſu vera nullius eſſe momenti in directione actionum noſtrarum: cum enim ex præmiſſis non ſequantur, aliunde tamen judicanti non conſtet, quod ſint vera, iis fidere non licet. Obiter monemus ex demonſtratione patere uſum exemplorum maxime vulgarium ſingularem, quatenus per ea lux adfunditur haud raro inexſpectata iis, quæ obſcuriora & intellectu difficiliora videntur, ita ut diſpulſis nebulis nihil amplius difficultatis ſuperſit.

§. 88.

Dependentia voluntatis & noluntatis ab intellectu.

Determinatio voluntatis & noluntatis ab intellectu dependet. Voluntas enim oritur ex diſtincta boni repræſentatione (§. 880 *Pſychol. empir.*), adeoque ideo quid volumus, quia idem nobis diſtincte repræſentamus tanquam bonum, conſequenter per diſtinctam boni repræſentationem actus voluntatis determinatur (§. 113 *Ontol.*). Enimvero diſtincta boni repræſentatio eſt motivum volitionis (§. 890 *Pſychol. empir.*), conſequenter ratio ejuſdem ſufficiens (§. 887 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum intellectus ſit judicare, quod actio ſit bona (§. 325 *Pſychol. empir.*), & bonitatem ejus diſtincte repræſentare (§. 275 *Pſychol. empir.*); in intellectu continetur ratio, cur quid

Digitized by Google

quid velimus, ſeu cur voluntas ſic potius determinetur, quam aliter. Quamobrem patet determinationem voluntatis dependere ab intellectu (§. 851 *Ontol.*).

Similiter noluntas ex diſtincta mali repræſentatione oritur (§. 881 *Pſychol. empir.*), adeoque ideo quid nolumus, quia nobis idem diſtincte repræſentamus tanquam malum, conſequenter per diſtinctam mali repræſentationem actus nolitionis determinatur (§. 113 *Ontol.*). Enimvero diſtincta mali repræſentatio eſt motivum nolitionis (§. 890 *Pſychol. empir.*), conſequenter ratio ejusdem ſufficiens (§. 887 *Pſychol empir.*). Quamobrem cum intellectus ſit judicare, quod actio ſit mala (§. 325 *Pſychol. empir.*), & bonitatem ejus diſtincte repræſentare (§. 275 *Pſychol. empir.*); in intellectu continetur ratio, cur quid nolimus, ſeu cur noluntas ſic potius determinetur, quam aliter. Patet itaque noluntatem quoad determinationem ſuam dependere ab intellectu (§. 851 *Ontol.*), ſeu, quod perinde eſt, determinationem noluntatis ab intellectu dependere.

Dependentia voluntatis & noluntatis ab intellectu in determinatione ſua adeo manifeſta eſt, ut in dubium revocari nequeat. Unde & Scholaſtici voluntatem ac noluntatem facultatem per ſe cæcam appellarunt, quoniam voluntas videre nequit bonum, in quod fertur, nec noluntas malum, quod fugit. Dubium, quod oriri poteſt ex electione, quæ fit ratione intrinſeca deficiente, tollitur per ea, quæ de hac electione alibi demonſtrata & annotata ſunt (§. 899 *Pſychol. empir.*). Qui enim cum acumine ad rationem extrinſecam animum advertit, eandem ab intellectu dependentiam determinationis voluntatis ac noluntatis hic quoque deprehendet. Abſit autem ut tibi perſuadeas, dependentia iſta tolli libertatem. Ratio enim ſufficiens non infert determinationi neceſſitatem, ſed eam ſaltem efficit intelligibili modo explicabilem (§. 321 *Ontol.*).

§. 89.

Dependentia rectitudinis actionis quoad voluntatem ab ea quoad intellectum.

Rectitudo actionis humanæ quoad voluntatem & noluntatem a rectitudine ejuſdem quoad intellectum dependet. Ad rectitudinem actionis quoad voluntatem requiritur, ut actio, in quam fertur voluntas, ſit bona, & voluntas determinetur per ipſam bonitatem actionis, non vero per rationes, ob quas bonum verum repræſentatur tanquam apparens (§. 80). Supponit adeo rectitudo actionis humanæ quoad voluntatem actionis, cujus in dato caſu patrandæ occaſio offertur, notionem ſufficienter determinatam, ſine qua qualis ſit, intelligi nequit, & judicium verum, quod ſic determinata bona ſit (§. 891 *Pſychol. empir.*). Enimvero notio actionis, cujus in dato caſu patrandæ occaſio offertur, ſufficienter determinata & judicium verum de actionis bonitate ad rectitudinem actionis requiritur quoad intellectum (§. 80. 72). Per ea igitur, quæ inſunt rectitudini actionis quoad intellectum, intelligitur, cur ea adſint quoad voluntatem, quæ ad eandem faciunt, conſequenter ratio rectitudinis actionis quoad voluntatem continetur in rectitudine quoad intellectum (§. 56 *Ontol.*). Quamobrem rectitudo actionis quoad voluntatem dependet a rectitudine ejusdem quoad intellectum (§. 851 *Ontol.*). *Quod erat unum.*

Similiter ad rectitudinem actionis quoad noluntatem requiritur, ut actio,

Digitized by Google

actio, quam fugit, ſit mala & ipſa determinetur per malitiam actionis, non vero per rationes, ob quas malum verum tantummodo repræſentatur tanquam apparens (§. 80). Supponit adeo rectitudo actionis quoad noluntatem actionis in caſu dato, cujus patrandæ occaſio offertur, notionem ſufficienter determinatam, ut qualis ſit intelligatur, & judicium verum, quod actio ſub hiſce determinationibus mala ſit (§.890.590 *Pſychol.empir.*). Notio actionis ſufficienter determinata & judicium verum, quod, cum ſic determinata ſit, mala ſit, ad rectitudinem actionis requiritur ex parte intellectus (§.80.72). Quoniam itaque per ea, quæ ad rectitudinem actionis quoad intellectum requiruntur, intelligitur, cur adſint ea, quæ ad eandem requiruntur quoad noluntatem; in rectitudine actionis continetur ratio rectitudinis noluntatis (§. 56 *Ontol.*), conſequenter rectitudo actionis quoad noluntatem a rectitudine ejusdem quoad intellectum dependet (§. 851 *Ontol.*).

Propoſitio hæc maximi momenti in praxi eſt, ſiquidem curare velis, ut actiones tuæ ſint rectæ. Ex ea igitur ſuo loco maxime ardua atque utilia deducentur. Qui hanc dependentiam inſuper habent, eorum quoque actiones, quamvis externa ſpecie bonæ, a rectitudine multum abeunt. Patet autem, ſi eam intimius perſpicias, impoſſibile eſſe, ut in rectitudine actionis quoad voluntatem vel noluntatem nihil deſideretur, quamdiu in rectitudine quoad intellectum adhuc quicquam deſideratur. Unde non adeo facile eſt, quemadmodum multis videtur, curare, ut actiones noſtræ omnimodam habeant rectitudinem.

§. 90.

Concurſus ſenſuum, imaginationis & memoriæ ad actionem rectam.

Ad notionem actionis, cujus patrandæ occaſio offertur, ſufficienter determinatam formandam concurrunt ſenſus, imaginatio atque memoria. Cum omnes mutationes animæ a ſenſatione originem ducant (§. 64 *Pſychol. rat.*); fieri quoque haud quaquam poteſt, ut actionis cujusdam patrandæ cogitatio animam ſubeat abſque prævia ſenſatione. Quodſi vero jam actionis hujus notio diſtincta formari, eademque ſufficienter determinari debet, ut conſtet, qualis ſit actio, antequam judicari poſſit, utrum bona ſit, an mala, quemadmodum ad actionem humanam rectam requiritur (§. 80); nemo non videt, notionem iſtam tanquam actionis ſingularis nonniſi experientia acquiri poſſe (§. 665 *Log.*). Quoniam vero id experimur, quod ad perceptiones noſtras attenti cognoſcimus (§. 664 *Log.*); neceſſe eſt ut perceptiones iſtæ, ex quibus deſumuntur ea, quæ notionem actionis ſufficienter determinatam ingrediuntur, vel ſint rerum præſentium, vel præteritarum. Quamobrem cum perceptiones rerum præſentium ſint ſenſuum (§. 67. 60 *Pſychol. empir.*), perceptiones vero rerum præteritarum imaginationi tribuantur (§. 92 *Pſychol. empir.*); evidens eſt ad formandam notionem actionis in dato caſu, cujus patrandæ occaſio offertur, ſatis determinatam ſenſus atque imaginationem concurrere. Enimvero quoniam perceptiones rerum præteritarum, quas nobis imaginatio tanquam præſentes ſiſtit, nulli ſunt uſui, niſi nobis conſcii ſimus, quod eas jam antea habuimus, conſequenter in caſu præſente, quod res, quæ repræſentantur, antea ſenſu percepimus, adeo-

adeoque perceptiones iſtas ſeu rerum ideas reproductas recognoſcamus (§. 173 *Pſychol. empir.*), facultas vero eaſdem recognoſcendi memoria eſt (§. 175 *Pſychol. empir.*); ideo liquet, ad formandam notionem actionis in dato caſu patrandæ ſufficienter determinatam memoriam quoque concurrere.

Quodſi cuidam animum advertere lubet ad actiones, quas committit, vel omittit proprias; is veritatis propoſitionis præſentis a poſteriori abunde convincetur, ut adeo fide experientiæ obviæ eandem abſque omni probatione aſſumere licuiſſet. Patebit vero attendenti, quantum nunc ſenſui, quantum imaginationi atque memoriæ tribuendum ſit in formanda actionis notione ſufficienter determinata, & quando ac quomodo imaginatio ſenſuum vices ſubeat. In iis itaque, quæ unuſquiſque propria experientia conſequi valet, ut ſimus prolixiores opus non eſt.

§. 91.

Concurſus imaginationis & memoriæ ad formandum de actione judicium.

Ad judicium verum de bonitate vel malitia actionis ſufficienter determinatæ formandum imaginatio & memoria concurrit. Etenim quando judicium de actione ſufficienter determinata in caſu dato ferendum, opus eſt principio generali, quo de actione eum in modum determinata enuntiatur, quod bona ſit, vel quod ſit mala, majoris vicem ſubeunte in ſyllogiſmo definitivo (*§.* 83). Hoc principium cum nobis in memoriam revocetur vi notionis actionis ſufficienter determinatæ, quæ minorem ſyllogiſmi definitivi (§. *cit.*) ſuppeditat (*§.* 354 *& ſeqq. Pſychol. empir.*); evidens eſt, ad judicium verum de bonitate vel malitia actionis ſufficienter determinatæ formandum imaginationem atque memoriam concurrere.

Quodſi quis perpendere voluerit, quæ in Pſychologia empirica de ratiociniis tradidimus, quorum in numero eſt ratiocinium definitivum, cui debetur judicium de actionis bonitate vel malitia ad actionis committendæ vel omittendæ rectitudinem requiſitum (§. 82); ei ignotum eſſe nequit, quænam ſint memoriæ ac imaginationis in præſente negotio partes. Proderit quoque animum advertere ad actiones proprias, quæ animo deliberato fiunt, ut propria experientia edoceamur, quænam eædem ſint.

§. 92.

Concurſus appetitus ad actionem rectam quando fiat.

Si appetitus ſenſitivus cum rationali conſentit; ad actionem humanam rectam concurrit. Etenim ſi appetitus ſenſitivus cum rationali ſeu voluntate concurrit; uterque ad idem objectum tendit (§. 908 *Pſychol. empir.*). Enimvero ad actionem rectam volitio actionis bonæ requiritur; adeoque voluntas tendit ad eam committendam (§. 80), conſequenter huc etiam tendit appetitus ſenſitivus. Similiter actio ſi fuerit recta, voluntas determinatur per ipſam actionis bonitatem (§. *cit.*). Sed appetitus ſenſitivus cum rationali ſeu voluntate conſentit, ſi bonum & confuſe, & diſtincte repræſentatur (*§.* 909 *Pſychol. empir.*). Quamobrem diſtincta boni repræſentatio cum ad determinandum voluntatem (§. 880 *Pſychol. empir.*), confuſa vero ad appetitum ſenſitivum determinandum faciat (*§.* 580 *Pſychol. empir.*); ſimultanea hac determinatione appetitus ſenſitivus etiam quid confert ad voluntatis determinationem. Patet itaque appetitum ſenſitivum ad actionem rectam humanam concurrere, quando cum voluntate conſentit.

Duplici

Digitized by Google

Duplici modo concurrit appetitus ſenſitivus ad actionem rectam, ubi cum rationali ſeu voluntate conſentit, nimirum 1. dum actum appetitus rationalis facit fortiorem, quam forer, ſi is vel ſolus eſſet, vel actum appetitus ſenſitivi experiretur ſibi contrarium, 2. dum motivum, quod in diſtincta boni repræſentatione conſiſtit, fortius reddit, quatenus confuſa repræſentatione boni ad diſtinctam accedente bonitas objecti appetibilis major percipitur. Etſi adeo appetitus ſenſitivus per ſe nihil conferat ad rectitudinem actionis, concurſus tamen ejus ad actionem rectam non exigui momenti eſt.

§. 93.

Concurſus averſationis ſenſitivæ ad actionem rectam quando detur.

Si averſatio ſenſitiva cum rationali ſeu nolunt ate conſentit; ad actionem humanam rectam concurrit. Si enim averſatio ſenſitiva cum noluntate conſentit, cum eadem circa idem objectum verſatur (§. 915 *Pſychol. empir.*). Quare cum ad actionem humanam rectam nolitio actionis malæ requiratur (§. 80); eandem quoque anima averſatur averſatione ſenſitiva. Præterea ſi actio humana recta fuerit, noluntas determinatur per malitiam actionis (*§. cit.*). Quoniam itaque averſatio ſenſitiva cum noluntate conſentit, quando malum & confuſe, & diſtincte repræſentatur (§. 916 *Pſychol. empir.*), diſtincta vero mali repræſentatio ad determinandum noluntatem (*§.* 881 *Pſychol. empir.*), confuſa vero ad averſationem ſenſitivam determinandam facit (§. 582 *Pſychol. empir.*); ſimultanea hac determinatione averſatio ſenſitiva etiam quid ad determinationem noluntatis confert. Atque adeo liquet, averſationem ſenſitivam ad actionem humanam rectam concurrere, ſi cum noluntate conſentit.

Duplici etiam modo ad actionem rectam concurrit averſatio ſenſitiva, quando cum noluntate conſentit, ſcilicet 1. dum actum noluntatis facit fortiorem, quam is foret, ſi vel ſibi ſolus relinqueretur, vel averſatio ſenſitiva eidem contrariaretur: 2. dum motivum noluntatis, quod in diſtincta mali repræſentatione conſiſtit, fortius reddit, quatenus confuſa repræſentatione ad diſtinctam accedente malitia objecti averſabilis major percipitur. Maximi igitur momenti etiam eſt concurſus averſationis ſenſitivæ ad actionem rectam, etſi per ſe nihil conferat ad actionis rectitudinem.

§. 94.

Per ſe appetibile quid ſit.

Per ſe appetibile dicitur, quod tale eſt, ut diſtincte cognitum appetatur, ſeu ut idem velimus, quamprimum diſtincte cognoſcimus, quale ſit.

Nimirum ſi quid per ſe appetibile, ipſum movet appetitum, nec opus eſt rationibus aliunde deſumtis, per quas determinetur voluntas, ut in ipſum feratur.

§. 95.

Per ſe averſabile quid ſit.

Ex adverſo *per ſe averſabile* appellatur, quod tale eſt, ut diſtincte cognitum averſemur, ſeu idem nolimus, quamprimum cognoſcimus diſtincte, quale ſit.

Scilicet ſi quid per ſe averſabile, ejus diſtincta cognitio ſufficit ad noluntatem determinandam, nec opus eſt rationibus aliis, per quas determinetur, ut ipſum nolimus.

§. 96.

Appetibilitas actionum in ſe bonarum qualis.

Actiones in ſe bonæ ſunt per ſe appetibiles. Etenim ſi actio in ſe bona ſit; ex iis determinationibus, per quas concipitur tanquam actio certi cujuſdam generis aut ſpeciei, demonſtrari poteſt, quod ſit bona (§. 56). Quamobrem ubi eam diſtincte cognoſcimus, adeoque ea a ſe invicem diſtinguimus,

mus, quæ ſigillatim de eadem enunciari poſſunt (§. 38 *Pſychol. empir.*); eam nobis repræſentamus tanquam bonam. Enimvero quamprimum quid diſtincte cognoſcimus tanquam bonum, ſeu idem nobis repræſentamus tanquam bonum quoad nos, id volumus (§. 891 *Pſychol. empir.*). Actiones igitur in ſe bonæ tales ſunt, ut quamprimum eas diſtincte cognoſcimus, eaſdem velimus. Quoniam itaque per ſe appetibile eſt, quod tale eſt, ut ipſum velimus, quamprimum diſtincte cognoſcimus, quale ſit (§. 94); actio in ſe bona eſt per ſe appetibilis.

Appetibilitas, quæ actionibus in ſe boois per ſe ineſt, probe notanda, cum ſit fundamentum obligationis naturalis, quæ independenter a ſuperiore ex ipſa natura hominis fluit, quemadmodum ex ſequentibus eluceſcet. Confirmatur veritas propoſitionis a poſteriori, quatenus ad noſmetipſos aoimum advertimus, dum actionem quandam in ſe bonam agnoſcimus. Quoniam demonſtrationes de bonitate actionum in ſe bonarum plurimæ per omne ius naturæ occurrent; ſingulæ locum præbebunt experimento, quo fidem facere licet aſſerto.

§. 97.

Averſabilitas actionũ in ſe malarum qualis.

Actiones in ſe malæ ſunt per ſe averſabiles. Si actiones in ſe malæ ſunt; ex iis determinationibus, per quas concipiuntur tanquam actiones certi cujuſdam generis vel ſpeciei, demonſtrari poteſt, quod ſint malæ (§. 58). Quando igitur eas diſtincte cognoſcimus, adeoque ea a ſe invicem diſtinguimus, quæ ſigillatim de iiſdem enunciari poſſunt (§. 38 *Pſychol. empir.*); eas nobis repræſentamus tanquam malas. Verum enimvero quamprimum quid nobis repræſentamus tanquam malum, id ipſum averſamur (§. 590 *Pſychol. empir.*), & quidem nolumus, quando diſtincte cognoſcimus, quod ſit malum (§. 881 *Pſychol. empir.*). Actiones igitur in ſe malæ tales ſunt, ut quamprimum eas diſtincte cognoſcimus, eaſdem nolimus. Quamobrem cum per ſe averſabile ſit, quod tale eſt, ut idem nolimus, quamprimum diſtincte cognoſcimus, quale ſit (§. 95); actiones in ſe malæ per ſe averſabiles ſunt.

Quæ de appetibilitate, actionibus in ſe bonis competente, modo annotavimus (*not.* §. 96); ea quoque tenenda ſunt de averſabilitate, quæ actionibus in ſe malis per ſe inhæret, nec aliunde demum ſupervenit.

§. 98.

Actiones in ſe indifferẽtes cur per ſe non appetibiles, nec averſabiles.

Actiones in ſe indifferentes per ſe nec appetibiles, nec averſabiles ſunt. Si enim actio in ſe indifferens eſt, ex iis determinationibus, per quas concipitur tanquam actio certi generis vel ſpeciei, demonſtrari nequit, quod ſit bona, nec quod ſit mala (§. 60). Quamobrem etſi diſtincte cognoſcatur, adeoque omnia a ſe invicem diſtinguantur, quæ de eadem ſigillatim enunciari poſſunt (§. 38 *Pſychol. empir.*); nunquam tamen eandem nobis repræſentamus tanquam bonam, vel tanquam malam. Quoniam itaque diſtincta boni repræſentatio motivum volitionis, & mali diſtincta repræſentatio motivum nolitionis (§. 890 *Pſychol. empir.*), nec ſine motivo ulla datur in anima volitio, nec nolitio ulla (§. 889 *Pſychol. empir.*); quamvis actionem in ſe indifferentem diſtinctiſſime cognoſcamus, nullo tamen mo-

Digitized by Google

do fieri poteſt, ut ideo eandem velimus, vel nolimus. Enimvero tum demum quid per ſe appetibile eſt, ubi idem volumus, quamprimum diſtincte cognoſcimus, quale ſit (§. 94), & tum demum per ſe averſabile eſt, ubi ipſum nolumus, quamprimum diſtincte cognoſcimus, quale ſit (§. 95). Patet itaque actiones indifferentes neque per ſe appetibiles, neque per ſe averſabiles eſſe.

Eodem modo, quo hic oſtenditur, quod actiones in ſe indifferentes, per ſe nec appetibiles, nec averſabiles ſint, oſtendi quoque poterat, quod actiones in ſe bonæ ſint per ſe appetibiles, & actiones in ſe malæ per ſe averſabiles. Quoniam enim ex iis determinationibus, per quas actio in ſe bona tanquam actio certi generis vel ſpeciei concipitur, demonſtrari poteſt, quod ſit bona (§. 56), motivum volitionis in ſe continet (§. 890 *Pſychol. empir.*), quo tanquam ratione volitionis ſufficiente (§. 887 *Pſychol. empir.*) poſito ipſa ponitur volitio (§. 118 *Ontol.*). Et viciſſim quoniam ex determinationibus eſſentialibus actionis in ſe malæ demonſtrari poteſt, quod ea mala ſit (§. 58), motivum nolitionis in ſe continet (§. 890 *Pſychol. empir.*), quo tanquam ratione nolitionis ſufficiente (§. 887 *Pſychol. empir.*) poſito ponitur ipſa nolitio (§. 118 *Ontol.*). Actiones igitur in ſe bonæ per ſe appetibiles (§. 94), in ſe autem malæ per ſe averſabiles ſunt (§. 95). Atque hoc pacto multo evidentius patet, actionibus in ſe bonis inhærere appetibilitatem, & in ſe malis averſabilitatem tanquam ab iis inſeparabilem.

§. 99.

Appetibilitas per ſe ex quo fonte fluat.

Actiones, quæ bonitatem intrinſecam habent, per ſe appetibiles ſunt. Quoniam enim bonitas intrinſeca ponitur, poſita notione actionis, ſeu eidem competit propter ea, quæ notionem actionis ingrediuntur (§. 57), motivum vero volitionis eſt diſtincta boni repræſentatio (§. 890 *Pſychol. empir.*); in actionibus, quæ bonitatem intrinſecam habent, motivum volitionis continetur. Motivum eſt ratio ſufficiens volitionis (§. 887 *Pſychol. empir.*), adeoque eo poſito ponitur volitio (§. 118 *Ontol.*). Quoniam igitur per ſe appetibile eſt, quod volumus, quamprimum id diſtincte cognoſcimus (§. 94); actiones, quæ bonitatem intrinſecam habent, per ſe appetibiles ſunt.

Patet adeo fontem appetibilitatis per ſe actioni competentis eſſe bonitatem intrinſecam. Nimirum ſi actionem quandam volumus, aut petimus motivum ex ipſa ejus notione, aut aliunde. Si ex ipſa ejus notione actionis motivum deſumitur, eam per ſe appetimus; ſi vero aliunde, eandem per ſe non appetimus. Quodſi notio actionis continet motivum, id inde deſumi poteſt, adeoque actio per ſe appetibilis eſt, etiamſi per ſe non appetatur ab agente: ſin vero notio actionis motivum non continet, nec id inde deſumi poteſt, conſequenter nec actio per ſe appetibilis eſſe poteſt. Unde cum motivum in repræſentatione boni diſtincta conſiſtat (§. 890 *Pſychol. empir.*); evidentiſſimum eſt, quod actio quædam ſit per ſe appetibilis, id eſſe a bonitate ejus intrinſeca.

§. 100.

Quando actiones in ſe indifferentes ſint per ſe appetibiles.

Quoniam non modo actiones in ſe bonæ, verum etiam in ſe quidem indifferentes, ſed propter determinationes accidentales in bonas abeuntes, bonitatem intrinſecam habent (§. 62), actiones autem, quæ bonitatem intrinſecam habent, per ſe appetibiles ſunt (§. 99); *actiones per ſe quidem indifferentes, ſed propter determinationes accidentales in bonas abeuntes, per ſe appetibiles ſunt, perinde ac in ſe bonæ.*

Bonitas intrinſeca in actionibus in ſe bonis ſeſe habet per modum attributi (§. 157 *Ontol.*); in actionibus autem in ſe indifferentibus, ſed quæ propter determinationes accidentales eſſen-

Digitized by Google

eſſentialibus ſupervenientes in bonas abeunt, ſeſe habet per modum modi (§. 160 *Ontol.*). Quamobrem cum appetibilitas per ſe competens actioni a bonitate intrinſeca inſeparabilis ſit; illa quoque in priori actionum genere inſtar attributi, in poſteriori inſtar modi eſt.

§. 101.

Averſabilitas actionum per ſe ex quo fonte fluat.

Actiones, quæ malitiam intrinſecam babent, per ſe averſabiles ſunt. Quoniam enim malitia actionis intrinſeca ponitur poſita notione actionis, ſeu actioni competit per ea, quæ notionem ejus ingrediuntur (§. 59), motiva vero nolitionis ſunt mali diſtincta repræſentatio (§. 890 *Pſychol. empir.*); in actionibus, quæ malitiam intrinſecam habent, motivum nolitionis continetur. Motivum eſt ratio ſufficiens nolitionis (§. 887 *Pſychol. empir.*), conſequenter eo poſito ponitur nolitio (§. 118 *Ontol.*). Quamobrem cum per ſe averſabile ſit, quod nolumus, quamprimum id diſtincte cognoſcimus (§. 95); actiones malitiam intrinſecam habentes per ſe averſabiles ſunt.

Habemus itaque genuinum fontem averſabilitatis actionibus quibuſdam per ſe competentis, intrinſecam nimirum earundem malitiam. Poſſunt autem mutatis mutandis huc applicari, quæ de fonte appetibilitatis actionibus nonnullis per ſe competentis paulo ante annotavimus (*not.* §. 99).

§. 102.

Quando actiones, in ſe indifferentes, fiant per ſe averſabiles.

Quoniam non modo actiones in ſe malæ, verum etiam in ſe quidem indifferentes, ſed propter determinationes accidentales in malas abeuntes, malitiam intrinſecam habent (§. 63), actiones autem malitiam intrinſecam habentes averſabiles ſunt per ſe (§. 101); ***actiones in ſe indifferentes, ſed propter determinationes accidentales in malas abeuntes, per ſe averſabiles ſunt, perinde ac actiones in ſe malæ.***

Eodem, quo ante (*not.* §. 100), modo liquet, intrinſecam malitiam &, quæ inde pendet, averſabilitatem actioni per ſe competentem eſſe inſtar attributi in actionibus in ſe malis, aſt inſtar modi in actionibus in ſe quidem indifferentibus, ſed propter determinationes accidentales in malas abeuntibus.

§. 103.

Quænã actiones ſint intrinſece bonæ.

Si actiones ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri per ſe tendunt, ſeu nos ſtatumque noſtrum perficiunt; bonitatem intrinſecam habent, & contra. Etenim ſi actiones ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri per ſe tendunt; neceſſe eſt ut per ea, quæ notioni actionis inſunt, determinetur earum ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri tendentia (§. 513 *Log.*), conſequenter eadem ponitur poſita notione actionis (§. 115 *Ontol.*). Quamobrem cum actiones ideo bonæ ſint, quod ad noſtram ſtatusque noſtri perfectionem tendunt (§. 554 *Pſychol. empir.*); poſita notione actionis ponitur ejuſdem bonitas. Enimvero intrinſeca actionis bonitas eſt, quæ ejus poſita notione ponitur (§. 57). Actiones igitur, quæ per ſe tendunt ad noſtram ſtatuſque noſtri perfectionem, intrinſecam bonitatem habent. *Quod erat primum.*

Quodſi actio aliqua bonitatem intrinſecam habet, per ipſam ejus notionem, adeoque per ſe, bona eſſe debet (§. 57). Quoniam itaque actio bona eſſe nequit, niſi quæ ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendit

 (§. 554

Digitized by Google

(§. 554 *Pſychol. empir.*); actio bonitatem intrinſecam habens ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri per ſe tendere debet.

Nemo non videt, nos hic philoſophari de actionibus, quatenus ſpectantur tanquam actiones liberæ hominis citra reſpectum ad ſuperiorem, cujus poteſtati ſubjectus eſt homo. Unde quæ de actione prædicantur, ex ipſa ejus notione deducenda ſunt, neque enim rei conveniunt prædicata, niſi quæ ex iis, quæ de ea ſumuntur, nulla vero repugnantia ſumi poſſunt, demonſtrari poſſunt: quemadmodum dubitare nequit, qui principia logica & ontologica habuerit perſpecta. Probe autem hæc notanda veniunt, ne circa bonitatem intrinſecam actionum hæreat, qui præjudiciis occupatum tenet animum, & ut intrinſecæ bonitatis demonſtrandæ principia ſuppetant. Etenim in Jure naturali id agimus, ut intrinſecam actionum bonitatem demonſtremus: quam latius patere, quam vulgo putatur, ſuo conſtabit loco.

§. 104.

Quomodo ad voluntatem ſe habeant actiones ad perfectionem noſtram tendentes.

Quoniam actiones ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri per ſe tendentes bonitatem intrinſecam habent (§. 103), quæ autem bonitatem intrinſecam habent, per ſe apperibiles ſunt (§. 99); *actiones per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendentes per ſe appetibiles ſunt.*

Qui cognoſcit, actionem aliquam per ſe tendere ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui; is ſibi eandem diſtincte repræſentat tanquam intrinſece bonam (§. 554 *Pſychol. empir.*). Atque hoc ipſo habet motivum volitionis (§. 890 *Pſychol. empir.*), quo tanquam ratione ſufficiente volitionis poſito (§. 887 *Pſychol. empir.*), ponitur volitio (§. 118 *Ontol.*). Patet igitur etiam hoc modo, actiones per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendentes per ſe appetibiles eſſe (§. 94).

§. 105.

Actiones per ſe appetibiles quænam ſint.

Actiones per ſe appetibiles tendunt ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri. Si enim actio per ſe appetibilis eſt, eandem volumus, quamprimum eandem diſtincte cognoſcimus (§. 94). Quoniam itaque ſine motivo nulla datur volitio (§. 889 *Pſychol. empir.*), neceſſe eſt ut diſtincta ejus cognitio nobis præbeat volitionis motivum. Enimvero motivum volitionis in diſtincta boni repræſentatione conſiſtit (§. 890 *Pſychol. empir.*). Quamprimum itaque actionem per ſe appetibilem diſtincte cognoſcimus, eam nobis repræſentare debemus tanquam bonam. Bona eſt actio, quæ ad noſtram ſtatuſque noſtri perfectionem tendit (§. 554 *Pſychol. empir.*). Actio itaque per ſe appetibilis ad noſtram ſtatuſque noſtri perfectionem tendere debet.

Videmus adeo neceſſarium eſſe nexum inter appetibilitatem actioni per ſe competentem & tendentiam ejus ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri, ita ut poſita una ponatur etiam altera.

§. 106.

Quænam actiones ſint intrinſece malæ.

Si actio aliqua ad noſtram ſtatuſque noſtri imperfectionem per ſe tendit, malitiam intrinſecam habet, & contra. Cum veritas propoſitionis in determinabilitate prædicati per notionem ſubjecti conſiſtat (§. 513 *Log.*), ſi actio aliqua ad noſtram ſtatuſque noſtri imperfectionem per ſe tendit; poſita notione actionis ponitur quoque iſta tendentia, conſequenter quia ideo mala eſt actio, quod ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri tendit (§. 565 *Pſychol. empir.*), ipſa ponitur malitia actionis (§. 113 *Ontol.*). Quamobrem cum malitia intrinſeca actionis ſit, quæ poſita ejus notione ponitur (§. 59); actio ad no-

ſtram ſtatuſque noſtri imperfectionem per ſe tendens malitiam intrinſecam habet. *Quod erat unum.*

Actio mala ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri tendit (§. 565 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum actio intrinſece mala ſit, quæ per notionem ſuam, adeoque per ſe, mala eſt (§. 59); actio intrinſece mala ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri per ſe tendat, neceſſe eſt. *Quod erat alterum.*

§. 107.

Quomodo ad noluntatem ſe habeãt actiones tendentes ad imperfectionem noſtram.

Quoniam actiones ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri per ſe tendentes malitiam intrinſecam habent (§. 106), actio vero malitiam intrinſecam habens per ſe averſabilis eſt (§. 101); *actio per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendens, per ſe averſabilis eſt.*

Qui cognoſcit actionem aliquam per ſe tendere ad imperfectionem ſuam ſtatuſque ſui, is ſibi eandem diſtincte repræſentat tanquam extrinſece malam (§. 565 *Pſychol. empir.*). Atque eo ipſo habet motivum nolitionis (§. 890 *Pſychol. empir.*), quo tanquam ratione nolitionis ſufficiente poſito (§. 887 *Pſychol. empir.*) ponitur nolitio (§. 518 *Ontol.*). Patet itaque etiam hoc modo, actiones per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendentes per ſe averſabiles eſſe (§. 95).

§. 108.

Actiones per ſe averſabiles quænam ſint.

Actiones per ſe averſabiles tendunt ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri. Si enim actio per ſe averſabilis, eam nolumus, quamprimum eandem diſtincte cognoſcimus (§. 95). Quoniam ſine motivo nulla datur in anima nolitio (§. 889 *Pſychol. empir.*), diſtincta ejus cognitio motivum nolitionis præbeat opus eſt. Motivum nolitionis diſtincta mali repræſentatio eſt (§. 890 *Pſychol. empir.*). Quamprimum igitur actionem per ſe averſabilem cognoſcimus diſtincte, eam nobis repræſentamus tanquam malam. Cum itaque mala ſit actio, quæ ad noſtram ſtatuſque noſtri imperfectionem tendit (§. 565 *Pſychol. empir.*); actio per ſe averſabilis ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendit.

Neceſſarius adeo nexus eſt inter averſabilitatem actioni propriam & ejus ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendentiam, ita ut cum una ponatur etiam altera, nec una concipi poſſit abſque altera.

§. 109.

Cur bonum apparens per ſe appetibile non ſit.

Bonum apparens per ſe appetibile non eſt. Etenim bonum apparens nos ſtatumque noſtrum tantummodo perficere videtur (§. 557 *Pſychol. empir.*); adeoque pro bono tantummodo habetur, cum non ſit (§. 554 *Pſychol. empir.*), per errorem (§ 623 *Log.*). Quamobrem cum verum ſit, quod demonſtrari poteſt (§. 544 *Log.*); ex notione ejus demonſtrari nequit, quod ſit bonum, conſequenter quamprimum id diſtincte cognoſcimus, nullum præbet volitionis motivum (§. 890 *Pſychol. empir.*), neque adeo ipſum velle poſſumus (§. 889 *Pſychol. empir.*). Per ſe appetibile non eſt, quod non volumus, quamprimum id diſtincte cognoſcimus (§. 94). Bonum igitur apparens per ſe appetibile non eſt.

Nimirum ſi bonum apparens, per ſe appetibile eſſe deberet, motivum volitionis in ſe continere, conſequenter bonitatem intrinſecam habere deberet (§. 57). Sed bonitas eidem

tantum-

Digitized by Google

tantummodo tribuitur per errorem: quæ cum ſit ratio ſufficiens appetitus (§. 586 *Pſychol. empir.*), appetibilitas ex errore fluit, adeoque extrinſecus eidem ſuperaccedit, non vero ipſi ineſt, quemadmodum vidimus paulo ante, quod inſit actionibus intrinſecam bonitatem habentibus (§. 99).

§. 110.

Actiones apparẽter bonæ cur per ſe non ſint appetibiles.

Cum actiones apparenter bonæ ſint in numero bonorum apparentium, quemadmodum revera bonæ in numero bonorum verorum; *actiones* quoque *apparenter bonæ*, hoc eſt, *quæ bonæ videntur*, *non ſunt*, *per ſe appetibiles non ſunt* (§. 109).

Poteſt demonſtratio integra propoſitionis præcedentis ad actiones apparenter bonas applicari; quo facto patebit differentia, quæ inter actiones bonitatem intrinſecam habentes, & inter apparenter bonas intercedit. Illæ nimirum motivum volitionis continent, quod ab ipſis inſeparabile eſt; hæ autem nullum volitionis motivum continent, ſed error aliquam invehit rationem, quæ movet appetitum. Unde appetibilitas illis ineſt per ſe, non aliunde venit; hæ appetibiles efficiuntur per id, quod non habent. In illis appetibilitas appetitum rationalem reſpicit, in his nonniſi ſenſitivum, quemadmodum ex utriuſque appetitus differentia intelligitur (§. 580. 880 *Pſychol. empir.*).

§. 111.

Cur malum apparens per ſe averſabile non ſit.

Malum apparens per ſe averſabile non eſt. Etenim malum apparens nos ſtatumque noſtrum tantummodo imperfectiores reddere videtur (§. 568 *Pſychol. empir.*), adeoque pro malo tantummodo habetur, cum non ſit (§. 565 *Pſychol. empir.*), per errorem (§. 623 *Log.*). Quoniam itaque verum eſt, quod demonſtrari poteſt (§. 544 *Log.*); ex ejus notione demonſtrari nequit, quod ſit malum, adeoque nullum præbet nolitionis motivum, quamprimum diſtincte cognoſcitur (§. 890 *Pſychol. empir.*), conſequenter nec fieri poteſt, ut idem nolimus, quamprimum diſtincte cognoſcimus (§. 889 *Pſychol. empir.*). Per ſe averſabile non eſt, quod ut nolimus fieri nequit, quamprimum id diſtincte cognoſcimus (§. 95). Malum igitur apparens, per ſe averſabile non eſt.

Nimirum ſi malum apparens, per ſe averſabile eſſe deberet, motivum nolitionis in ſe continere, conſequenter malitiam intrinſecam habere deberet (§. 59): quæ enim de malitia & bonitate intrinſeca actionum diximus, ea quoque ad malum & bonum in genere applicari poſſunt. Sed malitia eidem tantummodo tribuitur per errorem: quæ cum ſit ratio ſufficiens averſationis (§. 586 *Pſychol. empir.*), averſabilitas ex errore fluit, adeoque extrinſecus eidem ſuperaccedit, non vero ipſi ineſt, quemadmodum vidimus paulo ante, quod inſit actionibus intrinſecam malitiam habentibus.

§. 112.

Actiones apparẽter malæ cur per ſe averſabiles non ſint.

Cum actiones apparenter malæ ſint in numero malorum apparentium, quemadmodum revera malæ in numero malorum verorum; *actiones* quoque *apparenter malæ*, hoc eſt, *quæ malæ videntur*, *non ſunt*, *per ſe averſabiles non ſunt* (§. 111).

Demonſtratio integra propoſitionis præcedentis ad actiones apparenter malas applicari poteſt: quo facto clarius eluceſcet differentia inter actiones malitiam intrinſecam habentes & inter actiones apparenter malas. Illæ ſcilicet motivum nolitionis continent, quod ab ipſis inſeparabile eſt; hæ autem nullum nolitionis motivum in ſe habent, ſed error invehit rationem aliquam falſam, quæ movet appetitum ſenſitivum. Unde averſabilitas illis ineſt per ſe, per modum attributi, aut in nonnullis inſtar modi, non aliunde venit; hæ demum averſabiles fiunt per id, quod non habent.

§. 113.

§. 113.

Actiones per ſe indifferentes quomodo ſe habeant ad appetitum & averſationem.

Actiones in ſe indifferentes per ſe nec appetibiles, nec averſabiles ſunt. Si enim actio in ſe indifferens, ex iis determinationibus eſſentialibus, per quas concipitur tanquam actio certi generis vel ſpeciei, demonſtrari nequit, quod ſit bona, nec quod ſit mala (§.60). Quamobrem cum diſtincta boni repræſentatio ſit motivum volitionis, diſtincta vero mali repræſentatio motivum nolitionis (§. 890 *Pſychol. empir.*); motivum nec volitionis, nec nolitionis præbet, etſi diſtincte cognoſcatur. Atat ſine motivis nulla datur in anima volitio, nulla nolitio (§.889 *Pſychol.empir.*). Etſi itaque actiones in ſe indifferentes diſtincte cognoſcantur, fieri tamen nequit, ut ideo eas velimus, vel nolimus. Per ſe appetibilis eſt actio, quam volumus, quamprimum eam diſtincte cognoſcimus (§.94), per ſe autem averſabilis, quam nolumus, quamprimum eam diſtincte cognoſcimus (§. 95). Patet itaque actiones in ſe indifferentes, per ſe nec appetibiles, nec averſabiles eſſe.

Quando actiones indifferentes evadant per ſe appetibiles & per ſe averſabiles, oſtendimus ſupra (§. 100. 102), nimirum quando ſufficienter determinatæ bonitatem vel malitiam intrinſecam conſequuntur. Quodſi per errorem actiones quædam pro indifferentibus habentur, vel propter ignorantiam bonitatis, vel malitiæ iiſdem competentis, quoad nos indifferentium loco ſunt, ut neque eas appetamus, neque averſemur; nemo tamen dixerit, quod ideo per ſe nec appetibiles, nec averſabiles ſint. Atque hæc lucem affundunt iis, quæ de actionibus apparenter bonis vel malis annotavimus (§. 150. 152).

§. 114.

Conſenſus actionum intrinſece bonarum & inter ſe & cum naturalibus.

Actiones bonitatem intrinſecam habentes omnes & inter ſe, & cum naturalibus conſentiunt. Actiones enim, quæ bonitatem intrinſecam habent, ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri tendunt (§.103). Quamobrem cum inter ſe conſentiant, quæ ad idem aliquod obtinendum tendunt, ipſaque perfectio requirat conſenſum eorum, quæ ad eam requiruntur (§. 503 *Ontol.*); actiones omnes, quæ bonitatem intrinſecam habent, inter ſe conſentiunt. *Quod erat unum.*

Jam actiones, quæ bonæ ſunt, per eaſdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales (§. 54), adeoque cum naturalibus ad eoſdem fines tendunt. Quoniam itaque inter ſe conſentiunt, quæ ad idem aliquod obtinendum tendunt (§. 503 *Ontol.*); actiones, quæ bonitatem intrinſecam habent, cum naturalibus quoque conſentiunt. *Quod erat alterum.*

Atque adeo apparet, quomodo obtineri poſſit, ut omnium actionum tam liberarum, quam naturalium obtineatur conſenſus, ita ut nihil in iis deprehendatur, quod contradicat aliis: quo ipſo naſcitur per totam vitam actionum ſyſtema, in quo actiones omnes ita inter ſe ſunt connexæ, ut unius ex aliis ratio reddi poſſit, quemadmodum veritates in ſyſtemate a ſe invicem dependent. Non eſt quod excipias, hoc pacto ab homine exigi quod impoſſibile: neque enim jam nobis de eo quæſtio eſt, quantum valeant vires humanæ, ſed qualis eſſe debeat actionum liberarum directio, ut nihil in earum rectitudine deſiderari poſſit. Non exiguæ profecto utilitatis eſt hoc noſſe, cum non modo inde intelligatur, ad quid contendere debeamus; verum etiam veritates maxime arduæ ac fundamentales religionis chriſtianæ confirmentur, quantum ſufficit ad probabilem aſſenſum iiſdem præbendum, eaſ-

que

que adverſus illius hoſtes defendendum: id quod iis conſonum, quæ Theologi de motivis credibilitatis tradunt, quando de divina auctoritate Sacræ Scripturæ loquuntur. Etſi enim Philoſophus demonſtrare nequeat, quæ divino lumine colluſtrati docent Theologi; ipſius tamen eſt ſuppeditare arma, quibus contra eos pugnes, qui Sacræ Scripturæ auctoritatem non admittunt, ut conſtet, non tradi ab iis, quæ per principia rationis falſa demonſtrari poſſunt.

C A P U T II.

De Obligatione ac Lege naturali.

§. 115.

Moraliter neceſſarium quid ſit.

M*Oraliter neceſſarium* eſt, cujus oppoſitum moraliter impoſſibile.

Nimirum in genere neceſſarium dicitur, cujus oppoſitum impoſſibile. Quamobrem cum aliud ſit phyſice, aliud moraliter impoſſibile (§. 952 *part. I. Theol. nat.*); fieri etiam poteſt, ut oppoſitum alicujus vel phyſice, vel moraliter impoſſibile ſit. Quodſi ergo contingat, oppoſitum moraliter impoſſibile eſſe; dicetur id, cujus oppoſitum moraliter impoſſibile eſt, notioni neceſſarii convenienter moraliter neceſſarium, quemadmodum jam alias monuimus (*not.* §. 972 *part. I. Theol. nat.*). E. gr. Si quis tantummodo elevare poteſt pondus 50 librarum, impoſſibile eſt ut elevet pondus, quod 50 libras ſuperat (§. 28 *Ontol.*). Atque adeo phyſice impoſſibile eſt, ut elevet pondus majus, quam 50 librarum (§. 952 *part. I. Theol. nat.*). Enimvero ubi homo egenus a divite eleemoſynam petit, non minus fieri poteſt, ut eleemoſynam det, quam ut non det. Quoniam vero Deus jubet eleemoſynam dari petenti, per mandatum fieri nequit, ut non detur. Quamobrem cum homo actiones liberas non ex ſuo arbitratu, ſed ſecundum voluntatem Dei determinare debeat (§. 974 *part. I. Theol. nat.*), per mandatum Dei fieri nequit, ut non detur. Quatenus itaque homo ſpectatur tanquam ſervus Dei (§. 968 *part. I. Theol. nat.*), facile hinc oſtenditur, quod ſalva actionis rectitudine fieri nequeat, ut eleemoſynam non det petenti (§. 950 *part. I. Theol. nat.*). Atque ideo moraliter impoſſibile eſt, ut a divite egeno non detur eleemoſyna (§. 952 *part. I. Theol. nat.*). Vi igitur definitionis præſentis moraliter neceſſarium eſt, ut a divite detur egeno petenti eleemoſyna. Satis igitur intelligitur, quandonam quid moraliter neceſſarium dici debeat.

§. 116.

Qualis neceſſitas ſit moralis.

Quod moraliter neceſſarium eſt, nonniſi hypothetice neceſſarium eſt. Quod enim moraliter neceſſarium eſt, ejus oppoſitum nonniſi moraliter impoſſibile eſt (§. 115). Quamobrem cum moraliter impoſſibile ſit, quod ſalva actionis rectitudine fieri nequit (§. 952 *part. I. Theol. nat.*); moraliter neceſſarii oppoſitum ſalva actionis rectitudine fieri nequit. Quoniam adeo oppoſitum ejus, quod moraliter neceſſarium, nonniſi impoſſibile ſub hac conditione, quod actio eſſe debeat recta, illud autem hypothetice neceſſarium eſt, cujus oppoſitum ſub data quadam conditione impoſſibile (§. 302 *Ontol.*); evidens eſt moraliter neceſſarium nonniſi hypothetice neceſſarium eſſe.

Patet hoc ex exemplo, quod modo dedimus (*not.* §. 115). Nimirum ſub hac conditione, quod homo actiones ſuas liberas determinare debeat ſecundum voluntatem Dei, impoſſibile eſt, ut non detur eleemoſyna egeno a divite, atque adeo neceſſarium eſt, ut homini egeno a divite eleemoſyna detur. Quodſi ergo dives affirmet, neceſſarium eſſe, ut det egeno eleemoſynam, nec ſe eandem ipſi denegare poſſe: neceſſitas hæc nonniſi hypothetica eſt.

§. 117.

§. 117.

Neceſſitatis moralis veræ & apparentis differentia.

Moraliter neceſſarium vere tale eſt, cujus oppoſitum revera moraliter impoſſibile: *apparenter* autem *tale* eſt, cujus oppoſitum pro moraliter impoſſibili habetur, cum non ſit.

Nemo non videt, moraliter neceſſarium apparenter tale tantummodo pro moraliter neceſſario haberi, cum non ſit, per errorem dijudicantis. Abſonum itaque videri poterat neceſſitatem moralem diſtingui in veram & apparentem, cum hoc pacto ens omne, qualecunque tandem ſit, in verum atque apparens diſtingui deberet. Res diſtingui debent per determinationes intrinſecas, non vero per relationem ad intellectum cognoſcentis. Enimvero peculiaris ſubeſt ratio, cur in philoſophia practica moraliter neceſſarium, quod revera tale eſt, ab eo, quod nonniſi tale apparet, diſtinguatur, quemadmodum bonum verum a bono apparente, & malum verum a malo apparente (§. 557. 568 *Pſychol. empir.*), & voluptas ac moleſtia vera ab apparente (§. 514 *not.* 518 *Pſychol. empir.*) diſtinguitur. Nimirum cum ea, a quibus pendet appetitus & averſatio, ad haſce animæ facultates ob generalem earundem determinationem, quæ ipſis eſſentialis eſt, eodem modo ſeſe habeant, ſive vera ſint, ſive apparentia; ea in hoc caſu a ſe invicem diſtingui conſultum eſt. In horum numero cum ſit neceſſitas moralis; eodem jure eadem in veram & apparentem diſtinguitur, quo bonum verum & apparens a ſe invicem diſtinguimus. Sane notio moralis neceſſitatis involvit notionem rectitudinis actionis, adeoque dijudicatu haud raro difficilis, ut eadem facilitate in judicando aberrare poſſis, qua ubi de bono vel malo judicium ferri debet.

§. 118.

Obligatio activa & paſſiva quidnam ſit.

Neceſſitas moralis agendi vel non agendi dicitur *obligatio paſſiva*. Connexio autem motivi cum actione, ſive poſitiva, ſive privativa, *obligatio activa* appellatur. Utraque vocatur ſimpliciter *obligatio*, quoties de alterutra verba facimus, propterea quod ex ſubſtrata materia intelligitur, utrum de paſſiva, an vero de activa ſermo ſit.

Definitiones haſce obligationis jam dedimus alibi (§. 973 *part. I. Theol. nat.*). Abſit autem, ut quis ſibi perſuadeat, eas hic immutari, quod ibi obligationem paſſivam tantummodo definiverimus per neceſſitatem moralem agendi, hic vero addamus, quod etiam ſit neceſſitas moralis non agendi. Etenim cum actiones vel ſint poſitivæ, vel privativæ (§ 24); jamdudum uſu receptum eſt, ut quando de actionibus in genere loquimur, idem non minus de privativis, quam de poſitivis intelligatur. Unde etiam juris tam naturalis, quam civilis Doctores ſub factis etiam non facta comprehendunt. Quæ igitur hic adjiciuntur, melioris tantummodo explicationis gratia addimus, ubi harum definitionum propria ſedes eſt. Ceterum quæ ad illuſtrandum definitionem præſertim obligationis activæ faciunt, alibi legi poſſunt (§. 973 *part. I. Theol. nat.*).

§. 119.

Obligationis paſſivæ ex activa ortus.

Obligatio paſſiva venit ex activa, ſeu *hanc præſupponit*. Etenim obligatio paſſiva in neceſſitate morali agendi, vel non agendi conſiſtit (§. 118). Quodſi ergo moraliter neceſſarium eſt, ut agas, vel non agas; in priori caſu neceſſe eſt ut agere velis, in poſteriori autem ut agere nolis (§. 12). Sine motivo nulla datur in anima volitio, nulla nolitio (§. 889 *Pſychol. empir.*). Neceſſe igitur eſt, ut cum actione tam privativa, quam poſitiva conjungatur motivum aliquod, voluntate tua ab actione non ſeparabile: quodſi enim hoc fieri poſſet, nec amplius neceſſitas ulla agendi, vel non agendi relinqueretur. Connexio motivi cum actione poſitiva, vel privativa obligatio activa eſt (§. 118). Paſſiva igitur obligatio non concipitur ſine activa, ſeu eam præſupponit, aut quod perinde eſt, non datur paſſiva obligatio, niſi detur activa, conſequenter paſſiva ex activa venit.

Digitized by Google

Patet veritas propoſitionis per exempla eunti. Venditur obligatus eſt ad rem emtam emtori tradendam, & emtor viciſſim ad pretium venditori ſolvendum. Obligavit autem ſibi emtor venditorem, quatenus acquiſivit jus exigendi traditionem rei emtæ ex promiſſo venditoris, & venditor ſibi obligavit emtorem, quatenus acquiſivit jus exigendi pretium promiſſum ex promiſſo emturis: quemadmodum ſuo loco clarius docebitur. Ex obligatione igitur activa ex utraque parte deſcendit paſſiva. Utrobique motivum actionis eſt metus, ne vi exigatur, quod præſtari debet, niſi ſponte fiat, ſi ab obligatione naturali tanquam remotiori ad ſervanda promiſſa receſſeris. Hoc veru motivum cum præſtationibus mutuis contrahentes connectunt conſenſu ſuo, quemadmodum requirit notio obligationis activæ (§. 118). Nemo in hiſce majorem lucem deſideret, quæ hic nondum demonſtrari poſſunt, ſed tanquam vulgo conceſſæ ſumuntur. Similiter ſi parentes liberos obligant ad aliquid non faciendum, metu verberum, quæ minantur; dum metus verberum inducit neceſſitatem moralem non faciendi, quod alias facerent, adeoque obligationem paſſivam, nemo non videt ex activa obligatione deſcendere paſſivam. Ceterum notandum eſt, nos hic ſupponere obligationem activam eſſe rectam, nec quicquam vitii habere actum obligantis: alias enim, cum ipſa nulla ſit, nulla quoque erit obligatio paſſiva, quæ hinc naſci debebat. Unde non moramur objectiones, quas forſan imperiti facere poterant, ex hoc principio facile diluendas & in exemplis datis ſuo loco in fumum abituras, ubi ſingula, quæ præſupponuntur, demonſtrata fuerint.

§. 120.

Obligationi quando ſatisfiat.

Obligationi ſatisfieri dicitur, ſi obligatus agit, vel non agit, ad quod agendum, vel non agendum obligatur.

Ita venditor ſatisfacit obligationi ſuæ, ſi rem emtam emtori tradit; emtor vero ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi pretium promiſſum ſolvit. Liberi ſatisfaciunt obligationi ſuæ, ſi faciunt, quod facere jubentur, ni verbera accipere malint.

§. 121.

Actus quinam obligatorius dicatur.

Actus obligatorius dicitur, quo obligatio inducitur paſſiva.

Ita promiſſio venditoris de re ſua emtori tradenda actus obligatorius eſt, quia inducitur obligatio ad rem emtam emtori tradendam, & viciſſim promiſſio emtoris de ſolvendo pretio actus obligatorius eſt, quia inducitur obligatio ad pretium venditori ſolvendum. Hic tantummodo explicamus, quinam actus obligatorius dicatur, non vero undenam ſit, quod fiat obligatorius: id enim ſuo loco demonſtrabitur. Quamobrem in exemplo allato tantummodo ſupponimus, promiſſione venditoris induci obligationem ad rem tradendam, promiſſione emturis autem obligationem ad pretium ſolvendum: cur vero hoc fiat, ſuo oſtendetur loco.

§. 122.

Undenã ſit, ut actiones quædam ad perfectionem, quædam ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendant.

Actiones, quæ ad perfectionem, vel imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri tendunt, per ipſam eſſentiam atque naturam noſtram rerumque, ad eas concurrentium, ad eandem tendunt. Etſi enim actiones liberæ per eſſentiam & naturam animæ ac corporis non determinentur, quoad actualitatem ſcilicet, ſed a libertate animæ pendeant (§. 12); quoniam tamen anima vi libertatis ex pluribus poſſibilibus ſponte eligit, quod ipſi placet, cum ad nullum eorum per eſſentiam determinata ſit (§. 941 *Pſychol. empir.*), actiones iſtiuſmodi poſſibiles ſunt, antequam eliguntur, nec aliter executioni demandantur, quam poſſibiles ſunt. Enimvero quicquid naturaliter poſſibile eſt & ad actum perducitur, in eſſentia & natura rerum rationem ſufficientem habet (§. 509 *Coſmol.*), conſequenter poſita eſſentia & natura animæ atque corporis ponitur poſſibilitas iſtiuſmodi actionum, quæ vel ad perfectionem vel imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt, atque ad actum perduci

hæ

Digitized by Google

hæ actiones poſſunt (§. 118 *Ontol.*), conſequenter homo actiones iſtiuſmodi edere valet, quia hanc habet eſſentiam atque naturam & quia hæc eſt rerum ad actionem concurrentium eſſentia atque natura. Patet itaque actiones, quæ tendunt ad perfectionem vel imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri, per ipſam eſſentiam atque naturam noſtram rerumque, ad eas concurrentium, ad eandem tendere.

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Actiones humanæ vel ſunt animæ, vel corporis, vel ex utrisque conſtant. Enimvero omnes actiones animæ eadem vi producuntur (§. 60 *Pſychol. rat.*), vi nempe repræſentativa univerſi (§. 63 *Pſychol. rat.*), in qua & eſſentia (§. 66 *Pſychol. rat.*) & natura ejuſdem conſiſtit (§. 67 *Pſychol. rat.*): nimirum per hanc vim, quatenus ſpectatur ut eſſentia, tales potius, quam aliæ actiones poſſibiles ſunt, & quatenus ſpectatur ut natura animæ, ad actum perduci poſſunt (§. 68 *Pſychol. rat.*). Similiter corpus per eſſentiam agere poteſt; ut vero actu agat, vi activæ, adeoque naturæ ejusdem (§. 145 *Coſmol.*), tribuendum (§. 142 *Coſmol.*). Unde denuo patet per eſſentiam corporis noſtri rerumque, ad actiones noſtras concurrentium, tales actiones eſſe poſſibiles, per naturam vero corporis noſtri rerumque, ad actiones noſtras concurrentium, eaſdem ad actum perduci poſſe. Quamobrem cum circa actiones humanas animæ nil tribui poſſit, quam quod ex æque poſſibilibus hæc potius eligatur actio quam alia & ad actum potius perducatur, quam non perducatur (§. 941 *Pſychol. empir.*); nihil in ipſa actione, qualis eſt independenter a libertate, mutatur (§. 290 *Ontol.*). Actiones itaque humanæ per ipſam eſſentiam atque naturam noſtram rerumque, ad eas concurrentium, ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt.

Exempla hoc ipſum ſatis aperte loquuntur & ex omni theoria actionum ſpeciali abunde idem patebit. Oſtendemus ſuo loco, actiones tendentes ad conſervationem corporis ad perfectionem noſtram tendere: unde in numerum harum actionum referemus, quod capiamus cibum ſanitati non inimicum. Cur cibus hic ſanitati non noceat, ſed ad eandem potius conſervandam conducat, ratio ſufficiens in eſſentia atque natura corporis noſtri ipſiuſque cibi continetur: etenim ſi alia foret corporis noſtri eſſentia atque natura, vel etiam cibi; inſalubris eſſe poterat, qui nunc ſalubris deprehenditur. Actio itaque, quæ in capiendo hoc cibo conſiſtit, per naturam atque eſſentiam corporis noſtri ipſiuſque cibi ad perfectionem corporis noſtri tendit. Si cui principia ontologica fuerint perſpecta, una cum principiis coſmologicis & pſychologicis; ei nihil obſcuritatis relinquetur in tendentia actionum ad perfectionem vel imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri ab eſſentia & natura noſtra rerumque, ad actiones noſtras concurrentium, derivanda.

§. 123.

Actiones in ſe bonæ & in ſe malæ, nec non propter determinationes accidentales in bonas vel malas abeuntes, per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam bonæ vel malæ ſunt. Etenim ſi actiones in ſe bonæ ſunt; ex iis determinationibus, per quas concipiuntur tanquam actiones certi generis aut ſpeciei, demonſtrari poteſt, quod ſint bonæ (§. 56): & ſi in ſe malæ ſunt; ex iiſdem demonſtrari poteſt, quod ſint malæ (§. 58). Quamobrem cum

Unde ſit actionum in ſe bonarum & malarũ, & propter de-

 bona

terminationes accidentales talium, bonitas vel malitia.

bona ſit actio, quæ ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendit (§. 554 *Pſychol. empir.*), & ex adverſo mala, quæ tendit ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri (§. 565 *Pſychol. empir.*); ſi actio in ſe bona, ex determinationibus ejus eſſentialibus demonſtrari poteſt, quod ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendat: ſi vero fuerit in ſe mala, ex iiſdem demonſtrari poteſt, quod ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendat. Conſtat vero, etiam actiones in ſe quidem indifferentes, ſed propter determinationes accidentales in bonas abeuntes, ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri vi earundem tendere, & ex adverſo actiones in ſe quidem indifferentes, ſed propter determinationes accidentales in malas abeuntes, ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendere (§. 61). Quamobrem cum actiones, quæ ad perfectionem vel imperfectionem noſtram per ſe tendunt, per ipſam eſſentiam atque naturam hominis rerumque, ad actiones noſtras concurrentium, ad eandem tendant (§. 122); actiones in ſe bonæ & in ſe malæ, nec non propter determinationes accidentales in bonas vel malas abeuntes, per ipſam eſſentiam atque naturam hominis rerumque, ad actiones noſtras concurrentium, ad perfectionem vel imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri tendunt; conſequenter per ipſam hominis rerumque naturam bonæ vel malæ ſunt (§. 554. 565 *Pſychol. empir.*).

Qui novit, quid ſit demonſtratio, facile perſpicit, quod bonitas actionum in ſe bonarum & ex indifferentibus in bonas abeuntium propter determinationes accidentales in caſu particulari supervenientes, ſimiliterque malitia actionum in ſe malarum & ex indifferentibus in malas abeuntium propter determinationes accidentales in caſu particulari ſupervenientes ab ipſa hominis rerumque, ad actiones noſtras concurrentium, eſſentia atque natura ſit. Etenim demonſtratio non procedit niſi ex aſſumtis: quæ vero de objecto quocunque ſumuntur, vel ſunt determinationes eſſentiales, quod obtinet in propoſitionibus categoricis, vel eſſentiales & iis ſuperaccedentes accidentales, quod locum habet in propoſitionibus hypotheticis (§. 551. 552 *Log.*). Quæ vero de actionibus ſumi poſſunt, nullo habito reſpectu ad hominum vel entis cujuſque alterius voluntatem, alia eſſe nequeunt, quam quæ per eſſentiam hominis rerumque poſſibilia ſunt & per hominis rerumque naturam ad actum perduci queunt. Neque enim hic agimus niſi de iis, quæ naturaliter fieri poſſunt; minime autem de iis, quæ ſupernaturaliter fiunt, & ad forum Theologorum, non Philoſophorum ſpectant. Quicquid autem naturale eſt, in eſſentia & natura rerum rationem ſufficientem agnoſcit (§. 509 *Coſmol.*), atque adeo inde pendet (§. 851 *Ontol.*).

§. 124.

Fons bonitatis & malitiæ intrinſecæ actionum.

Actiones intrinſecam bonitatem vel malitiam habentes per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam bonæ vel malæ ſunt. Etenim ſi actiones bonitatem intrinſecam habent, per ſe ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri tendunt (§. 103): & ſi malitiam intrinſecam habent, per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 106). Enimvero actiones, quæ per ſe ad perfectionem vel imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt, per ipſam eſſentiam atque naturam noſtram rerumque, ad noſtras actiones concurrentium, ad eandem tendunt (§. 122). Quamobrem actiones bonitatem vel malitiam intrinſecam habentes per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam ad perfectionem vel imperfectionem ejus ſtatuſ-

que

Digitized by Google

que ipſius tendunt, conſequenter cum bona ſit actio, quæ ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendit(§. 554 *Pſychol.empir.*), mala vero, quæ ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri tendit (§. 565 *Pſychol. empir.*); actiones intrinſecam bonitatem vel malitiam habentes per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam bonæ ſunt, vel malæ.

Patet adeo fontem bonitatis ac malitiæ intrinſecæ eſſe ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam, qua poſita, ponitur etiam bonitas & malitia actionum intrinſeca. Ceterum ex propoſitione præſente per modum corollarii colligitur præcedens. Etenim actiones in ſe bonæ, itemque actiones in ſe quidem indifferentes, ſed propter determinationes accidentales in bonas abeuntes, bonitatem intrinſecam habent (§. 62), & ex adverſo actiones in ſe malæ, itemque actiones in ſe quidem indifferentes, ſed propter determinationes accidentales in malas abeuntes, malitiam intrinſecam habent (§. 63). Enimvero actiones intrinſecam bonitatem vel malitiam habentes per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam bonæ ſunt, vel malæ, *vi prop. præſ.* Ergo actiones in ſe bonæ & in ſe malæ, nec non propter determinationes accidentales in bonas vel malas abeuntes, per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam bonæ ſunt vel malæ.

§. 125.

Quando actiones per ipſã hominis rerumque eſſentiam & naturam bonæ ſint.

Si actiones liberæ per eaſdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales; per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam bonæ ſunt, & contra. Etenim ſi actiones liberæ per eaſdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales; ad perfectionem hominis tendunt(§. 49), per ſe utique, cum hic actiones conſiderentur, quales in ſe ſunt. Enimvero actiones, quæ ad perfectionem noſtram per ſe tendunt, per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam ad eandem tendunt (§. 122), conſequenter cum bona ſit actio, quæ ad perfectionem noſtram tendit (§. 554 *Pſychol.empir.*), per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam bonæ ſunt. Atque adeo patet, ſi actiones liberæ per easdem rationes finales determinentur, per quas determinantur naturales, per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam bonas eſſe. *Quod erat unum.*

Quodſi actio libera per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam bona eſt, cum actiones bonæ per eaſdem rationes finales determinentur, per quas determinantur naturales(§.54); ultro patet, actiones per ipſam eſſentiam atque naturam hominis rerumque bonas aliter determinari non poſſe, quam per rationes finales, per quas determinantur naturales. *Quod erat alterum.*

Hæc propoſitio oſtendit, quomodo libertas in actiones, per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam bonas, influere poſſit, ut jam libere a nobis fiant, quæ per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam talia ſunt, nec aliter ad actum perduci poſſunt.

§. 126.

Quando actiones per ipſã hominis rerumque eſſentiam & naturam malæ ſint.

Si actiones liberæ per diverſas rationes finales determinantur, quam per quas determinantur naturales; per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam malæ ſunt, & contra. Etenim ſi actiones liberæ per rationes finales diverſas determinantur, quam per quas determinantur naturales; ad imperfectionem hominis tendunt (§. 49), & quidem per ſe, cum actiones hic non aliter ſpectentur, quam quales in ſe ſunt. Enimvero actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram tendunt, per ipſam hominis rerumque eſſentiam

atque

atque naturam ad eandem tendunt (§. 122), conſequenter cum mala ſit actio, quæ ad noſtram imperfectionem tendit (§. 565 *Pſychol. empir.*), per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam malæ ſunt. Actiones igitur liberæ, ſi per diverſas rationes finales determinantur, quam per quas determinantur naturales; per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam malæ ſunt. *Quod erat primum.*

Quodſi actio aliqua per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam mala ſit; cum actiones malæ per diverſas rationes finales determinentur, quam per quas naturales determinantur (§. 54), ſua ſponte ſequitur, quod per diverſas rationes finales determinari debeat, quam per quas naturales determinantur. Pone enim contrarium, nimirum quod actiones per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam malæ non determinentur per rationes diverſas finales, quam per quas naturales determinantur. Determinabuntur itaque per eaſdem, conſequenter per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam bonæ ſunt (§. 125), quod contra hypotheſin. Neceſſe igitur eſt, ut determinentur per diverſas. *Quod erat alterum.*

Atque adeo patet, quomodo libertas influat in actiones per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam malas, ut libere a nobis committantur, quæ per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam talia ſunt, nec aliter ad actum perduci poſſunt. Ceterum in utraque propoſitione, tam præſente, quam præcedente ſupponitur, actionem eſſe rectam, nec per errorem pro determinabili per rationes eaſdem aut diverſas cum naturali haberi, quæ non eſt. Etenim ſi quis cibum inſalubrem, quem pro ſalubri habet, appetit ſanitatis conſervandæ gratia; videtur actionem ſuam determinare per eandem rationem finalem, per quam determinantur functiones organorum vitalium tanquam actiones naturales, actio tamen hæc per ipſam hominis cibique, qui appetitur, naturam atque eſſentiam bona non eſt. Enimvero deficit hæc actio a rectitudine ex parte intellectus, quatenus cibus inſalubris habetur pro ſalubri. In actionum vero theoria, niſi contrarium expreſſe moneatur, ſemper ſupponuntur omnia ex rei veritate. Nec admittimus determinationem actionis, quæ impoſſibilis, ſi actio in ſe ſpectetur. Neque facimus, quod a more alienum eſt. Quando enim dicimus hominem edere debere actiones bonas, nemo hinc colligit, quod bonas etiam edat actiones, quando per errorem pro bonis habet, quæ non ſunt. Unde nec dici poteſt, quod actio determinetur per eaſdem rationes finales, per quas determinatur naturalis, ſi quis eam per eaſdem determinare vult, cum tamen iſtiuſmodi determinatio eidem repugnet. Nihil ſupponitur, quod a veritate alienum eſt. Facultates omnes, quæ in actionem aliquam influunt, functiones ſuas rite obire debent. Sane nec actiones naturales per rationes finales, per quas determinari dicuntur, determinantur amplius, ſi organa vitio aliquo laborent, ut eorum functio ea amplius non ſit, quam per eſſentiam ejus atque naturam corporis eſſe debebat.

§. 127.

Ad quaſnam actiones per eſſentiam atque naturã noſtram rerumque obligamur.

Homo per ipſam eſſentiam & naturam ſuam rerumque obligatur ad actiones intrinſece bonas committendas, intrinſece vero malas omittendas. Etenim actiones intrinſece bonæ vel malæ, per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam bonæ vel malæ ſunt (§. 124). Quamobrem cum diſtincta boni repræſentatio ſit motivum volitionis, diſtincta vero mali repræſentatio motivum nolitionis (§. 890 *Pſychol. empir.*); ipſa eſſentia atque natura hominis rerumque motivum cum actionibus intrinſece bonis atque malis copulavit. Quoniam itaque nos obligat ad actiones committendas, qui motivum volitionis

tionis cum iiſdem connectir, ad fugiendas vero, qui nolitionis motivum cum iiſdem conjungit (§. 118); ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura eundem obligat ad actiones intrinſece bonas committendas, intrinſece vero malas omittendas, conſequenter homo per ipſam eſſentiam & naturam ſuam rerumque obligatur ad actiones intrinſece bonas committendas, intrinſece vero malas omittendas.

Videmus adeo in ſenſu propriiſſimo dici, quod eſſentia atque natura hominis rerumque eundem obliget ad actiones intrinſece bonas committendas, intrinſece vero malas omittendas, eodem ſcilicet, quo Rex obligare dicitur ſubditum, pater filium, dominus ſervum: neque enim alio modo Rex ſubditum, pater filium, dominus ſervum obligat, quam quo nos obligat eſſentia atque natura noſtra & eſſentia atque natura rerum. Nemo itaque, qui ex notionibus judicat, obligationem hanc in dubium vocare poteſt.

§. 128.

Quales ſint actiones, ad quas homo per eſſentiam atque naturam ſuam rerumque obligatur.

Homo per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam obligatur ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui tendunt, & ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem ſuam ſtatuſque ſui tendunt. Etenim per eſſentiam atque naturam ſuam rerumque obligatur ad committendas actiones intrinſece bonas & ad omittendas actiones intrinſece malas (§. 127). Enimvero actiones intrinſece bonæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri (§. 103), actiones vero intrinſece malæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 106). Homo igitur per ipſam ſuam rerumque eſſentiam atque naturam obligatur ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui tendunt, & ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem ſuam ſtatuſque ſui tendunt.

Videmus itaque, quænam ſint illæ actiones, quas homo committere tenetur, quia homo eſt, & quænam ſint, quas omittere debet, quia homo eſt, ita ut obligatio ad illas committendas, ad haſce vero omittendas, ab eſſentia atque natura ejuſdem inſeparabilis ſit. Non eſt quod excipias, præter haſce actiones dari adhuc alias, ad quas homo non minus obligatur, nimirum eas, quæ ad aliorum perfectionem Deique inprimis gloriam promovendam faciunt. Demonſtrabimus enim, has in illarum eſſe numero. Neque enim perfectionis alienæ ac gloriæ divinæ promovendæ ſtudium a perfectione humana ſeparari poteſt.

§. 129.

Obligatio naturalis quænam ſit.

Obligatio naturalis eſt, quæ in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura rationem ſufficientem habet. Quamobrem cum poſita ratione ſufficiente ponatur etiam id, quod per eam potius eſt, quam non eſt (§. 118 *Ontol.*); *poſita hominis rerumque eſſentia atque natura, ponitur etiam naturalis obligatio.*

Dari obligationem naturalem in hoc ſenſu, patet per ea, quæ modo demonſtrata ſunt (§. 127. 128).

§. 130.

Neceſſitas & immutabilitas obligationis naturalis.

Obligatio naturalis neceſſaria eſt & immutabilis. Etenim obligatio naturalis ponitur poſita hominis rerumque eſſentia atque natura (§. 129). Fieri adeo nequit, ut hac poſita non ponatur (§. 28 *Ontol.*). Quoniam igitur per eſſentiam atque naturam hominis rerumque impoſſibile eſt, ut non obli-

getur (§ 79 *Ontol.*), neceſſarium vero, cujus oppoſitum impoſſibile (§. 279 *Ontol.*); obligatio naturalis neceſſaria eſt. *Quod erat primum.*

Porro quod neceſſarium eſt, immutabile eſt (§. 292 *Ontol.*). Obligatio naturalis neceſſaria eſt *per demonſtrata*. Ergo eadem eſt immutabilis. *Quod erat alterum.*

Ea hic eſt neceſſitas, quæ in omnibus propoſitionibus categoricis inter ſubjectum & prædicatum intercedit, ut tamdiu ſubſiſtat prædicatum, quamdiu ſubjectum ſubſiſtit. Iſtiuſmodi adeo neceſſarius nexus eſt inter eſſentiam & naturam hominis rerumque atque obligationem naturalem, ut hæc tamdiu ſubſiſtat, quamdiu hominis rerumque eſſentia atque natura ſubſiſtit, conſequenter quamdiu & ſubſiſtunt ea, quæ ex eſſentia & natura iſta neceſſario reſultant. Quamobrem cum & eſſentiæ ſint neceſſariæ (§. 299 *Ontol.*) & natura animæ cum eſſentia eadem ſit (§. 66. 67 *Pſychol. rat.*), etſi diverſo reſpectu ſit natura, quod eſſentia eſt (§. 68 *Pſychol. rat.*), rerumque materialium natura ſemper eadem maneat (§. 837 *part. I. Theol. nat.*): ecquid mirum, quod illa quoque obligatio, quæ cum eſſentia & natura hominis rerumque ponitur, neceſſaria ſit ac immutabilis? Quamdiu itaque exiſtent homines, & quamdiu in hoc univerſo extituræ ſunt res materiales eædem, tamdiu quoque obligabuntur naturaliter ad id, ad quod naturalis illorum obligatio ſeſe extendit (§. 128).

§. 131.

Legis definitio. *Lex* dicitur regula, juxta quam actiones noſtras determinare obligamur.

Vulgo definiunt legem per juſſum ſuperioris inferiori promulgatum ipſumque obligantem; ſed hæc non eſt definitio legis in genere. Hæc definitio illorum eſt, qui obligationem naturalem tollunt, bonitatem ac malitiam intrinſecam actionum negantes & antecedenter ad voluntatem Dei tanquam ſuperioris actiones in univerſum omnes pro indifferentibus habentes. Cum igitur intrinſecam actionum malitiam atque bonitatem in anterioribus ſtabiliverimus, probatam & Philoſophis antiquis, & Theologis; legem quoque in genere definimus, quemadmodum fert diverſa obligatio ad actiones quaſdam committendas, quaſdam vero omittendas.

§. 132.

Ratio legis quod detur. *Leges habere debent ſuas rationes.* Etenim leges ſunt regulæ, juxta quas actiones noſtras determinare obligamur (§. 131). Quamobrem cum regula ſit propoſitio enuncians determinationem rationi conformem (§. 475 *Ontol.*); leges ſunt propoſitiones, quæ enuntiant, quomodo actiones liberæ rationi cuidam conformiter determinari debeant. Leges itaque ſuas habere debent rationes.

Non eſt quod excipias, in legibus humanis ſuperioris voluntatem ſtare pro ratione, conſequenter neceſſe non eſſe, ut leges omnes ſuas habeant rationes. Etenim ſuo loco videbimus, leges etiam humanas ſuas habere debere rationes, ob quas vel probantur, vel improbantur, etſi neceſſe non ſit, ut legislator eaſdem ſemper notas facere teneatur & eatenus, quatenus in voluntate ejus acquieſcendum, dici poſſit, quod ſtet pro ratione voluntas. Imo ex ipſa natura voluntatis ſequitur, quod legislatori eſſe debeat aliqua ratio, cur hanc ferat legem ſibi ſubjectis. Neque enim velle poteſt, ut ſubditi has actiones committant, vel omittant ſine motivo (§. 889 *Pſychol. empir.*). Motivum vero eſt ratio ſufficiens volitionis & nolitionis (§. 887 *Pſychol. empir.*). Ratio igitur, cur hanc legem eſſe velit ſubditis ſuperior, ratio ejuſdem legis eſt, & pro hujus diverſitate leges vel probantur, vel improbantur. Videbimus nimirum ſuo loco, non perinde eſſe, ob quam rationem ſuperior legem ferat.

§. 133.

Ad quid proſit noſſe rationem legis. Quoniam per rationem intelligitur, cur quid ſit (§. 56 *Ontol.*); *per rationem legis intelligitur, cur has actiones committere, illas omittere debeamus, ſeu cur actiones liberæ hoc modo determinandæ ſint* (§. 132).

Atque

Atque hinc perſpicitur, non inutilem eſſe notitiam rationis legum, niſi obedientiam cæcam præferre malis oculatæ. Hinc & prudentes legislatores in promulgandis legibus earum rationes aperiunt & Doctores Juris legum civilium rationes ſcrutantur. Taceo uſum rationis legum in interpretando.

§. 134.

Rationū legis differentia.

Ratio legum moralis eſt, quæ deſumitur a rectitudine actionis. *Hiſtorica* eſt, quæ deſumitur a facto. *Legalis* denique eſt, quæ deſumitur ex alia lege.

Diximus alibi (§. 955 *part. I. Theol. nat.*), differentiam actionum liberarum quoad rectitudinem eſſe id, quod moralitatis nomine venit. Quamobrem cum rationes legum morales a moralitate actionum, de quibus diſponunt, petantur; placuit eas definire, quod deſumantur a rectitudine actionis. Et paulo poſt conſtabit, rationem legum naturalium ultimam a rectitudine actionum deſumi. His non repugnat, quod rationes morales legum civilium deſumantur ab æquitate & fine civitatis, patebit enim ſuo tempore ac loco, quod rationes hinc petitæ in rectitudinem actionum tandem reſolvantur. Rationes hiſtoricæ locum habent in legibus humanis, quibus ferendis occaſionem præbent facta. Rationibus autem legalibus non tantummodo locus eſt in legibus humanis, verum etiam in naturalibus, & obtinere debent, ubi legum omnium una eſſe debet concordia, & una ex aliis demonſtranda, quemadmodum nobis de legibus naturalibus propoſitum eſt. Quid de diverſis hiſce rationibus tenendum ſit, oſtendetur ſuo loco.

§. 135.

Lex naturæ quid dicatur.

Lex naturalis eſt, quæ rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura agnoſcit. Dicitur etiam *Lex naturæ*.

Explicamus hic tantummodo nomen legis naturalis, ut conſtet, quid hoc vocabulo indigitetur, neque enim alio in ſignificatu idem accipiemus. *Grotius* de J. B. & P. lib. 1. c. 1. §. 10. n. 1 *Jus naturale* definit per dictamen rectæ rationis, indicans actui alicui ex ejus convenientia aut diſconvenientia cum ipſa natura rationali ineſſe moralem turpitudinem aut neceſſitatem moralem, ac conſequenter ab auctore naturæ Deo talem actum aut vetari, aut præcipi. Jus naturale hic *Grotio* idem eſt, quod lex naturalis: cum tamen juris vocabulum frequentius in alio ſignificatu accipiatur, nec aliud in eodem ipſi ſubſtitui poſſit; conſultius duximus ambiguum ſignificatum evitari, præſertim cum nulla neceſſitate ad hoc faciendum adducamur. Quod vero ipſam definitionem legis naturæ *Grotianam* attinet, in ea cumulantur, quæ demonſtranda ſunt, & quorum alia ex aliis demonſtrantur: id quod methodus accurata non fert (§. 730 *Log.*). Demonſtrandum nimirum eſt, legem naturæ a recta ratione nobis dictari, actionibus jure naturali præſcriptis ineſſe moralem turpitudinem aut neceſſitatem in ſe, illas ideo a Deo vetari, has præcipi, quemadmodum ex ſequentibus conſtabit. Nos igitur in definitione nominali non ſumimus, niſi quæ cæteris, quæ de jure naturali prædicantur, demonſtrandis inſerviunt.

§. 136.

Quomodo ſit cōſtituta.

Quoniam lex naturæ rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura cognoſcit (§. 135), poſita vero ratione ſufficiente, ponitur id, quod propter eam potius eſt quam non eſt (§. 118 *Ontol.*); *poſita hominis rerumque natura atque eſſentia ponitur lex naturæ*, conſequenter *ipſa eſſentia & natura hominis rerumque lex naturæ conſtituta.*

Idem vult *Cicero*, quando, *Ipſa natura*, inquit, *conſtitutum jus eſt*. Juris enim vocabulum vulgo etiam accipitur pro lege, prouti modo annotavimus (*not.* §. 135), nec eſſentia a natura diſtinguitur, ita ut per naturam nunc eſſentia ſola, nunc eſſentia una cum natura intelligatur. Non tamen ideo negatur, quod auctorem habeat Deum, cum idem ſit naturæ auctor. Sed de eo agemus deinceps.

§. 137.

Undenã intelligatur quænam ſint legis naturæ.

Quoniam lex naturæ rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura agnoſcit (§. 135), per rationem vero ſufficientem intelligitur, cur quid potius ſit, quam non ſit (§. 56 *Ontol.*), & lex in genere præſcribit modum determinandi actiones liberas (§. 131); *per ea, quæ ad eſſentiam atque naturam hominis rerumque pertinent, ſeu quæ homini rebuſque per eſſentiam atque naturam inſunt, intelligitur, cur actiones liberæ hoc modo ſint determinandæ, quemadmodum vult lex naturæ.*

Ecce tibi fontem, unde derivatur lex naturæ: ad quem recurrendum, ſi certam ejus cognitionem haurire volueris.

§. 138.

Lex quando ſervetur.

Legem ſervare dicimur, quando actiones noſtras juxta eam determinamus committendo ſcilicet actiones, ad quas committendas per eam obligamur, & omittendo actiones, ad quas omittendas per eandem obligamur. Unde *cuſtodiam legis* dicemus determinationem actionum liberarum juxta legem.

Vocabulum *ſervatio* in uſu non eſt, etſi compoſitum *obſervatio* ſit bonæ Latinitatis. Quamobrem deficiente vocabulo, quo actus legem ſervantis indigitatur, *cuſtodiæ* vocem ad eundem ſignificandum transferre libuit.

§. 139.

Legis trãſgreſſio quid ſit.

Legem tranſgredi dicitur, qui actiones contraria ratione determinat, quam juxta legem determinari debebant, commiſſis actionibus, quæ juxta eam omittendæ, & omiſſis, quæ juxta eandem fuerant committendæ. Unde *Tranſgreſſio legis* eſt determinatio actionum liberarum contra legem, ſeu eidem contraria.

§. 140.

Contrarietas cuſtodiæ & tranſgreſſionis legis.

Qui legem tranſgreditur, eam non ſervat, & qui eandem ſervat, eam non tranſgreditur. Etenim qui legem tranſgreditur, actionem contraria ratione determinat, quam juxta legem determinare debebat (§. 139), conſequenter juxta eandem non determinat. Enimvero qui actionem juxta legem non determinat, eam non ſervat (§. 138). Ergo qui tranſgreditur legem, eam non ſervat. *Quod erat primum.*

Similiter qui legem ſervat, actionem juxta eandem determinat (§. 138), adeoque non contraria ratione, quam juxta eandem determinari debet. Enimvero qui non contraria ratione actionem determinat, quam juxta eandem determinari debet, eam non tranſgreditur (§. 139). Quare qui legem ſervat, eam non tranſgreditur. *Quod erat ſecundum.*

Patet itaque agentem vel ſervare legem, vel tranſgredi, ſi actionem edit, de qua lex diſponit: id quod etiam liquet de actione privativa ſeu facto omiſſionis.

§. 141.

Qalis ſit obligatio a lege naturæ manans.

Obligatio, quæ a lege naturæ venit, naturalis eſt. Etenim lex naturæ ponitur, poſita hominis rerumque eſſentia atque natura (§. 136). Quamobrem cum lex omnis, adeoque etiam naturalis ſit regula, juxta quam actiones

nes

Digitized by Google

nes noſtras determinare obligamur (§. 131), adeoque poſita lege ponatur etiam obligatio ad actiones juxta eandem determinandas; poſita lege naturali, ponitur etiam obligatio, quæ ab eadem venit. Poſita igitur hominis rerumque eſſentia atque natura, ponitur obligatio, quæ a lege naturæ venit. Enimvero poſita hominis rerumque eſſentia atque natura, ponitur obligatio naturalis (§. 129). Neceſſe igitur eſt, ut, quæ a lege naturæ venit, obligatio ſit naturalis.

Patet itaque, qualis ſit obligatio, quæ a lege naturæ venit, ea nimirum, quæ ab eſſentia & natura hominis inſeparabilis, quamdiu ſunt hæ rerum eſſentiæ, hæcque earundem natura eſt. Sive igitur actiones ſpectes, de quibus diſponit lex naturæ, ſive obligationem ad eandem ſervandam, in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura fundata eſt.

§. 142.

Neceſſitas legis naturalis.

Obligatio, quæ a lege naturæ venit, neceſſaria & immutabilis eſt, ipſaque lex naturæ neceſſaria eſt ac immutabilis. Etenim obligatio, quæ a lege naturæ venit, naturalis eſt (§. 141). Sed obligatio naturalis eſt neceſſaria ac immutabilis (§. 130). Ergo obligatio, quæ a lege naturæ venit, neceſſaria atque immutabilis eſt. *Quod erat primum.*

Quoniam per legem naturæ obligamur ad actiones, de quibus diſponit, juxta eandem determinandum (§. 131), obligatio vero, quæ a lege naturæ venit, neceſſaria & immutabilis eſt *per num.* 1; lege naturæ neceſſario obligamur ad iſtam determinationem, nec fieri poteſt, ut ad eandem non obligemur (§. 28 *Ontol.*). Patet adeo legem naturæ eſſe legem neceſſariam atque immutabilem (§. 292 *Ontol.*). *Quod erat alterum.*

Quoniam lex ponitur naturæ, poſita hominis rerumque eſſentia atque natura (§. 136), ex eo autem, quod obligatio naturalis ponatur poſita hominis rerumque eſſentia atque natura, ſuperius oſtenderimus neceſſitatem ac immutabilitatem obligationis naturalis (§. 130); eodem prorſus modo etiam hic immutabilitas & neceſſitas legis naturalis exinde demonſtrari poteſt.

§. 143.

Undenā ſit obligatio legis naturalis.

Obligatio legis naturalis rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura habet. Eſt enim obligatio naturalis (§. 141). Sed obligatio naturalis rationem ſufficientem in natura ac eſſentia hominis rerumque habet (§. 129). Ergo obligatio legis naturalis rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura habet.

Oſtenditur etiam hoc modo. Lex naturæ rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura agnoſcit (§. 135). Quoniam itaque lex eſt regula, juxta quam actiones noſtras determinare obligamur (§. 131), adeoque ſine obligatione concipi nequit; quod continet rationem ſufficientem legis naturalis, continere etiam debet rationem ſufficientem obligationis. Quamobrem neceſſe eſt, ut obligatio legis naturalis in ipſa hominis rerumque natura atque eſſentia rationem ſufficientem habeat.

Nimirum cum lex ſit regula, juxta quam actiones noſtras determinare obligamur (§. 131), lex vero naturæ rationem ſufficientem in ipſa eſſentia atque natura hominis rerumque habeat (§. 135); per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam intelligere debemus non modo, quænam ſint actiones, quæ lege naturali præſcribuntur, verum etiam

Digitized by Google

quod ad haſce actiones committendas, vel omittendas obligemur. Sine obligatione lex nulla eſt. Quamobrem ratio ſufficiens legis neceſſario eſt ratio ſufficiens obligationis, unde regula vim legis accipit.

§. 144.

Obligatio legis naturalis ſola naturalis.

Præter obligationem legis naturalis non datur alia naturalis. Pone enim, ſi fieri poteſt, dari aliquam obligationem naturalem, quæ non ſit legis naturalis. Quoniam obligatio eſt neceſſitas moralis agendi vel non agendi (§. 118), & obligatio naturalis rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura habet (§. 129); dabitur aliqua regula, juxta quam actiones quaſdam determinare tenemur, conſequenter lex quædam (§. 131), quæ rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura habet, lex tamen naturæ non eſt: quod cum ſit abſurdum (§. 135), neceſſe eſt non detur obligatio naturalis præter eam, quæ eſt legis naturalis.

Patet itaque obligationem legis naturalis & obligationem naturalem eſſe unam eandemque, ac legem naturæ ab omni alia per obligationem naturalem diſtingui.

§. 145.

Naturaliter obligari quid ſignificet.

Quoniam præter obligationem legis naturalis non datur alia naturalis (§. 144); *qui vi legis naturalis obligatur, naturaliter obligatur, & qui naturaliter obligatur, vi legis naturalis obligatur*. Inde eſt, quod recepta phraſi ***naturaliter obligari*** idem ſignificet, ac vi legis naturalis obligari: quem ſignificatum & nos in ſequentibus retinemus.

§. 146.

Dependentia obligationis & legis naturalis ab hominis rerũque eſſentia & natura.

Obligatio naturalis & Lex naturæ dependent ab ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura. Etenim obligatio naturalis (§. 129) & lex naturæ rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura habent (§. 135). Quoniam itaque ab altero dependet, quod rationem quandam in altero habet (§. 851 *Ontol.*); obligatio naturalis & lex naturæ ab ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura dependent.

Atque hoc ipſo lex naturæ differt ab omni alia lege, quod ejus obligatio dependeat ab hominis rerumque eſſentia atque natura, nec eadem de cauſa lex naturæ obligat ultra id, quod per eſſentiam atque naturam hominis rerumque fieri poteſt.

§. 147.

Lex poſitiva quænam dicatur.

Lex poſitiva dicitur, cujus obligatio dependet a voluntate entis cujuſdam rationalis.

Forſan quis in hac definitione legis poſitivæ requiſiverit, cur non addatur ens iſtud jus alterum obligandi habere. Etenim hoc demonſtrandum eſt, non ſumendum, quemadmodum deinceps etiam demonſtraturi ſumus.

§. 148.

Quotuplex ſit lex.

Quoniam in ſola lege naturali obligatio ab ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura dependet (§. 146. 144), obligatio vero, quæ hinc minime dependet, aliunde quam a voluntate entis cujuſdam rationalis dependere nequeat, quod per ſe patet, eſtque lex poſitiva, quæ a voluntate entis cujuſdam rationalis dependentem habet obligationem (§. 147); ***Lex omnis aut naturalis eſt, aut poſitiva.***

Qui

Qui obligationem ab ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura dependentem minime agnoſcunt; quomodo legem naturalem a poſitiva diſcernere velint non video.

§. 149.

Legis divinæ & humanæ differentia.

Lex poſitiva *divina* eſt, cujus obligatio dependet a voluntate Dei: *humana* vero, cujus obligatio dependet a voluntate hominis vel hominum plurium.

Legum humanarum differentiam jam non ſcrutabimur, cum deſint principia in anterioribus, unde deducitur. Suo igitur eandem exponemus loco. Ne tamen quis exiſtimet, cum lex divina hic dicatur lex poſitiva, hoc ipſo negari, quod lex naturalis ſit lex divina: neque enim obſtat, quo minus lex naturalis etiam divina ſit, imo humana, diverſo ſcilicet reſpectu. Id ipſum ut intelligatur, propoſitionem ſequentem addere lubet.

§. 150.

Quomodo lex naturæ abeat in divinam & humanam.

Si voluntate Dei obligamur ad id, ad quod lege naturali obligamur; lex naturæ abit in divinam, ſeu ſimul eſt lex divina. Et, ſi voluntate hominis vel hominum plurium obligamur ad id, ad quod lege naturali obligamur; lex naturæ abit in humanam, ſeu, *ſimul eſt lex humana*. Etenim lex naturæ nos obligat ad ea, ad quæ per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam obligamur (§. 135). Enimvero minime repugnat, ut Deus vel etiam homo, qui nos obligare valet, velit nos ad id eſſe obligatos, ad quod naturaliter ſeu lege naturali (§. 145), conſequenter ad quod per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam obligamur. Quamobrem cum lex divina ſit, cujus obligatio a voluntate divina, humana vero, cujus obligatio a voluntate hominis vel hominum plurium dependet (§. 149); lex utique divina ſimul erit lex naturæ, ſi ad id, ad quod lege naturali obligamur, obligemur etiam voluntate Dei, & eadem in humanam abit, ſi ad id, ad quod naturaliter obligamur, etiam voluntate hominis vel hominum plurium obligemur.

In caſu quocunque particulari idem adeo manifeſtum eſt, ut nullus locus relinquatur dubitationi. Oſtendemus ſuo loco, legem naturalem eſſe, quod furtum facere non debeamus. Quando vero Deus vult, ne furtum faciamus; nemo eſt qui dubitat, legem eſſe divinam. Similiter quando Superior in civitate prohibet, ne furtum committatur ſub pœna tranſgreſſori infligenda; nemo non agnoſcit, legem hanc eſſe humanam, in ſpecie civilem. Eadem ergo propoſitio, *ne furtum facias*, pro diverſitate obligationis & naturalis, & divina, & humana ſeu civilis eſt, nimirum naturalis, quatenus ad furtum non committendum obligamur per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam; divina, quatenus ad idem omittendum obligamur voluntate Dei; humana ſive civilis, quatenus voluntate Superioris in civitate obligamur, ut furto abſtineamus. Materia adeo legis naturalis, divinæ atque civilis eadem eſſe poteſt. Nec obſtat, quod lex naturæ ſit lex neceſſaria & immutabilis (§. 142), lex autem divina a voluntate libera Dei, humana a libera voluntate hominis vel plurium hominum proficiſcatur, atque hoc reſpectu neceſſaria & immutabilis dici non poſſit (§. 941 *Pſychol. empir*). Neque enim obligatio neceſſaria & non neceſſaria legi materialiter eidem competit eodem reſpectu. Unde non implicat legem naturæ, cujus obligatio neceſſaria & immutabilis eſt, haberi pro poſitiva, quatenus non refertur ad hominis rerumque eſſentiam atque naturam, unde manat obligationis neceſſitas atque immutabilitas, ſed ad voluntatem Dei vel hominum liberrimam, quæ abſolutam neceſſitatem reſpuit. Quando autem lex naturæ abit in divinam, vel humanam, non ideo definit eſſe lex naturæ, nec per novam obligationem anterior tollitur; ſed naturalis tantummodo obligatio efficitur fortior, quatenus ad motivum actionis committendæ vel omittendæ, ab ipſa hominis rerumque natura deſumtum, novum ſuperaccedit, quod inde derivari minime poterat.

§. 151.

§. 151.

Quando legis poſitivæ nulla obligatio.

Lex poſitiva nos obligare nequit ad ea, quæ legi naturali repugnant. Ponamus enim lege poſitiva nos obligari poſſe ad talia, quæ legi naturali repugnant. Lege igitur poſitiva mutatur obligatio naturalis (§. 290 *Ontol.*), quæ legis naturalis eſt (§. 141). Quamobrem lex naturæ ejuſque obligatio mutabilis eſt: quod cum ſit abſurdum (§. 142), lex poſitiva nos obligare nequit ad ea, quæ legi naturali repugnant.

Nimirum nulla eſt obligatio, quæ naturali repugnat. Videbimus deinceps, moraliter impoſſibile eſse, ut Deus nos obliget ad ea, quæ legi naturali repugnant. Suo autem loco evincemus, nemini eſse jus nos obligandi ad ea, quæ legi naturali repugnant. Atque adeo ex parte Dei non datur obligatio naturali contraria; ex parte vero hominum nulla eſt, quæ naturali contrariatur. In caſu itaque particulari clarius elucceſcet, cur lex poſitiva nos obligare nequeat ad ea, quæ legi naturali repugnant.

§. 152.

Ad quaſnā actiones lege naturæ obligemur.

Lex naturalis nos obligat ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt, & ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt. Quoniam per eſſentiam atque naturam hominis rerumque intelligitur, cur lege naturali ad haſce actiones committendas, illas vero omittendas obligemur (§. 137); lex naturæ ad alias actiones committendas & omittendas nos obligare nequit, quam ad quas committendas & omittendas obligamur per ipſam noſtram rerumque eſſentiam atque naturam. Enimvero homo per ipſam eſſentiam & naturam ſuam rerumque obligatur ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui tendunt, & ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem ſuam ſtatuſque ſui tendunt (§. 128). Lex igitur naturalis nos obligat ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt, & ex adverſo ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt.

Non jam diſputamus, an præter haſce actiones dentur adhuc aliæ, ad quas lege naturali obligemur. Sufficit demonſtratum eſse, quod obligemur ad committendas eas, quæ ad perfectionem noſtram, ſtatuſque noſtri tendunt, & omittendas, quæ ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt. Ubi enim oſtenderimus, quænam actiones hoc ambitu comprehendantur; ſua ſponte patebit, utrum præter eas adhuc dentur aliæ, nec ne, ad quas committendas vel omittendas naturaliter obligari poſſimus.

§. 153.

Qualis ſit bonitas & malitia actionū, ad quas naturaliter obligamur.

Quoniam actiones ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri per ſe tendentes bonitatem intrinſecam habent & contra (§. 103), quæ vero ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri per ſe tendunt, intrinſece malæ ſunt & contra (§. 106), lege autem naturali obligamur ad illas committendas, has vero omittendas (§. 152); *Lex naturæ nos obligat ad actiones intrinſece bonas committendas, intrinſece vero malas omittendas.*

Lex adeo naturæ verſatur ciſca actiones, quarum intrinſeca eſt bonitas atque malitia, qnatenus earum bonitas atque malitia intrinſeca eſt. Etſi itaque lex etiam humana de actionibus intrinſece bonis atque malis diſponere poſſit (§. 150); non tamen actiones in eadem ſpectantur ut intrinſece bonæ vel malæ, ſed alio conſiderantur reſpectu, quemadmodum ſuo loco conſtabit. Ita furtum intrinſecam habet malitiam, ſuo loco demonſtraudam. Prohi-

betur

Digitized by Google

betur tamen lege civili non ob intrinſecam malitiam; ſed quatenus ſecuritati civium repugnat. Unde aliæ afferuntur rationes, cur furtum lege naturali prohibeatur; aliæ vero, cur prohibeatur lege civili: fit ita quod rationes legis civilis tandem ad rationes legis naturalis reducantur. Sufficit rationes legis naturalis in civili non attendi. Ceterum cum ad actiones intrinſece bonas committendas & intrinſece malas omittendas per ipſam noſtram rerumque eſſentiam atque naturam obligemur (§. 127); per ſe patet, propoſitionem præſentem, quæ per modum corollarii ea antecedente colligitur, eodem prorſus modo demonſtrari poſſe, quo præcedentem demonſtravimus. Quamobrem ſi cui hæc demonſtratio viſa fuerit evidentior, ea utatur. Nec minus patet, ſi demonſtratione iſta utamur, propoſitionem præcedentem ex præſente colligi poſſe eodem modo, quo ſupra obligationem ad actiones committendas, quæ ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt, & ea adverſo ad omittendas, quæ tendunt ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri, deduximus ex obligatione ad intrinſece bonas committendas, intrinſece vero malas omittendas (§. 128).

§. 154.

Determinatio actionum legi naturæ congrua.

Lex naturæ nos obligat ad determinandum actiones liberas per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales, non vero per diverſas, ſeu ad non determinandum per diverſas. Lex naturæ nos obligat ad committendas actiones intrinſece bonas & omittendas actiones intrinſece malas (§. 153), conſequenter cum actiones intrinſecam bonitatem vel malitiam habentes per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam bonæ vel malæ ſint (§. 124), ad committendas actiones, quæ per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam bonæ ſunt, & ad omittendas actiones, quæ per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam malæ ſunt. Enimvero actiones per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam bonæ per eaſdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales (§. 125), & quæ per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam malæ ſunt, per diverſas rationes finales determinantur, quam per quas naturales determinantur (§. 126). Lex itaque naturæ nos obligat ad determinandum actiones liberas per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales, & ad eas non determinandum per rationes diverſas.

Patet adeo modus determinandi actiones liberas, ut legi naturali conveniant. Principium hoc fœcundiſſimum eſt in doctrina juris naturalis, cujus utilitatem ipſo facto oſtendemus.

§. 155.

Quando legem naturæ ſervemus, quando eam transgrediamur.

Quoniam legem naturæ ſervat, qui actiones ſuas juxta legem naturæ determinat (§. 138), eandem vero tranſgreditur, qui contraria ratione eaſdem determinat (§. 139); juxta legem autem naturæ determinantur actiones, ſi per eaſdem rationes finales determinentur, per quas determinantur naturales, & ex adverſo contraria ratione determinantur, ſi determinentur per rationes finales diverſas, quam per quas naturales determinantur (§. 154): *qui actiones ſuas determinat per eaſdem rationes finales, per quas naturales determinantur, legem naturæ ſervat; qui vero eas determinat per rationes diverſas ab iis, per quas determinantur naturales, legem naturæ tranſgreditur.*

Ceterum hic repetenda ſunt, quæ ſuperius annotavimus (*not.* §. 126), ne quis ſibi videatur legem naturæ ſervare, ubi eam tranſgreditur.

§. 156.

Digitized by Google

§. 156.

Jus quid ſit.

Diximus jam alibi (§. 954 *part. I. Theol. nat.*), *Jus* eſſe facultatem agendi & non agendi moralem: quando enim actionis in genere fit mentio; de actione tam privativa, quam poſitiva intelligitur (*not.* §. 24). Quoniam itaque potentia agendi moralis eſt potentia agendi, quod moraliter poſſibile (§. 953 *part. I. Theol. nat.*), conſequenter impotentia agendi moralis eſt impotentia agendi, quod moraliter impoſſibile; *Jus eſt facultas agendi, quod moraliter poſſibile eſt, & non agendi, quod moraliter impoſſibile eſt.*

Nimirum jure agimus, ſi quod moraliter poſſibile eſt, agimus: nullo autem agimus jure, ſi quod moraliter impoſſibile, agimus. Similiter jure non agimus, ſeu actionem omittimus, ſi quod non agimus vel agere omittimus, moraliter impoſſibile.

§. 157.

Quando jure quid agamus, quando nullo jure.

Quoniam itaque moraliter poſſibile eſt, quod ſalva rectitudine actionis fieri poteſt, moraliter autem impoſſibile eſt, quod eadem ſalva fieri nequit (§. 952 *part. I. Theol. nat.*); *jure agimus, quod ſalva actionis rectitudine fieri poteſt; nullo autem agimus jure, quod eadem ſalva fieri nequit.*

Determinatio eorum, quæ jure & nullo jure fiunt, generalis eſt, quam hic proponimus, quæ principii loco eſt ad demonſtrandum ea, quæ in caſu particulari jure & nullo jure fiunt, ut ne deſint principia particularia, quibus in dato quocunque caſu evincitur quid jure, quid nullo jure fiat. Abſit itaque, ut quis ſibi perſuadeat immediata illius applicatione conſtare poſse, quid dato quolibet in caſu jure vel nullo jure fiat.

§. 158.

Quodnā homini jus lege naturali detur.

Lex naturæ dat nobis jus ad actiones committendas ad quas committendas nos obligat, & ad omittendas eas, ad quas omittendas nos obligat. Etenim lex naturæ nos obligat ad actiones intrinſece bonas committendas & intrinſece malas omittendas (§. 153). Quodſi ergo cognoſcimus, actionem aliquam eſſe intrinſece bonam vel malam, ac ideo illam committimus, hanc vero omittimus, prompte productis motibus ad actionem externam requiſitis, hoc ipſo obligationi naturali ſatisfacientes (§. 127. 129); ſalva actionis rectitudine actionem committimus vel omittimus, ad quam committendam vel omittendam lex naturæ nos obligat. Quamobrem cum jure agamus, quod ſalva rectitudine actionis agimus (§. 157); lex naturæ nobis dat jus ad actiones committendas, ad quas committendas nos obligat, & ad omittendas eas, ad quas omittendas nos obligat.

Sæpius jam monuimus, quando de actione in genere ſermo eſt, quod de ea affirmatur; valere non minus de actione privativa, quam poſitiva: ut adeo poſthac monitum hoc plus ſimplici vice jam inculcatum non iterum ſimus repetituri. Sane quando requiritur, ut actio recta ſit bona, cum bonum ſit vitare malum; actio privativa bona dicenda eſt, quæ conſiſtit in omiſſione actionis malæ.

§. 159.

Ad quænam nobis jus detur lege naturali.

Lex naturæ dat nobis jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit. Etenim lex naturæ dat nobis jus ad committendas actiones, ad quas committendas nos obligat (§. 158), conſequenter cum obligationi naturali ſatisfiat, quatenus committimus actiones, ad quas committendas obli-

gamur

gamur (§. 120), ad committendas actiones, quibus obligationi naturali, quæ ſola legis naturalis eſt (§. 144), ſatisfit. Quodſi ergo quædam ſint, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit, ne jus iſtud nullius ſit utilitatis, jus etiam dare debet ad ea.

E. g. Oſtendemus ſuo loco, lege naturali nos obligari ad conſervandum vitam ac ſanitatem corporis. Nemo non novit, id fieri non poſse abſque cibo ac potu, nec non veſtimentorum uſu. Neceſse igitur eſt, ut lex naturæ nobis det jus ad eas res, quæ ad cibum ac potum atque veſtitum ſunt neceſsariæ.

§. 160.

Jus naturæ quid ſit.

Jus naturæ ſeu *naturale* eſt illud jus, quod vi legis naturalis hominibus competit.

Equidem per inconſtantiam loquendi jus naturæ ſeu naturale cum lege naturali vulgo confunditur. Quoniam tamen diverſis in philoſophia nominibus inſigniri debent, quæ a ſe invicem differunt differentia intrinſeca conſtante (§. 145 *Diſc. prælim.*), & ejuſdem vocabuli idem conſtanter retinendus ſignificatus, ſaltem in eadem philoſophiæ parte (§. 143 *Diſc. prælim.*); nulla ſane ratio ſuadet, cur juris naturæ ac legis naturæ vocabulis promiſcue utamur, cum unicuique ſuus reſpondeat ſignificatus. Alia nimirum eſt lex naturæ (§. 135); aliud vero jus, quod eadem lege nobis datur (§. 158. 159) & quod eadem coercetur, ne ejus uſus in abuſum degeneret. Jus hoc naturæ vel obligationi reſpondet, quæ legi ineſt, eidemque ita cohæret, ut ab eadem ſeparari nequeat, vel ex obligatione tanquam fonte manat. Quoties igitur nos vocabulo juris naturalis utemur, horum alterutrum ſemper intelligemus. Quando igitur homo agit, ad quæ lege naturali obligatur, & quando præterea agit alia, ut iſta agere poſſit, jure ſuo agit.

§. 161.

Ratio juris naturalis in quo cōtineatur.

Jus naturæ rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura habet. Per ipſam enim hominis rerumque eſſentiam atque naturam intelligitur, cur ad has actiones committendas, iſtas vero omittendas lege naturæ obligemur (§. 137). Quamobrem cum jus naturæ ſit illud ipſum jus, quod vi legis naturalis nobis competit (§. 160), tum ad actiones committendas, ad quas committendas lege naturali obligamur, atque ad eas omittendas, ad quas omittendas eadem obligamur (§. 158), tum ad ea, ſine quibus obligationi naturali, quæ ſola legis naturalis eſt (§. 144), ſatisfacere non poſſumus (§. 159); ipſi quoque hominis rerumque eſſentiæ atque naturæ ineſſe debent, per quæ intelligere debemus, cur iſtud jus nobis competat. Quoniam itaque per rationem ſufficientem intelligitur, cur quid potius ſit, quam non ſit (§. 56 *Ontol.*); quin jus naturæ rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura habeat, dubitandum non eſt.

Nimirum ex ipſa hominis rerumque eſsentia atque natura deducitur, ad quaſnam actiones committendas & omittendas homo obligetur, & tum ſimul patet, quodnam ipſi concedendum ſit jus, ut agat ea, ad quæ obligatur, ſeu obligationi naturali ſatisfaciat. Ex eodem itaque fonte derivatur & obligatio naturalis ad certas actiones committendas & omittendas, & jus naturale, quo opus eſt, ut eidem ſatisfieri queat.

§. 162.

Jus naturæ cōmune & proprium.

Quodſi jus naturæ rationem ſufficientem in eſſentia & natura hominis ac brutorum communi, aut, ſi mavis, in iis, quæ homini ac brutis communia ſunt, habet; dicitur *Jus naturæ commune*, hominum ſcilicet ac bruto-

brutorum. Si vero rationem ſufficientem in eſſentia & natura hominis propria, ſeu in eo, quo homo a brutis differt, aut, ſi mavis, in differentia ſpecifica hominis a bruto habet, *Jus naturæ proprium*, ſcilicet hominum, appellatur. Atque hinc intelligitur, quo ſenſu & *Lex naturæ communis* ac *propria* dici poſſit.

Jus naturæ pariter (§. 161) & lex naturæ, vi cujus homini jus iſtud competit (§. 158. 159), rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura habet (§. 135). Rerum eſſentiæ atque natura eædem manent, ſive eas ad homines, ſive ad animantia bruta referas. Hominem vero ſi cum brutis conferas quoad determinationes eſſentiales & ea, quæ inde fluunt; quædam inter ſe communia habent, in quibuſdam vero inter ſe differunt. Quodſi ergo ex eſſentia hominis deducere volueris, quæ ſunt legis ac juris naturalis; aut ea deducenda ſunt ea iis, quæ homini cum brutis communia ſunt, aut ex iis, quæ eidem ſunt propria. Quæ ex iis derivantur, quæ homo cum brutis communia habet; non minus brutis, quam homini competere debent, ea tamen differentia, ut actiones, quæ in brutis ſunt naturales, in homine liberæ evadant, utpote ex ratione agente. Unde proprie loquendo brutis ea neceſſitate eſſentiæ ac naturæ ſuæ agentibus nec jus tribui poteſt, nec lex præſcribi poteſt, per quam eo ſenſu obligentur, quo homo obligari dicitur. Quatenus tamen bruta ea agunt, ad quæ homines lege naturali obligantur & quæ jure ſuo agunt; ideo quoad ſpeciem externam lege naturæ actiones ſuas regere & jure naturæ uti videntur. Et eatenus jus naturæ ex communi hominum brutorumque eſſentia atque natura deductum dicitur jus hominum brutorumque commune & lex naturæ communis lex appellatur. Obtinet hic loquendi mos in Jure Romano *L. 1. ff. de J. & J.* Notandum vero JCtos Romanos Jus iſtud, quod rationem ſuam in eſſentia atque natura hominis cum brutis communi agnoſcit, ſolum *Juris naturalis* titulo inſignire, quod vero ea eſſentia atque natura hominum propria deducitur, *Jus Gentium* appellare. Vide *L. 1. 3. 4. 5. ff. de J. & J.* Uberius hoc expoſuimus in Horis Subſecivis A. 1729 *Trim. Vern. num. 2.* Hinc *Ulpianus* Jus naturæ definit per iſtud jus, quod natura omnia animalia docuit: quam definitionem ejuſque uſum loco citato explicavimus. Quoniam tamen hodie Juris ac legis naturalis ſignificatus laxior eſt, ita ut omnia ſub ſe comprehendat, ſive ex eſſentia atque natura hominum communi, ſive propria deducantur; Juris autem Gentium alius ſignificatus obtinet, quemadmodum ſuo loco oſtendemus; Jus quoque ac legem naturæ in ſignificatu laxiori accipere voluimus. Quia vero utilitate non caret, diſtingui ea, quæ ex eſſentia & natura hominum communi fluunt, ab iis, quæ ex propria deducuntur; Jus naturæ laxiori ſignificatu acceptum in commune ac proprium dividere voluimus. Notandum vero in eo ſignificatu, quo jus brutorum & hominum commune admittitur, dari etiam jus brutorum proprium, quatenus ex differentia ſpecifica deducitur quædam illius diverſitas pro diverſitate brutorum. Sed hæc ſuo loco clarius eluceſcent.

§. 163.

Lex prohibitiva quænam ſit.

Lex prohibitiva eſt, quæ obligat ad aliquid non agendum. Dicitur vocabulo uno *Prohibitio*, quia actus legis prohibitivæ eſt prohibitio.

Equidem vetare & prohibere promiſcue ſumuntur de legis prohibitivæ actu. Cur tamen nobis horum vocabulorum ſignificatum diſtingui conſultius viſum fuerit, expoſuimus alibi (*not. §. 985 part. I. Theol. nat.*).

§. 164.

Lex præceptiva quænam ſit.

Lex præceptiva eſt, quæ obligat ad aliquid agendum. Dicitur etiam vocabulo uno *Præceptum*, quia actus legis præceptivæ eſt præcipere.

Jubere ac præcipere promiſcue ſumuntur de legis præceptivæ actu, imo jubere accipitur de omni actu legis, quando per juſſum Superioris definitur. Cur autem nobis conſultius viſum fuerit, jubere ac præcipere non promiſcue uſurpari, ſed horum vocabulorum ſignificatum a ſe invicem diſtingui, expoſuimus alias (§. 983. 984 *part. I. Theol. nat.*).

§. 165.

§. 165.

Lex permiſſiva dicitur, quæ dat agendi & non agendi jus, non tamen obligat ad agendum vel non agendum. Dicitur etiam vocabulo uno *Permiſſio*.

Lex permiſſiva quænam dicatur.

Quid ſit permiſſio, explicavimus alibi (§. 584 *part. I. Theol. nat.*). E. gr. lex permiſſiva civilis eſt, quæ piſcationem certo modo reſtrictam civibus permittit; eos tamen nec obligat ad piſcandum, nec obligat ad non piſcandum, ſed tantummodo piſcari volenti piſcandi jus dat, ut jure hoc facere poſſit. Lex prohibitiva, præceptiva & permiſſiva ſunt termini technici, quibus in philoſophia utimur. Vocabulo præceptivi uſus eſt *Seneca* epiſt. 95, & adverbialiter idem uſurpavit *Tertullianus* adverſus *Marc.* lib. 5. c. 10. Et præceptive adverbialiter dixit idem *Tertullianus*. Quodſi quis legem prohibitivam dicere malit prohibentem, vel prohibitoriam, & præceptivam præcipientem, permiſſivam vero permittentem; nobis perinde erit. Nos in terminis technicis parum ſolliciti ſumus de pura Latinitate: ſufficit eosdem formari ad imitationem vocabulorum aliorum derivatorum apud Latinos uſitatorum. Neque enim juvenibus ac adoleſcentibus ſcribimus, ut probatam addiſcant Latinitatem: ſed ea, quæ in philoſophia propriis a ſe invicem nominibus diſtingui jubet accurata methodus, terminis technicis deſignamus accurata definitione explicatis, ut non modo loquendi compendium præbeant, verum etiam principiorum loco ſint in demonſtrando. Quibus hæc ratio non ſatisfacit, eorum judicium nihil moramur: ſuo per nos abundent ſenſu.

§. 166.

Lex tacite permittere dicitur id, ad quod agendum vel non agendum lex nulla nos obligat, neque jus dat.

Tacita legis permiſſio quid ſit.

De iis igitur, quæ tacite permittuntur, lex nulla extat, neque præceptiva, neque prohibitiva, neque permiſſiva; ſed de iis lex prorſus ſilet. Quinam ſit effectus tacitæ permiſſionis, conſtabit ſuo loco. Atque tum patebit, manifeſtam intercedere differentiam inter permiſſionem expreſſam, quæ lege permiſſiva continetur, & permiſſionem tacitam, quæ nulla lege comprehenditur, ob quam unam ab altera diſtingui neceſſe eſt.

§. 167.

Lex naturæ præceptiva nos obligat ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt, & ad eas determinandas per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales. Etenim lex naturæ nos obligat ad committendas actiones intrinſece bonas (§. 153). Quamobrem cum actiones intrinſece bonæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendant (§. 103); eadem nos obligat ad actiones committendas, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt. Enimvero lex præceptiva eſt, quæ ad aliquid agendum nos obligat (§. 164). Lex igitur naturæ præceptiva nos obligat ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt. *Quod erat unum.*

Legis naturæ præceptivæ ſumma.

Similiter lex naturæ nos obligat ad determinandas actiones liberas per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales (§. 154), & actiones hoc modo determinatæ ad perfectionem hominis tendunt (§. 49). Quoniam igitur lex naturæ præceptiva eſt, quæ ad aliquid agendum nos obligat (§. 164); lex naturæ præceptiva nos obligat ad determinandum actiones liberas per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales. *Quod erat alterum.*

Digitized by Google

§. 168.

Legis naturæ prohibitivæ ſumma.

Lex naturæ prohibitiva nos obligat ad non committendas ſeu ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt, & ad non determinandum actiones liberas per rationes finales diverſas ab iis, per quas determinantur naturales. Etenim lex naturæ nos obligat ad non committendas, ſeu ad omittendas actiones intrinſece malas (§. 153). Quoniam itaque actiones intrinſece malæ ad noſtram ſtatuſque noſtri imperfectionem per ſe tendunt (§. 106); eadem nos obligat ad non committendas, ſeu ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt. Eſt vero lex naturæ prohibitiva, quæ ad aliquid non agendum nos obligat (§. 163). Quamobrem lex naturæ prohibitiva nos obligat ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt. *Quod erat unum.*

Similiter lex naturæ nos obligat ad non determinandum actiones liberas per rationes finales diverſas ab iis, per quas determinantur naturales (§. 154), & actiones hoc modo determinatæ ad imperfectionem noſtram tendunt (§. 49). Quamobrem cum lex naturæ prohibitiva ſit, quæ ad quidpiam non agendum nos obliget (§. 163); lex naturæ prohibitiva nos obligat ad non determinandum actiones liberas per rationes finales diverſas ab iis, per quas determinantur naturales. *Quod erat alterum.*

§. 169.

Legis naturæ permiſſivæ ſumma.

Lex naturæ permiſſiva dat jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit, ſeu quæ ad obligationi naturali ſatisfaciendum neceſſaria ſunt. Etenim lex naturæ dat nobis jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit, ſeu quæ ad eidem ſatisfaciendum neceſſaria ſunt (§. 159). Per ſe autem patet, quod ad ea per ſe nos non obliget, ad quæ tantummodo jus dat, ut alteri obligationi ſatisfieri poſſit. Eſt vero lex permiſſiva, quæ dat agendi & non agendi jus, non tamen obligat ad agendum & non agendum (§. 165). Lex igitur naturæ permiſſiva dat jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit, ſeu quæ ad eidem ſatisfaciendum neceſſaria ſunt.

E. gr. Conſervatio corporis eſt legis naturalis præceptivæ, quæ ad eandem nos obligat, conſequenter obligamur ad nos adverſus vim alterius defendendum. Lex igitur permiſſiva dat jus ad ea, quæ ad defenſionem neceſſaria ſunt. Quamobrem ſi ea fieri nequeat, niſi cum interfectione alterius; eum interficiendi dat jus. Sed hæc ſuo tempore locoque evidentius demonſtrabuntur, quæ nunc tantummodo illuſtrationis gratia in medium adducuntur.

§. 170.

Debiti, liciti & illiciti differentia.

Id, ad quod agendum obligamur, dicitur *Debitum*. Id, ad quod omittendum obligamur, dicitur *Illicitum*. Id denique, ad quod agendum tantummodo jus habemus, aut quod nec præceptum, nec prohibitum, *licitum* appellatur. Unde patet, *naturaliter debitum* eſſe, ad quod lege naturali præceptiva obligamur; *naturaliter illicitum* eſſe, ad quod omittendum

dum lege naturali prohibitiva obligamur; *naturaliter* denique *licitum* eſſe, ad quod lex naturæ permiſſiva nobis dat jus.

Ita nobiſmetipſis debemus ea, quæ faciunt ad corporis noſtri conſervationem, quia lege naturali præceptiva ad corpus conſervandum obligamur. Unde actiones omnes huc per ſe tendentes naturaliter debitæ ſunt. Quoniam vero lege naturali prohibitiva obligamur ad omittendum ea, quæ ſanitati ac vigori corporis nocent; hæc ipſa naturaliter illicita ſunt. Aſt quia lex naturæ permiſſiva nobis dat jus ad ea, quæ cibi ac potus uſum præſtant; piſces, feras & aves capere ac aquam bibendi cauſa haurire naturaliter licitum eſt. Ita lege civili debitum eſt pretium pro re emta ſolvendum, quia ad ejus ſolutionem civiliter obligamur. Licitum eſt rem emere, a quo volueris, ſi nulla lege præcipitur, a quonam res quædam ſit emenda, nec ulla lege prohibetur, ne a quodam ſit emenda. Quodſi extet lex prohibitiva, illicitum eſt emere rem quandam ab eo, a quo eam emi lex non vult. Similiter furtum illicitum eſt, quia lege prohibetur ſub gravi pœna. Sumimus illuſtrationis gratia ſuo tempore locoque demonſtranda, atque alia ex Jure civili mutuo petimus eodem fine.

§. 171.

Honeſtum dicitur, quicquid obligationi ac juri naturali convenit, ſeu id, quo fit, quod naturaliter debitum & licitum (§. 170). *Inhoneſtum* vero appellatur, quod obligationi ac juri naturali repugnat. Unde *honeſtus* appellatur, qui agit ea, ad quæ agenda obligatur, & quæ jure ſuo agere poteſt; minime vero ea, ad quæ non agenda obligatur, & quæ nullo jure agere poteſt. Ex adverſo autem *inhoneſtus* eſt, qui agit ea, ad quæ omittenda obligatur & quæ nullo jure agere poteſt.

Honeſti & inhoneſti differentia.

Hinc facile intelligitur, quænam inter bonum & honeſtum, itemque inter malum & inhoneſtum differentia intercedat. Nimirum bonum quid dicitur, quatenus refertur ad hominem, nondum ut agentem ſpectatum; honeſtum vero, quatenus refertur ad voluntatem agentis, ut ſcilicet velit agere, quod bonum eſt. Idem tenendum de malo & inhoneſto. Equidem per inconſtantiam loquendi bonum & honeſtum, itemque malum & inhoneſtum plerumque confunduntur; ſed noſtrum eſt a ſe invicem ſeparare, quæ multum quidem affinitatis inter ſe habent, adhuc tamen in aliquo differunt. Agitur hic de honeſtate naturali, quæ ſola vera honeſtas eſt; non de civili, quæ quantum ab illa abeat, ſuo loco docebimus.

§. 172.

Per ſe bonum dicitur, quod bonum eſſe demonſtrari poteſt independenter a voluntate Dei vel hominis, qui nos obligandi jus habet. Unde etiam intelligitur, quid ſit *per ſe debitum*, *licitum & honeſtum*.

Per ſe bonum, debitũ, licitum & honeſtũ quid ſit.

Nimirum per ſe bonum aliquid dicitur magis ſenſu negativo, quam poſitivo, quatenus non ideo bonum eſſe intelligitur, quod ſit vel a Deo, vel a Superiore præceptum, conſequenter non ideo, quod Deus hoc fieri vult, vel a Superiore hoc facere jubemur. Similiter per ſe debitum eſt negativo magis, quam poſitivo ſenſu, quod jam deberi intelligitur, antequam a Deo vel Superiore præcipitur, conſequenter antequam ad id agendum ab eo obligamur. Et eadem eſt ratio ejus, quod per ſe licitum, vel per ſe honeſtum eſt.

§. 173.

Per ſe malum appellatur, quod malum eſſe demonſtrari poteſt independenter a voluntate Dei vel hominis, qui nos obligandi jus habet. Unde etiam intelligitur, quid ſit *per ſe illicitum* & *per ſe inhoneſtum* ſeu *per ſe turpe*.

Per ſe malum, illicitum & turpe quid ſit.

Quæ modo de eo annotavimus (*not.* §. 172), quod per ſe bonum, debitum, licitum & honeſtum eſt; idem quoque de eo, quod per ſe malum, illicitum & inhoneſtum ſeu turpe eſt, tenendum. Equidem per ſe bonum, & intrinſece vel in ſe bonum, inter ſe vulgo confunduntur, quemadmodum etiam per ſe debitum, per ſe honeſtum & per ſe bonum promiſcue uſurpantur; non tamen ita dicuntur eodem reſpectu: id quod etiam de per ſe malis & intrinſece malis tenendum.

§. 174.

§. 174.

Quænã actiones ſint per ſe bonæ.

Actiones bonitatem intrinſecam habentes per ſe bonæ ſunt. Etenim ſi actio bonitatem intrinſecam habet, per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam bona eſt (§. 124). Quamobrem neceſſe eſt, ut independenter a voluntate Dei vel Superioris cujuſdam alterius, ſeu hominis, qui nos obligandi jus habet, demonſtrari poſſit, quod ſit bona. Enimvero per ſe bona eſt actio, quæ quod bona ſit independenter a voluntate Dei vel hominis, qui nos obligandi jus habet, demonſtrari poteſt (§. 172). Patet itaque actiones bonitatem intrinſecam habentes eſſe per ſe bonas.

Nimirum actiones per ſe bonæ ſunt, nec demum voluntate Dei vel Superioris cujuſdam alterius efficiuntur bonæ, quia bonitas ipſis intrinſeca, hoc eſt, ex determinationibus eſſentialibus, per quas tanquam certi generis vel certæ ſpeciei actiones concipiuntur, neceſſario fluit tanquam attributum inſeparabile (§. 57). Atque hinc patet, non prorſus idem ſignificari, quando actio aliqua dicitur intrinſece bona & quando dicitur per ſe bona, etſi per ſe bona eſſe nequeat, niſi quæ ſit intrinſece bona.

§. 175.

Idem ulterius expenditur.

Quoniam actiones intrinſecam bonitatem habent, quæ vel in ſe bonæ ſunt, vel in ſe quidem indifferentes, propter determinationes tamen accidentales in bonas abeunt (§. 61), actiones autem bonitatem intrinſecam habentes per ſe bonæ ſunt (§. 174); *actiones in ſe bonæ & propter determinationes accidentales in bonas abeuntes, utut in ſe indifferentes, per ſe bonæ ſunt.*

§. 176.

Quænã actiones ſint per ſe malæ.

Actiones malitiam intrinſecam habentes per ſe malæ ſunt. Etenim actiones intrinſece malæ per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam malæ ſunt (§. 124). Neceſſe igitur eſt, ut ex ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura, adeoque independenter a voluntate Dei atque hominis jus nos obligandi habentis, demonſtrari poſſit, quod ſint malæ. Quoniam itaque actio per ſe mala eſt, quæ quod ſit mala independenter a voluntate Dei atque hominis, jus nos obligandi habentis, demonſtrari poteſt (§. 173); actiones intrinſecam malitiam habentes per ſe malæ ſunt.

Quæ modo (*not.* §. 174) de actionibus intrinſece bonis per ſe bonis annotavimus, mutatis mutandis etiam de actionibus intrinſece malis per ſe malis intelligenda.

§. 177.

Idem ulterius expenditur.

Quoniam actiones malitiam intrinſecam habent, quæ in ſe malæ ſunt, aut in ſe quidem ſunt indifferentes, propter determinationes tamen accidentales in malas abeunt (§. 63), actiones autem malitiam intrinſecam habentes per ſe malæ ſunt (§. 176); *actiones in ſe malæ, itemque in ſe quidem indifferentes, ſed propter determinationes accidentales in malas abeuntes, per ſe malæ ſunt.*

§. 178.

Quænã per ſe debita, licita, il-

Naturaliter debita, licita & illicita, honeſta & inhoneſta ſeu turpia, per ſe talia ſunt. Quod enim naturaliter debitum, ad id agendum obligamur lege naturali: quod naturaliter licitum, ad id agendum nobis jus dat lex natura-

Digitized by Google

naturalis: quod denique illicitum naturaliter, ad id non agendum ſeu omittendum obligamur lege naturali (§. 170). Enimvero lex naturæ (§. 136) & obligatio naturalis, quæ legis naturalis eſt (§. 141), ponitur, poſita hominis rerumque eſſentia atque natura (§ 129). Quamobrem ex eſſentia atque natura hominis rerumque demonſtrari poteſt, quod quid naturaliter ſit debitum, licitum vel illicitum (§. 551. 552 *Log.*), adeoque ad hoc demonſtrandum non recurrendum eſt ad voluntatem Dei vel hominis, qui nos obligandi jus habet. Quoniam itaque per ſe debitum, licitum & illicitum eſt, quod tale eſſe demonſtrari poteſt independenter a voluntate Dei vel hominis, qui nos obligandi jus habet (§. 172. 173); quod naturaliter debitum, licitum vel illicitum eſt, per ſe tale eſt. *Quod erat unum.* *licita, honeſta & turpia.*

Simili modo naturaliter honeſtum eſt, quicquid obligationi & juri naturali convenit; inhoneſtum vero naturaliter ſeu turpe, quod eidem repugnat (§. 171 *& ejus not.*). Enimvero obligatio naturalis ponitur, poſita hominis rerumque eſſentia atque natura (§. 129). Et quia jus naturale vi legis naturalis homini competit (§. 160), lex autem naturæ ponitur, poſita hominis rerumque eſſentia atque natura (§. 136); jus quoque naturale ponitur, eſſentia atque natura hominis rerumque poſita. Ex eſſentia itaque & natura hominis rerumque demonſtrari poteſt, quod quid conveniat obligationi ac juri naturali, vel eidem repugnet, conſequenter non ſuppoſita Dei vel hominis, qui nos obligandi jus habet, voluntate. Quoniam itaque per ſe honeſtum eſt, vel inhoneſtum ſeu turpe, quod tale eſſe independenter a voluntate Dei vel hominis, nos obligandi jus habentis, demonſtrari poteſt (§. 172. 173); naturaliter honeſtum & inhoneſtum, per ſe tale eſt. *Quod erat alterum.*

Abunde igitur oſtendimus, dari per ſe bona & mala, per ſe debita, licita & illicita, per ſe honeſta & turpia, quæ non demum talia efficiuntur voluntate Dei vel alterius legum conditoris, & quænam ea ſint evicimus: unde ſimul liquet, quinam ſingulis hiſce dictionibus conveniat ſignificatus, ne promiſcuo earundem uſu damni aliquid patiatur veritas. Ipſo autem opere oſtendemus, omnem juris & obligationis naturalis theoriam independenter a voluntate Dei demonſtrari poſſe, hoc non obſtante, quod ex ipſis principiis rationis demonſtraturi ſimus, Deum eſſe auctorem legis naturæ & legem naturæ eſſe quoque legem divinam.

§. 179.

Determinatio actionum liberarum per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales, non vero per diverſas, eſt principium cognoſcendi Legum naturalium omniſque Juris naturalis. Etenim lex naturæ præceptiva nos obligat ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 167); lex naturæ prohibitiva vero nos obligat ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 168). Enimvero ſi actiones liberæ per eaſdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales, ad perfectionem hominis tendunt; ſi vero determinantur per diverſas, ad imperfectionem *Principium Juris naturalis & Legum naturalium.*

ejuſdem

Digitized by Google

ejuſdem tendunt (§. 49). Quoniam itaque ex determinatione actionum liberarum per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales, non vero per diverſas, intelligitur, quænam actiones vi legis naturalis ſint committendæ, quænam omittendæ, principium vero cognoſcendi eſt propoſitio, per quam intelligitur veritas aliarum (§. 876 *Ontol.*); determinatio actionum liberarum per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales, non vero per diverſas, eſt principium Legum naturalium, conſequenter etiam juris, quod per eas homini datur (§. 158. 159).

Non eſt quod excipias determinationem iſtam actionum non eſſe principium legis permiſſivæ, cum ea, quæ in demonſtratione continentur, tantummodo pertineant ad legem naturæ prohibitivam & præceptivam (§. 167. 168). Etenim lex permiſſiva dat jus ad ea, ſine quibus legi præceptivæ ac prohibitivæ ſatisfieri nequit (§. 169). Quamobrem cum ex lege præceptiva ac prohibitiva deducatur lex permiſſiva; hæc alio principio non habet opus. Multæ fuerunt inter eruditos diſceptationes de principio Juris naturalis & Legum naturalium. Noſtrum non eſt diverſas de eodem opiniones ad examen revocare, quæ hinc enatæ, quod in eo inveſtigando via analytica non inceſſerint. Etenim ſi perpendiſſent, legem naturæ dici eam, quæ in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura rationem ſufficientem habet (§. 135), adeoque, poſita hominis rerumque eſſentia ac natura, ponitur (§. 136); facile perſpexiſſent, principium ejus cognoſcendi ex hominis eſſentia atque natura derivari debere. Unde eodem modo incidiſſent in determinationem actionum liberarum per eaſdem rationes finales, non vero diverſas, quemadmodum nos ſupra in eandem incidimus. Quemadmodum hinc deduximus generalia principia legum præceptivarum & prohibitivarum de committendis actionibus ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendentibus, & omittendis actionibus ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendentibus: unde porro fluit legis permiſſivæ ſumma de jure ad ea conceſſo, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri non poteſt; ita ope ejuſdem principii ex lege prohibitiva & præceptiva generali deducuntur ſpeciales, quemadmodum ex tractatione ſpeciali abunde patebit. Non igitur opus eſt, ut multis adſtruamus, principium hoc eſſe adæquatum, ita ut alio præterea non ſit opus. Præſtat enim hoc ipſo opere oſtendere, univerſa legum naturalium ac juris naturalis doctrina inde deducta, quam, quod vulgo fieri ſolet, de eo diſputare, num principium ſit adæquatum, in legibus vero naturalibus demonſtrandis eodem non uti.

§. 180.

Non impediendus juris naturalis uſus.

Nemo hominum habet jus impediendi alterum, quo minus jure ſuo naturali utatur. Etenim Lex naturæ dat homini jus tum ad committendas actiones, atque omittendas, ad quas committendas atque omittendas obligatur (§. 158), tum ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159). Ponamus itaque eſſe alteri jus me impediendi, quo minus hoc jure utar. Evidens eſt, me obligationi naturali ſatisfacere non poſſe, conſequenter poſito hoc jure, eam non amplius fore immutabilem. Quod cum ſit abſurdum (§. 142), nemo hominum habere poteſt jus impediendi alterum, quo minus jure ſuo naturali utatur.

Quas hic difficultates faceſſere quis poterat ex parte juris, quod lege naturali permiſſiva datur (§. 169); eas in præſenti non moramur. Patebit enim ſuo tempore, illud jus quidem variis modis limitari poſſe, tum ut abuſus tollatur, tum ut omnibus eodem frui detur; neminem autem ideo impediri, ne obligationi ſuæ ſatisfacere queat. Unde propoſitione præſente utemur demonſtraturi, quænam illius limitatio legi naturali minime repugnet. Hæc eo fine monemus, ne quis intempeſtive ſibi ſapere videatur in præjudicium veritatis, quemadmodum ſolenne eſt iis, qui ad aliorum ſcripta legenda magis carpendi, quam diſcendi animo accedunt, & nondum ſatis intellecta temerario auſu impugnant.

§. 181.

§. 181.

Legis naturalis cur nõ detur ratio hiſtorica.

Legum naturalium ratio hiſtorica nulla datur. Etenim poſita hominis rerumque eſſentia atque natura ponitur lex naturæ (§. 136). Nullum adeo ſupponitur factum, ob quod datur. Quamobrem cum ratio hiſtorica a facto deſumatur (§. 134); evidens eſt legum naturalium rationem hiſtoricam nullam dari.

Leges humanas rationes ſuas habere hiſtoricas conſtat, deſumtas a factis, quæ cauſam occaſionalem præbent ferendi legem. Ponamus e. gr. Famulis permiſſum eſſe geſtare enſem, aliquoties autem accidere, ut unus alterum vulneret, ac ideo ferri legem prohibitivam, ne quis famulus geſtet enſem. Ratio hiſtorica ejus eſt, quod aliquoties famulus unus alteri ferro vulnus infligit. Iſtiuſmodi rationes nullum habere locum in lege naturali, quæ per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam immutabiliter ponitur (§. 136. 142), quivis facile perſpicit. Quod ſi quis excipiat legem naturæ ſupponere aliquod factum, nempe creationem hominis, adeoque dari ejus rationem quandam hiſtoricam; facilis eſt reſponſio. Eſſentia hominis atque natura ejus poſſibilis, antequam homo creatur, & in ſtatu ideali jam concipitur lex naturæ. Per creationem minime intelligitur, cur aliqua ſit lex naturæ; ſed quod exiſtant, qui juxta eandem actiones ſuas determinare tenentur, & determinare actu poſſunt, ſi velint. Factum adeo ſupponit legis naturalis cuſtodia, non vero lex ipſa.

§. 182.

Legis permiſſivæ naturalis qualis ſit ratio.

Lex naturalis permiſſiva non alias habet rationes, quam legales. Etenim lex naturæ permiſſiva dat jus ad ea, quæ ad ſatisfaciendum obligationi naturali, quæ ſola legis naturalis eſt (§. 144), neceſſaria ſunt (§. 169). Quoniam itaque obligatio naturalis ad actiones committendas lege naturali præceptiva (§. 167), obligatio vero naturalis ad actiones omittendas lege naturali prohibitiva continetur (§. 168); per ea, quæ inſunt legi naturali præceptivæ atque prohibitivæ, intelligitur, cur hoc jus homini conceſſum ſit lege permiſſiva, conſequenter rationes legis permiſſivæ continentur in lege præceptiva & prohibitiva (§. 56 *Ontol.*). Patet itaque leges naturales permiſſivas rationes habere legales, cumque per ſe pateat, ſi quæ leges permiſſivæ ex aliis præſuppoſitis demonſtrentur, earum quoque rationes legales eſſe debere, nimirum deſumtas ab iis legibus, ex quibus demonſtrantur (§. 134); evidens eſt legum naturalium permiſſivarum non alias dari rationes, quam legales.

Nimirum ſi quis intelligere voluerit, cur quid ſit legis naturalis permiſſivæ, aut id intelliget per legem aliquam naturalem præceptivam, vel prohibitivam, aut per legem quandam aliam permiſſivam. Convenit hoc methodo demonſtrativæ. Ea nimirum ſi tradantur leges naturales, leges permiſſivæ aliæ demonſtrantur immediate ex legibus præceptivis atque prohibitivis, aliæ vero ex legibus permiſſivis, inde & ex permiſſivis aliis anterioribus jam demonſtratis. Dabimus fidem oculatam in opere Juris Naturæ & Gentium.

§. 183.

Legum naturalium primitivarũ & derivativarum differentia.

Leges naturales primitivæ ſunt, quæ ex eſſentia & natura hominis rerumque, & iis, quæ per eandem ipſis inſunt, hoc eſt, ex eſſentia, natura & attributis eorundem immediate demonſtrantur. *Derivativæ* autem appellantur, quæ ex legibus aliis deducuntur.

Nimirum lex naturæ rationem ſufficientem habet in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura (§. 135). Quodſi ergo hasce leges in particulari demonſtrare volueris; aliæ demonſtrandæ ſunt immediate ex natura ipſiſque determinationibus eſſentialibus & attributis hominis

Digitized by Google

hominis rerumque; aliæ vero demonſtrantur ex legibus aliis jam antea demonſtratis. Quodſi ergo animum advertas ad modum, quo leges naturales nobis innoteſcunt; recte in primitivas & derivativas dividuntur. Quænam ſint primitivæ, quænam derivativæ, patebit ſuo loco, ubi earum demonſtrationes exhibituri ſumus. Haud difficulter vero perſpicitur, primitivas eſſe magis manifeſtas derivativis. Unde eſt, quod primitivæ extra omnem controverſiæ aleam ſint poſitæ; derivativæ autem haud raro in diſceptationem adducantur, præſertim ab iis, qui methodi demonſtrativæ ſunt ignari. Ceterum cum legum naturalium aliæ ſint primitivæ, aliæ derivativæ; fieri haudquaquam poteſt, ut omnium ratio immediate ex hominis & rerum eſſentia atque natura detur, etſi omnes ſimul rationem ſufficientem non habeant niſi in eſſentia atque natura hominis rerumque, atque hac poſita ponantur omnes ſimul.

§. 184.

Leges naturales permiſſivæ quales ſint.

Leges naturales permiſſivæ omnes ſunt derivativæ. Etenim leges naturales permiſſivæ dant jus ad ea, quæ ad ſatisfaciendum obligationi naturali neceſſaria ſunt (§. 169). Quamobrem cum obligatio veniat a legibus præceptivis & prohibitivis (§. 163. 164); omnes permiſſivæ legem quandam præceptivam, vel prohibitivam præſupponunt, atque adeo nonniſi ex legibus præceptivis ac prohibitivis deducuntur. Quamobrem cum leges naturales ſint derivativæ, quæ ex legibus aliis deducuntur (§. 183); leges permiſſivæ naturales omnes ſunt derivativæ.

Cum lex ſit regula, juxta quam actiones naturales determinare obligamur (§. 131), lex vero prohibitiva obliget ad aliquid non agendum (§. 163), præceptiva ad agendum (§. 164), permiſſiva vero nonniſi jus det ad aliquid agendum vel non agendum (§. 165); leges permiſſivæ proprie loquendo non ſunt leges, ſed leges permiſſivæ naturales tantummodo ſunt neceſſarium conſequens legum præceptivarum & prohibitivarum tanquam legum vere talium. Nulla tamen ratio ſuadet, ut termino recepto abſtineamus.

§. 185.

Rationes legũ primitivarum & derivativarũ rationes quales ſint.

Legum naturalium primitivarum rationes morales ſunt; legum vero derivativarum tam præceptivarum, quam prohibitivarum rationes dantur legales. Etenim leges naturales primitivæ immediate ex eſſentia, natura & attributis hominis demonſtrantur (§. 183), adeoque actiones, ad quas committendas obligant, eſſentiæ & attributis hominis conveniunt; actiones vero, ad quas omittendas obligant, iiſdem repugnant. Quoniam itaque actiones rectæ ſunt, quæ eſſentiæ & attributis hominis conveniunt (§. 65), minus rectæ autem, quæ eiſdem repugnant (§. 64); per rectitudinem actionum intelligitur, cur iſtæ leges ſint in numero legum naturalium. Rationes igitur earum a rectitudine actionum deſumuntur (§. 56 *Ontol.*), adeoque morales ſunt (§. 134). *Quod erat unum.*

Leges derivativæ ex aliis deducuntur, ſive prohibitivæ fuerint, ſive præceptivæ (§. 183). Quoniam itaque per alias leges intelligitur, quod ſint in numero legum naturalium; rationes earum ex aliis legibus deſumuntur. Quamobrem cum legalis ſit ratio, quæ ex alia lege deſumitur (§ 134); leges naturales derivativæ tam præceptivæ, quam prohibitivæ rationes habent legales. *Quod erat alterum.*

Quodſi leges naturales methodo demonſtrativa in ſyſtema redigantur, demonſtrationes rationes earundem patefaciunt. Suadere igitur, ut in rationes legum naturalium inquiramus, idem eſt ac ſuadere, ut ſingulæ rigoroſe demonſtrentur. Ceterum me tacente patet,

demon-

Digitized by Google

demonſtrationem alteram valere quoque de legibus permiſſivis, quas omnes eſſe derivativas modo oſtendimus (§. 184). Quod vero eædem rationes tantummodo legales habeant, paulo ante evicimus aliter (§. 182).

§. 186.

Rationes legales legum naturalium quales ſint.

Rationes legales legum naturalium non ſunt earundem ratio ſufficiens. Deſumuntur enim ex legibus naturalibus aliis (§. 134), adeoque earum ope non intelligitur, quod lex aliqua ſit in numero legum naturalium, niſi ſi ea, ex qua deſumitur ratio, ſit in earundem numero. Quoniam vero per rationem ſufficientem intelligitur, cur lex aliqua data ſit in numero legum naturalium (§. 56 *Ontol.*); evidens eſt, legales rationes legum naturalium non eſſe earundem rationem ſufficientem.

Eodem modo hic ſeſe res habet ac in naturalibus effectibus, ubi ratio deſumta a cauſa contingente non eſt ſufficiens, veluti ſi quæras cur tu exiſtas & rationem reddas, quod ſis a parentibus tuis genitus: neque enim exiſtentiæ rationem ſufficientem habes, niſi ubi perveneris ad hominem primum, qui a Deo creatus, adeoque eodem modo genitus non eſt, quo generantur ceteri homines.

§. 187.

Rationũ legalium legum naturalium fons.

Rationes legales legum naturalium tandem reſolvuntur in hominis rerumque eſſentiam atque naturam. Rationes nimirum legales, cum ex legibus aliis deſumantur (§. 134), reſolvuntur in rationes illarum legum, ex quibus ipſæ deſumuntur. Quodſi harum quoque rationes fuerint legales, cum nec eædem ſint ratio ſufficiens earundem (§. 186); neceſſe eſt, ut denuo reſolvantur in alias, donec tandem terminentur in ea, quæ ex alia lege non deſumitur, conſequenter in ratione legum primitivarum (§. 183). Quoniam leges primitivæ ex eſſentia & natura, atque attributis hominis, quæ rationem ſufficientem in illa habent (§. 157 *Ontol.*), rerumque immediate demonſtrantur (§. 183); earum rationes ex eſſentia & natura hominis rerumque tanquam ex fonte ſuo derivantur. Unde patet rationes legales legum naturalium tandem in hominis rerumque eſſentiam atque naturam reſolvi.

Atque adeo patet, cur ſupra definiverimus legem naturalem, quod rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura habeat (§. 135). Liquet etiam, quod ipſæ leges permiſſivæ naturales, quarum rationes legales ſunt (§. 182), nonniſi in hominis rerumque eſſentia atque natura rationem ſufficientem habeant. Ultima adeo legum naturalium omnium ratio eſt hominis rerumque eſſentia atque natura.

§. 188.

Actiones eſſentiæ noſtræ convenientes L. n. præceptæ, diſconvenientes prohibitæ.

Lex naturæ nos obligat ad committendas actiones eſſentiæ ac naturæ noſtræ convenientes, & ad omittendas actiones eidem diſconvenientes. Etenim Lex naturæ rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura agnoſcit (§. 135), conſequenter actiones, quas committendas præcipit, in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura rationem ſufficientem habere debent, nimirum ut per eandem intelligatur, cur hæ actiones ſint ab homine committendæ (§. 56 *Ontol.*). Quamobrem cum actiones eſſentiæ ac naturæ hominis conveniant, quæ in eſſentia & natura ejuſdem rationem ſufficientem habent (§. 65); lex naturæ nos obligat ad committendas

actiones eſſentiæ ac naturæ noſtræ convenientes. Et quia nos obligat ad actiones iſtis contrarias omittendas, quas præcipit (§. 167. 168); neceſſe eſt, ut actiones, ad quas omittendas nos obligat, eidem diſconveniant (§. 28 *Ontol.*).

Satis patet ex iis, quæ in ſuperioribus de actionibus, ad quas committendas & omittendas nos obligat lex naturæ, demonſtravimus (§. 127. 128. 132), ſiquidem demonſtrationes probe perpendere velimus, per ipſam hominis eſſentiam atque naturam conſtare, cur iſtiuſmodi actiones ſint ab homine committendæ, vel omittendæ. Et ideo illæ eſſentiæ ac naturæ hominis convenire, hæ eidem diſconvenire ſeu repugnare dicuntur. Nimirum ſi quis animum advertit ad eſſentiam atque naturam hominis, & ad eandem refert omnes actiones liberas, quarum committendarum potentiam phyſicam habet, alias eidem convenire, alias vero diſconvenire deprehendet, quatenus perſpicit, ſi homo agere velit, ut nulla ex parte in actione ipſius quidpiam deſiderari poſſit, haſce actiones eſſe committendas, iis vero oppoſitas omittendas. Et hoc ſibi volunt, qui jus naturæ in convenientia & diſconvenientia actionum humanarum cum natura hominis conſiſtere affirmant: ſub natura enim eſſentiam comprehendunt, quam ab eadem minime diſtinguunt. Nobis igitur non contradicunt, qui convenientiam & diſconvenientiam actionum cum natura humana principium juris naturalis eſſe contendunt, quemadmodum facit *Grotius* de J. B. & P. lib. 1. c. 1. §. 10. n. 1, dum in ſuperioribus contendimus, principium cognoſcendi legum naturalium ac omnis juris naturalis eſſe determinationem actionum liberarum per eaſdem rationes, per quas determinantur naturales, non vero per diverſas (§. 179): nos enim docemus, undenam conſtet, quod actiones quædam naturæ humanæ conveniant vel diſconveniant. Niſi convenientia & diſconvenientia actionum cum natura humana diſtincte explicetur, quod vulgo fieri non ſolet, nec accurate demonſtrari poteſt, quænam ſint illæ actiones, quæ naturæ humanæ conveniunt; quænam vero ſint, quæ eidem repugnant. Lucem igitur adhuc deſideratam affundimus doctrinæ obſcuriori.

§. 189.

Obligatio ad actionum rectitudinem.

Lex naturæ nos obligat ad actionum liberarum rectitudinem, ſeu ad recte agendum. Etenim lex naturæ nos obligat ad actiones eſſentiæ ac naturæ noſtræ convenientes committendas & ad diſconvenientes omittendas (§. 188), conſequenter ad actionum liberarum cum eſſentia noſtra, ſeu determinationibus eſſentialibus convenientiam. Quoniam itaque in convenientia actionis cum omnibus determinationibus eſſentialibus rectitudo actionis humanæ conſiſtit (§. 65); evidens eſt, quod lex naturæ nos obliget ad actionum liberarum rectitudinem, ſeu ad recte agendum.

Homo igitur ſtudere debet, ut, quicquid agat, recte agat. Unde nulla nominari poteſt actio humana, in qua non aliqua ſpectari poſſit naturalis obligatio; utemur hoc principio in explicandis officiis lege naturali debitis. Nimirum quatenus actio aliqua convenientiam quandam habet cum eſſentia & natura humana, eatenus ad eandem obligamur, modo in ſe non ſit illicita. Imo actio in ſe illicita eatenus mala non eſt, quatenus aliquid rectitudinis habet. Sed hæc ſuo loco clarius conſtabunt.

§. 190.

Obligatio naturalis quoad actiones permiſſas.

Quoniam actionibus lege naturali tantummodo permiſſis ſua eſt rectitudo, quemadmodum animum vel ad exempla advertentibus patet, lege autem naturali ad eandem obligamur (§. 189); ***ad actiones lege naturali permiſſas recte committendas obligamur.***

E. gr. Piſcari eſt actio lege naturali permiſſa, prouti ſuo loco oſtendemus. Enimvero actio hæc ſuam habet rectitudinem: unde eſt quod carpitur, ſi ab ea deficit; laudatur vero ab artis piſcandi peritis, ſi nullus in ea datur defectus. Lege igitur naturali obligamur ad recte piſcandum, ſi piſcari voluerimus. Nemo hoc negare valet, qui actiones humanas

rectas

Digitized by Google

rectas ad legem naturæ præceptivam refert, quod cum eſſentialibus hominis determinationibus conveniant, adeoque rationem ſufficientem in iiſdem habeant (§. 64). Nimirum quicquid agis, tum intelligere debes, quomodo ſit agendum, tum neceſſe eſt ut velis ita agere, quemadmodum agendum eſſe agnoſcis, nec in facultate locomotiva quoad actus externos deſiderari quidpiam patiaris.

§. 191.

Melius quid dicatur.

Cum bonum ſit, quicquid nos ſtatumque noſtrum perficit (§. 554 *Pſychol. empir.*); *melius* utique *eſt*, *quod nos ſtatumque noſtrum magis perficit.*

§. 192.

Obligatio naturalis ad melius præferendum.

Lex naturæ nos etiam obligat ad id, quod altero melius, eidem præferendum. Etenim quod melius eſt altero, id perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri magis promovet, quam alterum (§. 191). Quamobrem cum lege naturali obligemur ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri promovendam (§. 152), aliquid vero eidem deſit, quatenus major a nobis obtineri poterat; non eſt quod dubitemus, quin lege naturali obligemur etiam ad id, quod altero melius eſt, eidem præferendum.

Nimirum qui melius præferre negligit altero, quod minus bonum eſt, is perfectionem ſuam ſtatuſque ſui eatenus promovere negligit, quatenus eandem majorem reddere poterat. Non igitur dici poteſt omni ex parte ſatisfeciſſe obligationi naturali. Imo nemo non experitur in ſeipſo voluntatem generaliter determinatam eſſe ad id, quod melius eſt altero, eidem præferendum. Unde qui hoc facit, recte agit (§. 64). Quamobrem cum lex naturæ ad recte agendum nos obliget (§. 189); ecquis eſt, qui dubitet, nos quoque eadem lege obligari ad id, quod altero melius eſt, eidem præferendum? Nemo nobis objiciat, quod obligationem naturalem ultra ſuos terminos extendamus: fert enim eos notio ipſius.

§. 193.

Lex naturæ perfectiva quænam ſit.

Lex naturæ perfectiva dicitur, quæ obligat ad id, quod eſt melius altero, eidem præferendum.

Hæc legis naturalis ſpecies non eſt negligenda, quemadmodum luculentius ſuo conſtabit loco. Sunt enim quædam contra legem naturæ perfectivam, quæ non ſunt ſimpliciter contra legem naturalem.

§. 194.

Decorū quid ſit.

Id, quod agens liberum decet, unico vocabulo dicitur *Decorum.* Quamobrem cum agens liberum quid deceat, ſi in iis, quæ ipſi per naturam inſunt, contineatur aliqua ratio, cur hoc potius velle debeat, quam aliud (§. 332 *part. I. Theol. nat.*); *Decori ratio petitur ab iis, quæ homini aut ſtatui ejus externo*, qui tanquam ad eum pertinens ſpectatur, *inſunt*, *aut illi ineſſe debent.*

Decorum adeo ſpectatur in omnibus omnino hominum actionibus, etiam honeſtis, quatenus quidpiam iis ſuperaddit, quod per ſe iiſdem non ineſt, ineſſe autem debere intelligitur, ubi ad actiones honeſtas alias vel habitus acquiſitos tam intellectuales, quam morales, ſtatumque hominis externum refertur. E. gr. edere cibum, qui bene ſapit, eſt actio jure naturali permiſſa, & quatenus ſanitatis ac vitæ conſervandæ gratia edimus, edendo obligationi naturali ſatisfacimus. Quodſi vero inter edendum, cibo deglutito, linguam a palato & labia a ſe invicem non ſine aliquo ſtrepitu ſeparamus; id minime decorum habetur, quia cibum appetere videmur non ſanitatis ac vitæ conſervandæ, ſed voluptatis ex cibo percipiendæ gratia, contra obligationem naturalem, ſeu honeſtatem. Quamobrem labia, cibo deglutito, a ſe invicem non ſeparare, niſi ubi cibus ori denuo ingerendus, & id facere ſine ſtrepitu, decorum recte habetur.

§.195.

§. 195.

Indecorũ quid ſit.

Id ex adverſo, quod hominem dedecet, ***Indecorum*** vocabulo unicò appellatur. Dedecet autem, quod diſconvenit cuidam eorum, quæ ipſi inſunt vel ineſſe debent, vel ſi in ſtatu ejus externo continetur aliqua ratio, cur idem potius nolle debeat, quam non nolle.

Exemplum, quod modo dedimus (*not.* §. 194), propoſitionem præſentem illuſtrat. Ceterum quæ de decoro ibidem annotavimus, de indecoro etiam tenenda ſunt. Habemus adeo principium, per quod naturaliter decorum & indecorum facile diſtinguitur ab eo, quod nonniſi hominum opinione tale exiſtimatur.

§. 196.

Decori & Indecori diviſio.

Naturaliter decorum & indecorum dicitur id, quod modo definivimus, quatenus nempe per ea, quæ homini vel natura inſunt, vel vi legis naturalis ineſſe debent, & huic convenientem ejuſdem ſtatum, demonſtrari poteſt, quod ſit decorum vel indecorum. ***Arbitrarium*** vero appellamus, quod nonniſi hominum opinione pro decoro, vel indecoro habetur.

Quoniam hominum opiniones a veritate haud raro aberrant; nemo non videt, fieri poſſe ut pro decoro habeatur, quod naturaliter indecorum eſt, & pro indecoro ex adverſo, quod naturaliter decorum eſt: id quod etiam, ipſi honeſtati accidit. Unde contigit, quod quibuſdam gentium moribus honeſtum fuerit exiſtimatum, quod aliorum moribus inhoneſtum erat. Occurrent exempla ſuo loco, quando perverſas de jure naturali opiniones atro calculo notaturi ſumus.

§. 197.

Quo reſpectu actiones Lege naturali præceptæ vel permiſſæ ſint decoræ.

Omnes actiones Lege naturali præceptæ vel permiſſæ ſunt decoræ, quatenus hominem decent. Etenim actiones lege naturali præceptæ atque permiſſæ rationem ſufficientem, cur eas potius velle quam non velle debeamus, non habent niſi in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura (§. 188 & ſeqq.). Quamobrem cum illæ actiones hominem deceant, quæ rationem in iis, quæ homini inſunt, habent, cur eas potius velle, quam nolle debeat (§. 332 *part. I. Theol. nat.*); actiones omnes lege naturali præceptæ vel permiſſæ hominem decent. Quoniam itaque actio, quæ hominem decet, decora eſt (§. 194); actiones utique omnes lege naturali præceptæ vel permiſſæ decoræ ſunt, quatenus hominem decent.

Facile ex hac propoſitione & aliis, quæ in anterioribus tradidimus, intelligitur unam eandemque actionem dici poſſe bonam, debitam, licitam, honeſtam, decoram; ſed diverſo reſpectu. Nimirum bona eſt actio, quatenus tendit ad perfectionem hominis ejusve ſtatus; debita, quatenus ad eandem obligamur; licita, quatenus ad eam committendam nobis jus eſt; honeſta, quatenus per eam obligationi naturali ſatisfacere volumus; decora denique, quatenus eadem nos decet. Quoniam vulgo diverſi hi reſpectus non ea, qua par eſt, ſollicitudine a ſe invicem ſeparantur; ecquid mirum, quod bonum, debitum, licitum, honeſtum atque decorum multis modis inter ſe confundantur & varia hinc naſcantur de decoro judicia, quæ non ſemper cum veritate conſiſtunt, etſi ad ſpeciem fuerint compoſita, ubi animum ad exempla tantummodo advertis?

§. 198.

Quo reſpectu actiones lege naturali

Omnes actiones lege naturali probibitæ ſunt indecoræ, quatenus hominem dedecent. Etenim lex prohibitiva naturalis, tanquam lex naturæ, in eſſentia atque natura hominis rationem ſufficientem habet (§. 135), conſequenter cum ad certas actiones omittendas nos obliget (§. 163), in iis, quæ

homini

homini natura inſunt, ratio continetur cur eas potius nolle, quam non nolle debeat (§. 129). Quamobrem cum actiones hominem dedeceant, ſi in iis, quæ ipſi inſunt, ratio continetur, cur eas potius nolle, quam non nolle debeat (§. 195); quin actiones lege naturali prohibitæ ipſum dedeceant dubitari nequit. Et quia eatenus actio indecora eſt, quatenus hominem dedecet (§. *cit.*); omnes actiones lege naturali prohibitæ ſunt indecoræ, quatenus hominem dedecent.

prohibitæ ſint indecoræ.

Hinc jam intelligitur, quo reſpectu eadem actio dici poſſit mala, illicita, inhoneſta, indecora. Nimirum mala eſt actio, quatenus nos ſtatumque noſtrum imperfectiores reddit; illicita, quatenus ad eam omittendam obligamur; inhoneſta, quatenus obligationi naturali non ſatisfacimus eam committendo; indecora denique, quatenus ea nos dedecet. Vulgo diverſi hi unius ejuſdemque actionis reſpectus attendi minime ſolent. Quamobrem mirari haud debemus, ſi malum, illicitum, inhoneſtum & indecorum haud raro confundantur, & varia proferantur de indecoro judicia, quæ a veritate aliena ſunt, etſi ſpecie fallant incautos, ubi ex uno alteroque exemplo, certo aliquo reſpectu conſiderato, in genere decernunt.

§. 199.

Quenã actiones hominem maxime deceant.

Actiones rectæ hominem maxime decent, & quæ maxime decent, rectæ ſunt. Actio enim recta in eſſentia, ſeu omnibus determinationibus ſimul ſumtis, indeque pendentibus attributis, rationem ſufficientem habet (§. 64). Quamobrem cum hominem deceat, quod in iis, quæ ipſi inſunt naturaliter, rationem ſufficientem habet (§. 194), adeoque maxime deceant, quæ in omnibus, quæ ipſi naturaliter inſunt, rationem ſufficientem habent; quin actiones rectæ eundem maxime deceant, dubitandum non eſt. *Quod erat primum.*

Quod hominem maxime decet, id in omnibus eſſentialibus ſimul ſumtis rationem ſufficientem habere debet (§. 194), cum per ſe pateat, rationem, quæ datur in aliis, quæ ineſſe debent, non habere rationem ſufficientem niſi in eſſentia ejus, aut eodem modo, quo ſupra evicimus, rationes legales legum naturalium non eſſe rationem ſufficientem (§. 186), ſed tandem in hominis rerumque eſſentiam atque naturam reſolvi (§. 187). Enimvero actiones rectæ ſunt, quæ in omnibus eſſentialibus determinationibus ſeu eſſentia hominis ac pendentibus hinc attributis rationem ſufficientem habent (§. 64). Actiones igitur, quæ hominem maxime decent, rectæ ſunt. *Quod erat alterum.*

Patet itaque, ſi homo agere velit, quæ ipſum maxime decent, eum omnem operam dare debere, ut recte agat, quicquid egerit. Maximi momenti eſt hæc propoſitio in praxi morali & omni praxi reliqua.

§. 200.

Cur minus rectæ actiones hominem dedeceant.

Actiones minus rectæ hominem dedecent. Etenim actiones minus rectæ determinationi cuidam eſſentiali, vel pendenti hinc attributo contradicunt (§. 64), conſequenter per determinationem eſſentialem, vel pendens hinc attributum intelligitur, cur potius eaſdem nolle, quam non nolle debeamus. Quoniam itaque ratio, cur actionem minus rectam nolle potius, quam non nolle debeamus, in eſſentiali quadam determinatione vel pen-

dente

Digitized by Google

dente ab eſſentia attributo continetur (§.56 *Ontol.*), actio autem hominem dedecet, ſi ratio in eſſentia vel pendente hinc attributo continetur, cur eandem nolle potius, quam non nolle debeamus (§. 195); quin actiones minus rectæ dedeceant hominem, dubitandum non eſt.

Patet itaque, ſi homo agere velit, quod ipſum decet, omnem quoque ab eo operam dandam eſſe, ut, quod minus rectum eſt, vitet. Atque hæc propoſitio non minoris momenti eſt, quam præcedens.

§. 201.

Cur actiones rectæ decoræ, minus rectæ indecoræ.

Actiones rectæ ſunt maxime decoræ, minus rectæ autem indecoræ. Etenim actiones rectæ hominem maxime decent (§. 199). Sed decora eſt actio, quæ ipſum decet (§. 194), adeoque maxime decora, quæ decet maxime. Rectæ igitur actiones maxime decoræ ſunt. *Quod erat unum.*

Similiter actiones minus rectæ hominem dedecent (§. 200). Enimvero quæ hominem dedecet actio, indecora eſt (§. 195). Actiones itaque minus rectæ indecoræ ſunt. *Quod erat alterum.*

Nihil difficultatis faceſſere debet, quod vulgo actiones lege naturali præceptæ atque actiones rectæ non dicantur decoræ, nec lege naturali prohibitæ atque minus rectæ vocentur indecoræ: id enim inde eſt, quod communiter, quando de actionibus præceptis atque prohibitis loquimur, animo obverſetur obligatio ad illas committendas, haſce vero omittendas, quemadmodum dum de rectis facimus verba, ad rectitudinem potiſſimum animum advertimus, in neutro autem caſu conſideretur, num hominem deceant, an dedeceant. Sufficit itaque nihil a nobis affirmari, niſi quod ex ipſis decori ac indecori notionibus fluit. In vernacula quod decorum eſt *anſtändig*, quod indecorum *unanſtändig* vocatur: neque infrequens eſt, ut, quod debitum, dicatur *einem anſtändig*, quod illicitum eſt, *einem unanſtändig*, ubi animum huc advertimus, num actio aliqua aliquem deceat, an dedeceat. Nec tamen ideo negatur, quod decorum latius pateat debito, & indecorum latius illicito. Unde uſus loquendi plerumque reſtrictior eſt, ut decora & indecora quædam dicantur in oppoſitione ad debitum & illicitum.

§. 202.

Quomodo demonſtretur, quod actiones in ſe indifferentes ſiant decoræ vel indecoræ.

Actiones, quæ in ſe ſpectatæ indifferentes ſunt, decoræ ſunt, ubi demonſtrari poteſt, quod vi legis naturæ obligatus eas potius velle quam nolle debeat; indecoræ autem, ſi demonſtrari poteſt, quod vi legis naturæ obligatus eas potius nolle, quam velle debeat. Etenim ſi ex lege naturæ demonſtrari poteſt, quod lege naturæ obligatus aliquam actionem, quæ in ſe ſpectata indifferens eſt, potius velle, quam non velle debeat; in obligatione naturali & habitu eidem conformiter agendi continetur ratio actionis iſtius committendæ (§. 56 *Ontol.*). Quamobrem cum naturalis obligatio homini competat per ipſam ejus eſſentiam atque naturam (§. 129), adeoque eidem inſit, habitus vero eidem conformiter agendi, cum ea neceſſaria & immutabilis ſit (§. 130) & neceſſitatem moralem ſic, non aliter agendi imponat (§. 118), ineſſe debeat; ratio actionis committendæ continetur in eo, quod homini per naturam & eſſentiam ineſt, & quod eidem ineſſe debet. Quoniam itaque decora eſt actio, cujus committendæ ratio continetur in eo, quod homini per eſſentiam atque naturam ineſt, & quod eidem ineſſe debet (§. 194); actio, quæ in ſe ſpectata indifferens, decora eſt, ubi demonſtrari poteſt,

quod

quod vi legis naturæ obligatus eam potius velle, quam nolle debeat. *Quod erat primum.*

Similiter ſi demonſtrari poteſt, quod lege naturæ obligatus actionem aliquam, quæ in ſe ſpectata indifferens, nolle potius, quam velle debeat; in obligatione naturali & habitu eidem conformiter agendi continetur ratio actionis iſtius committendæ (*§. 56 Ontol.*). Quamobrem cum per antea demonſtrata obligatio naturalis homini inſit & habitus eidem conformiter agendi ineſſe debeat; ratio actionis non committendæ continetur in eo, quod homini per eſſentiam atque naturam ineſt, & quod eidem ineſſe debet. Quoniam itaque indecora eſt actio, cujus omittendæ ratio continetur in eo, quod homini per eſſentiam atque naturam ineſt, & quod eidem ineſſe debet (§. 195); actio, quæ in ſe ſpectata indifferens, indecora eſt, ubi demonſtrari poteſt, quod vi legis naturæ obligatus eam potius nolle, quam velle debeat. *Quod erat alterum.*

Ecce tibi fontem omnis decori & indecori naturalis in iis actionibus, quæ in ſe ſpectatæ indifferentes ſunt, & in quibus potiſſimum decorum atque indecorum ſpectatur. Ipſa omnium lex naturæ præceptiva & prohibitiva principia demonſtrandi decorum & indecorum naturale ſuppeditat, teſte exemplo ſupra allato (*not.* §. 194).

§. 203.

Lex naturæ nos obligat ad actionem decoram indecoræ præferendam, etſi utraque in ſe ſpectata indifferens ſit. Etenim lex naturæ nos obligat ad determinandum actiones liberas per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales, non vero per diverſas (§. 154). Quodſi actio, quæ in ſe ſpectata indifferens eſt, decora eſt; demonſtrari poteſt, quod vi legis naturæ obligatus eam potius velle, quam nolle debeat: ſi vero actio, quæ in ſe ſpectata indifferens, indecora eſt; demonſtrari poteſt, quod eam potius nolle, quam velle debeat, vi legis naturæ obligatus (§. 202), adeoque determinatio actionis, ad quam committendam obligamur lege naturali, influit in determinationem actionis decoræ, conſequenter & hæc ipſa per easdem rationes finales tandem determinatur, per quas determinantur naturales, & ex adverſo determinatio actionis, ad quam omittendam obligamur lege naturali, influit in determinationem actionis indecoræ, conſequenter & hæc ipſa per diverſas tandem rationes finales determinatur, quam per quas naturales determinantur. Patet itaque legem naturæ nos obligare ad actionem decoram indecoræ præferendam, ubi utraque in ſe ſpectata fuerit indifferens. *Obligatio naturalis ad decorum.*

Nemo in demonſtratione quidpiam deſideret quoad evidentiam, modo methodi demonſtrativæ fuerit peritus, ut veritatum a ſe invicem dependentium dependentiam a primis principiis habuerit perſpectam, atque adeo noverit veritatem a primis principiis quantocunque intervallo diſtantem nonniſi in iiſdem rationem ſufficientem habere, conſequenter primis poſitis principiis una poni. Qui methodi demonſtrativæ vim nondum ita percepit, ut, quæ diximus, perſpicere valeat; ei lucem aliquam affundere poteſt reſolutio demonſtrationis in ſua principia alibi tradita (§. 992 *Log.*).

Digitized by Google

§. 204.

Lex naturalis decori.

Datur lex naturalis decori. Quoniam actiones omnes lege naturali præceptæ vel permiſſæ ſunt decoræ, quatenus hominem decent (§. 197) & actiones omnes lege naturali prohibitæ ſunt indecoræ (§. 198), præterea actiones rectæ omnium maxime decoræ ſunt, minus rectæ autem indecoræ (§. 201), & ad illas committendas, has vero omittendas lex naturæ nos obligat (§. 189); de actionibus decoris, quæ ſimul debitæ, aut permiſſæ, & quæ rectæ ſunt, atque indecoris, quæ ſimul illicitæ vel minus rectæ ſunt, nullum ſupereſt dubium, quin ſub lege naturali comprehendantur. Reſtat igitur, ut idem oſtendatur de actionibus decoris & indecoris, quæ in ſe ſpectatæ indifferentes ſunt. Quoniam in caſu emergente demonſtrari poteſt, quod vi legis naturæ obligatus illas potius velle, quam nolle, has potius nolle, quam velle debeat (§. 202); rationi conformiter determinari poſſunt. Quamobrem cum propoſitio determinationem rationi conformem enuntians regula ſit (§. 475 *Ontol.*); dantur regulæ de decoro & indecoro, quæ cum ipſa lege naturæ, adeoque hominis eſſentia atque natura ponuntur (§. 136), conſequenter nonniſi in hac rationem ſufficientem agnoſcunt (§. 118 *Ontol.*). Et quoniam ad decoras indecoris in hac actionum genere præferendas obligamur (§. 203); regulæ dantur decori & indecori in eſſentia & natura hominis nonniſi rationem ſufficientem habentes, juxta quas actiones, quæ in ſe ſpectatæ indifferentes ſunt, determinare obligamur. Quoniam itaque regula, juxta quam actiones noſtras determinare obligamur, lex eſt (§. 131), & quidem lex naturæ, ubi rationem ſufficientem nonniſi in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura agnoſcit (§. 135); ideo patet, etiam in eo caſu, ubi actiones decoræ ac indecoræ in ſe ſpectatæ indifferentes ſunt, dari legem naturalem decori.

Legi adeo naturali omnem tribuimus amplitudinem, quam habere poteſt, dum moralitatem intrinſecam etiam extendimus ad actiones in ſe quidem indifferentes, propter determinationes tamen accidentales in bonas vel malas abeuntes (§. 61), & obligationem naturalem ad actionum rectitudinem (§. 189) atque decorum (§. 203). Fecimus autem hoc, non invita notione legis naturalis atque obligationis, quæ ex ea venit. Hinc igitur patet, quam ampla ſit obligatio naturalis, qua tenemur ad id, quod debitum, rectum & decorum eſt, faciendum: ad id vero, quod illicitum, minus rectum atque indecorum eſt, fugiendum. Non igitur piget propoſitionem ſequentem addere, ut idem clarius eluceſcat.

§. 205.

Legis naturalis amplitudo.

Lex naturæ præſcribit facienda, quæ bona, honeſta, licita, recta & decora ſunt; atque non facienda, quæ mala, inhoneſta, illicita, minus recta & indecora ſunt. Etenim lex naturæ nos obligat ad actiones intrinſece bonas committendas (§. 153), ita ut etiam, quod melius, præferre teneamur (§. 192), & jus dat ad faciendum, quod licitum eſt (§. 170), obligat ad patrandas actiones honeſtas (§. 171), rectas (§. 189), & decoras (§. 203).

Lex

Digitized by Google

Lex igitur naturæ facienda præſcribit, quæ bona, honeſta, licita, recta & decora ſunt. *Quod erat unum.*

Similiter lex naturæ nos obligat ad omittendas actiones intrinſece malas (§. 153), atque adeo etiam ad non faciendum, quod illicitum (§. 170) & inhoneſtum (§. 171). Obligat etiam ad non committendas minus rectas (§. 189. 190), atque indecoras (§. 203). Præſcribit igitur non facienda, quæ mala, illicita, inhoneſta, minus recta, atque indecora ſunt. *Quod erat alterum.*

Quamvis autem obligationem naturalem extendamus ultra terminos, quibus vulgo coercetur; non tamen in quolibet actionum genere eundem admittimus gradum. Etſi enim quemadmodum veritas omnis neceſſaria & immutabilis, ſi logice conſideretur, ita ut poſita notione ſubjecti ſufficienter determinata impoſſibile ſit non poni prædicatum; ita etiam ſingulæ leges naturales de quibuſcunque actionibus immutabilis ſint veritatis: non tamen ideo ſequitur, quod transgreſſio legis cujuſcunque eodem habenda ſit loco, & quæ vulgo de transgreſſione legis naturalis præceptivæ ac prohibitivæ dicuntur, valeant etiam de transgreſſione legis perfectivæ vel etiam legis decori. Hæc ideo monemus, ne quis argumenta inde petat contra extenſionem legis naturalis, quæ maximæ utilitatis eſt, ubi certam actionum humanarum theoriam methodo demonſtrativa tradere voluerimus. Ceterum ex præſente propoſitione non modo intelligitur, de quibuſnam actionibus in Jure Naturæ ac Gentium ſit agendum, ſiquidem theoriam completam deſideres; verum etiam quænam homini circa unamquamque actionem conſiderari debeant, ne quid in eadem deprehendatur, quod recte reprehendi poſſit. Nemo miretur, quod nulla hic fiat juſti & injuſti mentio, etſi enim hoc latiſſime pateat, ſuo tamen videbimus loco æquum & iniquum, juſtum & injuſtum tanquam ſpecies ſub debito atque illicito contineri, ita ut æquum ac juſtum ad legem præceptivam, iniquum & injuſtum ad legem prohibitivam ſpectet. De eo igitur dicemus ſuo loco.

§. 206.

Legum naturalium colliſio.

Si in caſu emergente pluribus legibus naturalibus ſimul ſatisfieri nequit, eæ inter ſe colliduntur. Etenim leges naturales ſunt regulæ (§. 131). Sed ſi in caſu emergente regulæ ſibi mutuo repugnant, ut iiſdem ſimul ſatisfieri nequeat; inter ſe colliduntur (§. 510 *Ontol.*). Ergo ſi in caſu emergente duabus legibus naturalibus ſimul ſatisfieri nequit, inter ſe eædem colliduntur.

Principium hoc non minus uſui eſt in demonſtranda theoria, quam in praxi; & definitionis colliſionis locum tuetur, cum etiam converſa manifeſta ſit.

§. 207.

Exceptio quando facienda.

Quoniam itaque regularum colliſio exceptionem parit (§. 510 *Ontol.*); etiam *legum naturalium colliſio exceptionem parit*, uni nimirum ſatisfaciendo, minime autem alteri (§. 206).

Quomodo fieri debeat exceptio, nunc exponendum, quantum theoria generalis permittit.

§. 208.

Quænam lex in exceptione vincere, quænam cedere, dicatur.

Quando fit exceptio, *lex* ea *vincere* dicitur, cui ſatisfaciendum; *alteri* autem *cedere* dicitur ea, cui minime ſatisfieri poteſt.

Hiſce dictionibus habemus opus, ut mentem noſtram breviter exprimere liceat.

§. 209.

Nullitas obligationis

Nemo obligatur ad impoſſibile. Ponamus enim, ſi fieri poteſt, nos ad impoſſibilia obligari. Quoniam obligatio eſt neceſſitas moralis agendi

in impoſſibilibus.

(§. 118); moraliter neceſſe erit, ut homo faciat impoſſibilia. Enimvero cum impoſſibile exiſtere nequeat (§. 132 *Ontol.*), adeoque nec ab homine fieri queat; nemo etiam ad impoſſibile obligatur.

Poteramus hoc ſumere abſque probatione, cum nullum habeat effectum, adeoque abſurda ſit obligatio, quæ ad impoſſibile obligat, hoc eſt, ad faciendum, quod fieri nequit.

§. 210.

Quomodo exceptio facienda in colliſione legis præceptivæ & prohibitivæ.

Si lex præceptiva & prohibitiva inter ſe colliduntur; prohibitiva vincit præceptivam. Etenim ſi lex præceptiva & prohibitiva inter ſe colliduntur, utrique ſimul ſatisfieri nequit (§. 206), adeoque vel faciendum, ad quod lex prohibitiva omittendum nos obligat (§. 163), aut omittendum, ad quod faciendum nos obligat lex præceptiva (§. 164). Quoniam obligatio eſt neceſſitas moralis agendi vel non agendi (§. 118); moraliter neceſſe eſt, ut non faciamus, ad quod omittendum nos obligat lex prohibitiva, conſequenter ubi ſimul facere non poſſumus, ad quod faciendum lege præceptiva obligamur, pro impoſſibili habendum, ut in caſu colliſionis legis præceptivæ ac prohibitivæ hoc faciamus. Quamobrem cum ad impoſſibile non obligemur (§. 209); nulla quoque in dato caſu obligatio cenſenda eſt legis præceptivæ. Satisfaciendum itaque obligationi legis prohibitivæ. Enimvero vincit ea lex alteram, cui ſatisfaciendum, quando fieri debet exceptio (§. 208). Lex adeo prohibitiva vincit præceptivam, ſi prohibitiva & præceptiva inter ſe colliduntur, ſeu quod perinde eſt, quando facienda exceptio.

Patet etiam hoc modo. In caſu colliſionis legum ſatisfacturus legi præceptivæ facit contra legem prohibitivam, ſatisfacturus autem prohibitivæ non facit contra præceptivam, ſed tantummodo omittit actionem huic conformem, quod fieri non poſſit, ut eam committat, niſi contra legem agere velit (§. 206). Unde nemo non videt, præſertim ob neceſſitatem & immutabilitatem obligationis naturalis (§. 142), ſatisfaciendum eſſe obligationi legis prohibitivæ, adeoque porro ut ante patet, in colliſione legis præceptivæ & prohibitivæ vincere prohibitivam.

Lex præceptiva nos obligat ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri promovendam, prohibitiva vero ad non promovendam imperfectionem (§. 152). Quodſi hæ leges inter ſe collidantur, imperfectionem tuam promovebis, dum perfectionem promovere intendis. Unde quivis facile animadvertet, obligationem legis præceptivæ per prohibitivam tolli. In caſu particulari hoc multo luculentius patebit ſuo tempore.

§. 211.

Quomodo exceptio facienda in colliſione legis præceptivæ vel prohibi-

Si lex præceptiva vel prohibitiva atque permiſſiva inter ſe colliduntur, permiſſiva cedit præceptivæ ac prohibitivæ. Etenim lex præceptiva & prohibitiva nos obligant ad aliquid faciendum, vel non faciendum (§. 164. 163); lex vero permiſſiva ad agendum vel non agendum non obligat, ſed tantum jus dat (§. 165). Quoniam obligatio eſt neceſſitas moralis agendi vel non agendi (§. 118), jus autem nonniſi facultas eſt agendi & non agendi moralis (§. 156); ut obligationi præſertim naturali, quæ eſt legis naturalis

(§. 141),

Digitized by Google

(§. 141), neceſſariæ ac immutabili (§. 142), ſatisfacias moraliter neceſſe eſt; non vero neceſſe eſt, ut agas, quod jure alias agere potes, ſed tantummodo moraliter poſſibile eſt, ut hoc agas. Enimvero quoniam lex præceptiva vel prohibitiva colliditur cum lege permiſſiva *per hypoth.* jure lege permiſſiva conceſſo uti non potes, niſi facias contra obligationem naturalem (§. 206). Quoniam itaque moraliter poſſibile cenſeri nequit, quod omitti nequit, niſi omittatur, quod fieri moraliter neceſſe eſt, vel quod non committitur, niſi committatur, quod non fieri moraliter neceſſe eſt; jus quoque lege permiſſiva alias conceſſum in caſu colliſionis legum erit nullum, conſequenter obligationi legis præceptivæ, vel prohibitivæ ſatisfaciendum. Cum ea itaque lex vincat, cui ſatisfaciendum, cedat autem, cui minime ſatisfieri poteſt (§. 208); lex præceptiva & prohibitiva vincunt permiſſivam, ſeu permiſſiva præceptivæ ac prohibitivæ cedit.

tivæ ac permiſſivæ.

Sane lex naturæ non dat jus niſi ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 169). Quamobrem cum in caſu emergente jus alias conceſſum impediret, quo minus eidem ſatisfieret; in eodem quoque ipſum non dare intelligitur, ut adeo hic caſus exceptus intelligatur.

§. 212.

Leges prohibitivæ nunquam inter ſe colliduntur. Etenim leges prohibitivæ obligant ad aliquid non agendum (§. 163). Per ſe autem patet, fieri utique poſſe, ut, dum unum agere non velis, aliud ſimul non agas. Omni adeo legi prohibitivæ ſemper ſatisfieri minime repugnat. Quamobrem cum leges inter ſe non collidantur, niſi quando in caſu emergente pluribus ſimul ſatisfieri nequit (§. 206); leges quoque prohibitivæ nunquam inter ſe colliduntur.

Legum prohibitivarum colliſio nulla.

Nulla igitur quæſtio eſt, quænam lex prohibitiva alteram vincat, vel quænam alteri cedat (§. 208).

§. 213.

Si Leges præceptivæ inter ſe colliduntur, quæ ad melius obligat, ea vincit. Etenim leges præceptivæ obligant ad aliquid agendum (§. 164). Quando vero colliduntur inter ſeſe, impoſſibile eſt, ut iis ſimul ſatisfiat (§. 206), atque ideo exceptione opus eſt (§. 207). Quoniam itaque lex naturæ etiam nos obligat ad id, quod altero melius eſt, eidem præferendum (§. 192); ſatisfaciendum erit legi, quæ ad id, quod melius eſt, obligat. Lex ea vincit alteram, cui ſatisfaciendum in colliſionis caſu (§. 208). Quamobrem in caſu colliſionis legum præceptivarum ea, quæ ad melius obligat, vincit.

Quomodo exceptio facienda in colliſione Legū præceptivarum.

Lex naturæ nos obligat ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri promovendam (§. 167). Perfectio hominis non modo pro diverſitate animæ, corporis, ſtatuſque noſtri externi, verum etiam pro varietate facultatum animæ ac diverſitate organorum corporis eorumque, quæ ad ſtatum externum referuntur, variat & in plures partiales reſolvitur. Hæ igitur ſingulæ non ſunt ejuſdem gradus; ſed altera altera major eſt. Non igitur dubitandum eſt, quin major præferenda ſit minori, tanquam majus bonum bono minori, per ipſam voluntatis naturam (§. 898 *Pſychol. empir.*). Patebit autem ſuo loco, quodnam melius ſit, dijudicandum quoque eſſe reſpectu ſubjecti agentis: neque enim ſemper, quod in ſe ſpectatum melius,

idem

Digitized by Google

idem quoque melius cenſeri debet reſpectu agentis. Hæc ideo monemus, ne quis in applicando principio a veri tramite aberret.

§. 214.

Quid fieri debeat, ſi in caſu colliſionis leges præceptivæ obligent ad æque bona.

Si leges præceptivæ inter ſe colliduntur, & ea, ad quæ utraque obligat, æque ſunt bona, nec unum altero melius; lege naturali nobis permiſſum eſt ſatisfacere, cuilubet, recurrendo ad rationes extrinſecas. Etenim ſi leges præceptivæ, quæ inter ſe colliduntur, obligent ad ea, quæ æque bona ſunt; ex ipſis nulla dari poteſt ratio, cur uni potius ſatisfaciendum ſit, quam alteri, ſed perinde omnino eſt, cui earum ſatisfacias. Quoniam itaque per legem naturæ definiri nequit, quænam legum alteri ſit præferenda; eadem nobis permiſſum eſt, quamnam præferre velimus. Enimvero ea eſt natura voluntatis noſtræ, ut, ſi ex pluribus objectis appetibilibus unum eligendum, nulla vero adſit ratio intrinſeca, cur unum alteri præferatur, ratio extrinſeca qualiſcunque ſufficiat, ad unum alteri præferendum (§. 899 *Pſychol. empir*); recurrendum igitur hic eſt ad rationes extrinſecas.

Rationes extrinſecæ cum variæ haud raro eſſe poſſint, non ſemper æquipollentes deprehenduntur, ubi eas ad rectitudinem actionis retuleris. Unde qui acumine utitur, cum lex naturæ nos quoque obliget ad actionum rectitudinem (§. 189), facile perſpiciet, num in rationibus extrinſecis definiendis aliqua adhuc vis ſit legis naturalis. In hoc autem caſu actiones non ſunt æque bonæ, ſed ea, quæ nullum patitur rectitudinis defectum, melior utique altera, quæ a rectitudine vel tantillo deficit. Quamobrem is ad propoſitionem præſentem minime ſpectat, ſed ad præcedentem potius referendus. Abſit ut quis ſuſpicetur, fingi ſubtilitates, quæ nulli ſunt futuræ uſui! Sit enim ita, quod vulgo earum nulla habeatur ratio; ſit ita, quod contemnantur a nonnullis, tanquam antea non cogitata: nemo tamen negare auſit, quod laudem mereatur, qui tanta animi ſollicitudine agit, ut ne in minimis cenſuram ex veritate judicantium incurrere velit, ac ii, quibus veritatem non in aprico poſitam perſpicere datum eſt, quæ modo diximus, eidem conſentanea agnoſcere debeant.

§. 215.

Quomodo exceptio facienda in colliſione legis decori & alterius legis præceptivæ vel probibitivæ.

Si lex decori & alia quædam lex præceptiva vel probibitiva inter ſe colliduntur; lex præceptiva & probibitiva vincunt. Etenim lex naturæ decori nos obligat ad actionem decoram indecoræ præferendam, ſi utraque in ſe indifferens eſt (§. 203. 204); lex vero præceptiva nos obligat ad actiones intrinſece bonas committendas (§. 153. 164), prohibitiva vero ad intrinſece malas omittendas (§. 153. 163). Quoniam lex prohibitiva in caſu colliſionis vincit præceptivam (§. 210); multo magis patet, quod vincere debeat legem decori. *Quod erat unum.*

Enimvero nemo non ultro concedet, majorem eſſe obligationem ad committendam actionem intrinſece bonam, quam ad actionem, quæ in ſe ſpectata indifferens eſt, quatenus vero agentem decet, decora (§ 194), cum & ipſæ lege naturali præceptæ, adeoque intrinſece bonæ (§. 153. 164), ſint decoræ (§. 197). In caſu itaque colliſionis legis præceptivæ atque legis decori ſatisfaciendum eſt legi præceptivæ potius, quam legi decori. Quamobrem cum lex vincat, cui ſatisfaciendum (§. 208); in colliſione legis decori & alterius legis præceptivæ lex præceptiva vincit. *Quod erat alterum.*

Nemo

Nemo eſt, qui neſciat, decori, etiam nonniſi opinione hominum talis, vulgo magis rationem haberi, quam honeſti, etiam extra caſum colliſionis. Quamobrem judicatu haud difficile eſt, quod multo magis ii, qui his moribus præditi ſunt, in caſu colliſionis prælaturi ſint decorum honeſto, etiamſi nonniſi opinione hominum tale ſit. Neminem igitur fore exiſtimo, qui principii hujus inutilitatem accuſet. Si quis vero fuerit, qui hoc fecerit; ejus judicium tanquam temerarium merito contemnendum. Propoſitum nobis eſt theoriam actionum humanarum atque juris omnis naturalis tradere, quantum datur, exaſciatam, adeoque nihil omittendum, quod ad eam quomodocunque ſpectare poſſit.

§. 216.

Si decorum & indecorum inter ſe colliduntur; indecorum vincit decorum. Si decorum & indecorum inter ſe colliduntur; aut omittenda eſt aliqua actio decora, aut committenda indecora (§. 206. 207). Quoniam datur lex naturæ decori (§. 204) & ea nos obligat ad actiones decoras committendas, indecoras vero omittendas (§. 203); lex decori nos obligans ad decoras actiones committendas præceptiva eſt (§. 164), quæ vero nos obligat ad actiones indecoras omittendas, prohibitiva eſt (§. 163), conſequenter ſi decorum & indecorum inter ſe colliduntur, lex prohibitiva quædam naturalis & præceptiva inter ſe colliduntur. Enimvero ſi lex præceptiva & prohibitiva inter ſe colliduntur, prohibitiva vincit præceptivam (§. 210). Ergo etiam indecorum vincit decorum.

Quomodo facienda exceptio in colliſione decori & indecori.

Poteramus demonſtrationem, qua evicimus, in caſu colliſionis legem prohibitivam vincere præceptivam, integram ad propoſitionem præſentem transferre, niſi eam ad ſuperiorem reducere maluiſſemus, ne eadem demonſtratio bis ſit repetenda. Si quis tamen id facere velit, veritatem propoſitionis præſentis clarius perſpiciet. Neminem fore arbitror, qui propoſitionem præſentem perverſe interpretetur, quaſi velimus ut quis potius faciat quod indecorum eſt, quam quod decorum: neque enim hunc ſenſum ferunt verba, ſi per definitionem paulo ante traditam (§. 208) explicentur. Non tamen erit, qui nobis vitio vertet talia moneri, modo noverit, quam inſulſa proferant, qui in noſtris traducendis & conviciandis laudem quærunt. Sane non nemo nobis nuperrime imputavit, nos pro impoſſibili habere, ut homo unus contradicat alteri, contra quotidianam experientiam, quod pervulgatam definitionem impoſſibilis retinuerimus, qua dicitur id, quod contradictionem involvit. Ita negantes viros profundi acuminis appellare non erubeſcit ſolidioris cognitionis juratus ille hoſtis, ad quos in cauſa deſperata provocat nube teſtium contra veritatem manifeſtam triumphaturus.

§. 217.

Duæ leges prohibitivæ indecori inter ſe collidi nequeunt. Oſtenditur eodem modo, quo paulo ante evicimus, leges naturæ prohibitivas inter ſe collidi minime poſſe (§. 212).

Nimirum ex ipſa notione legis prohibitivæ, qualiſcunque tandem illa ſit, ſequitur, legum prohibitivarum colliſionem eſſe nullam.

Legum indecori prohibitivarum colliſio nulla.

§. 218.

Si duæ leges præceptivæ decori inter ſe colliduntur; ea vincit, quæ magis decorum præcipit. Quoniam ipſa lex naturæ nos obligat ad actiones decoras committendas (§. 203); magis quoque nos obligat ad eas, quæ ſunt magis decoræ, quam ad eas, quæ minus decoræ ſunt. Quamobrem cum in colliſione legum præceptivarum decori utrique ſatisfieri non poſſit (§. 206), ſed aut faciendum ſit, quod magis decorum eſt, aut quod

Quomodo facienda exceptio in colliſione legum decori

minus

præceptivarũ.

minus decorum eſt; faciendum utique erit, quod magis eſt decorum. Vincit igitur lex, quæ magis decorum præcipit (§. 208).

Eodem modo hic ſeſe res habet, quo in caſu colliſionis duarum legum naturæ præceptivarum aliarum (§. 213).

§. 219.

Quomodo exceptio fiat in colliſione legis poſitivæ & naturalis.

Si lex poſitiva & naturalis, ſive præceptiva, ſive prohibitiva inter ſe colliduntur; naturalis ſemper vincit poſitivam. Si enim lex poſitiva & naturalis inter ſe colliduntur, utrique ſimul ſatisfieri nequit (§. 206), adeoque ſatisfaciendo naturali fieri debet, quod eſt contra poſitivam, aut ſatisfaciendo poſitivæ fieri debet, quod eſt contra naturalem. Enimvero lex poſitiva nos obligare nequit ad ea, quæ legi naturali repugnant (§. 151). Quamobrem legi poſitivæ ſatisfaciendum non eſt, ſiquidem id fieri nequit, niſi facias quod legi naturali adverſum. In caſu itaque colliſionis legis poſitivæ ac naturalis ſatisfaciendum eſt naturali. Quoniam itaque lex vincit, cui ſatisfaciendum (§. 108); lex naturalis in caſu colliſionis vincit poſitivam.

Generaliter cum veritas propoſitionis præſentis fuerit evicta, non minus de lege poſitiva divina, quam humana intelligenda venit. Eam ſane probavit ipſe Chriſtus *Luc. XIV.* 1 *& ſeqq.* cum hominem hydrope laborantem die Sabbathi ſanaret. Etenim lex divina poſitiva prohibebat, ne opus ullum facerent die Sabbathi, & lex naturæ præceptiva urget opem ægroto ferendam, veluti ut ſanitati reſtituatur. Ægroto opem ferre non licebat, niſi actione edita die Sabbathi, quæ ad cultum divinum minime ſpectabat, adeoque ſatisfaciendo legi naturali faciendum erat, quod erat contra legem poſitivam divinam. Collidebantur itaque inter ſe lex naturalis & lex poſitiva divina. Chriſtus judicavit ſatisfieri debere legi naturali, conſequenter ipſo judice lex naturalis poſitivam divinam vincit. Nimirum etſi lex poſitiva divina non per ſe repugnet legi naturali, quemadmodum in humanis accidere poteſt, adeoque non collidantur inter ſe lex divina poſitiva & naturalis in caſu omni, fieri tamen poteſt, ut inter ſe collidantur in caſu quodam emergente, atque hic caſus exceptus intelligitur. Notandum vero principia de colliſione legum ac inde oriunda exceptione eſſe fœcundiſſima non ſolum in praxi, verum etiam in theoria, cum iiſdem uſuri ſimus in demonſtranda juris naturalis theoria. Dabimus ſuo loco exempla etiam in Jure Romano, ut eorundem in civili quoque jure pateat utilitas. Præter ea autem, quæ hactenus demonſtravimus, dantur adhuc alia; ſed quæ ex hactenus traditis nondum demonſtrari poſſunt, ſuo loco demonſtranda. Ceterum tenendum eſt, quoties legem naturalem prohibitivam vel præceptivam ſimpliciter dicimus, nos ſemper intelligere eam, quæ actionem intrinſece malam prohibet, vel intrinſece bonam præcipit, ne quis laxiorem interpretationem adhibeat, quam ferunt demonſtrationes propoſitionum.

§. 220.

Indigentia hominum.

Nemo hominum ſolus ſe, ſtatumque ſuum perficere poteſt; ſed unuſquiſque aliorum indiget auxilio, nec niſi conjunctis viribus perfectio iſta obtineri poteſt. Patet hoc a poſteriori, modo ad ea, quæ experientia ſuggerit, animum advertere velis, & in rebus facti ad experientiam provocare ſufficit (§. 665 *Log.*). Quodſi tamen attentionem tuam ad ea excitari volueris; cogites velim exemplum hominis inter bruta educati, quale refert *Connor*, Medicus Anglus, in *Evangelio Medici* art. 15. p. m. 133. 134 de puero 10 annorum circiter nato & inter gregem urſorum in nemoribus ad Lithuaniæ & Ruſſiæ confinia ſitis capto, inter eos dubio procul etiam educato. Erat is

pilis

Digitized by Google

pilis hirſutus, neque rationis, neque loquelæ, neque vocis humanæ uſu gaudebat, pedibus & manibus inſtar quadrupedis incedebat, nihil cum homine commune habens præter externam nudi corporis figuram, donec poſt longum tempus cicoratus pedibus ſtare edoctus, levatis contra murum manibus, & dapibus humanis paulatim aſſuefactus verba quædam rauca & inhumana voce proferre cœpit; interrogatus autem de Sylveſtris vitæ curſu non magis recordabatur, quam nos meminimus eorum, quæ acta ſunt, quando in incunabulis vagivimus. Patet adeo hominem extra conſortium aliorum hominum a prima infantia educatum & aliorum ope ac auxilio deſtitutum brutorum vivere vitam, nec differre a brutis niſi externa corporis forma, qua etiam brutum unum differt ab altero alterius ſpeciei, nec quicquam ipſi prodeſſe animam rationalem, nec diſpoſitiones naturales, quæ corpori inſunt, quicquam eundem juvare. Unde porro liquet, nihil eum acquirere ejus perfectionis, cujus homo quoad animam, quoad corpus, quoad ſtatum externum capax eſt. Ecquis ergo dubitet, quod nemo hominum ſolus, aliorum ope ac auxilio prorſus deſtitutus, ſe ſtatumque ſuum perficere poſſit, conſequenter eam, quæ in ipſum ſtatumque ejuſdem cadit, & qua bruta omnia antecellit, perfectionem a nullo hominum obtineri poſſe, niſi conjunctis viribus eandem acquirere ſtudeant?

Nemo ſibi perſuadeat, argumentum a ſingulari ad univerſale peti. Quodſi enim quæſiveris, quænam fuerit ratio, cur puer iſte inter urſos educatus & inter ipſos degens uſu facultatum animæ ſuperiorum ac loquelæ caruerit, nec eum fecerit membrorum corporis externorum uſum, quem faciunt homines omnes; ratio non quærenda eſt in ipſo, quaſi anima atque corpus ejus ab anima & corpore aliorum hominum diverſa fuiſſent, ſed utique in hoc ſolo, quod aliorum hominum conſortio, ope ac auxilio prorſus fuerit deſtitutus. Secus enim fieri minime potuiſſet, ut inter homines vitam degens ea conſecutus fuiſſet, quæ in infantia ac pueritia ſtatim conſequuntur homines alii, aliorum conſortio, ope ac auxilio utentes. Quamobrem cum poſita ratione ſufficiente ponatur etiam id, quod per eam potius eſt, quam non eſt (§. 118 *Ontol.*); neceſſe omnino eſt, ut homo quilibet inter bruta educatus, quamdiu inter ea vitam degit, a brutis non differat niſi ſola corporis externa figura, nullo prorſus exiſtente facultatum animæ ſuperiorum uſu, ac deficiente uſu membrorum corporis externorum, quem homines facere videmus.

§. 221.

Obligatio communis hominum ad mutua auxilia.

Homines per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligantur ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui conjunctis viribus promovendam. Etenim unuſquiſque homo per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligatur ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui tendunt (§. 128), ſeu quod perinde eſt, ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui promovendam. Enimvero nemo hominum ſolus ſe ſtatumque ſuum perficere poteſt, ſed unuſquiſque aliorum indiget auxilio, nec niſi conjunctis viribus perfectio iſta obtineri poteſt (§. 220). Quamobrem neceſſe eſt, homines obligari ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui conjunctis viribus promovendam. Et quia ea eſt hominis eſſentia & natura, ut perfectio, quæ in ipſum ſtatumque ejus tendit, obtineri nequeat niſi conjunctis viribus (*not.* §. *cit.*); evidens

Digitized by Google

eſt, quod per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligentur homines ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui conjunctis viribus promovendam.

Nimirum niſi admittere velis unumquemque alteri in promovenda perfectione ipſius ſtatuſque ejuſdem opem, qua indiget (§ 220), ferre debere; nullus erit ad perfectionem propriam promovendam obligationis effectus. Ecquis ergo, cum obligatio ſit neceſſitas moralis agendi (§. 118), affirmaverit, moraliter neceſſe eſſe, ut unuſquiſque perfectionem ſuam ſtatuſque ſui promoveat, non vero æque neceſſe eſſe, ut promoveat perfectionem alterius ſtatuſque alieni, ſed unumquemque ſui tantummodo rationem habere debere, non vero alterius? Id enim perinde erit, ac ſi quis contradictoria aſſerere vellet. Noſtra nimirum perfectio cum perfectione aliorum adeo arcto nexu cohæret, ut neutra ab altera ſeparari poſſit. Obligatio igitur ad perfectionem propriam & obligatio ad alienam promovendam pari paſſu ambulant, imo, ſi quod verum fatendum, non ſunt niſi una eademque obligatio. Quare ſi illam demonſtraveris, eo ipſo hæc quoque demonſtrata fuit.

§. 222.

Obligatio naturalis erga alios.

Unuſquiſque hominum ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius conferre obligatur per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam, quantum conferre valet. Etenim homines in univerſum omnes per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam conjunctis viribus perfectionem ſuam ſtatuſque ſui promovere obligantur (§. 221). Quamobrem cum nemo obligetur ad id, quod impoſſibile (§. 209); unuſquiſque hominum ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius conferre obligatur per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam, quantum conferre valet.

Non ſpectanda hic eſt æqualitas, ut, quantum unus confert ad perfectionem alterius ſtatuſque ejuſdem, tantundem quoque ad ipſius perfectionem ſtatuſque ejuſdem conferat alter: id enim impoſſibile. Neque enim omnium æquales ſunt ad hoc præſtandum vires. Qui adeo multum præſtare valet, is etiam ad multum præſtandum obligatur: qui vero parum poteſt, ad parum quoque præſtandum obligatur. Satisfacit unuſquiſque obligationi ſuæ naturali, ſi facit quantum poteſt.

§. 223.

Lex naturæ de iis, ad quæ aliis obligamur.

Studium promovendi aliorum perfectionem pro virili eſt lege naturali præceptum. Quilibet enim ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius tantundem conferre obligatur per ipſam naturam atque eſſentiam ſuam, quantum conferre valet (§. 222). Quamobrem cum naturalis ſit obligatio, quæ cum ipſa hominis eſſentia atque natura ponitur (§. 129); obligatio ad ſtudium aliorum perfectionem pro virili promovendi naturalis eſt. Et quia obligatio naturalis a lege naturæ venit (§. 144), lex vero præceptiva eſt, quæ ad aliquid agendum nos obligat (§. 164); ſtudium promovendi aliorum perfectionem pro virili eſt legis naturalis præceptivæ, ſeu a lege præceptum.

Diſcimus hinc ea, quæ debemus naturaliter aliis, ex eodem principio ſequi, ex quo deducuntur ea, quæ nobiſmetipſis debemus. Natura enim unumquemque hominem ita commendavit ſibi, ut hac commendatione eidem ſimul commendaverit quemvis hominem alium. Atque hæc probe attendenda veniunt, ut de eo, quod aliis debemus, rectius ſentiamus.

§. 224.

Officium quid dicatur.

Officium dicitur actio juxta legem determinata, quatenus ad eam ita determinandam obligamur.

Nimi-

Digitized by Google

Nimirum in appellatione officii potiſſimum habetur ratio obligationis, etſi fieri non poſſit, quin etiam ratio habeatur convenientiæ actionis cum lege, utpote ab obligatione inſeparabilis.

§. 225.

Officium naturale quid ſit.

Hinc *Officium naturale* vocatur actio, juxta legem naturalem præceptivam & prohibitivam determinata. Brevitatis tamen gratia officium ſimpliciter dicemus, ubi patet non de alia lege, quam naturali ſermonem eſſ.

Nimirum intelligimus hic actiones non minus privativas, quam poſitivas; ſeu facta tam omiſſionis, quam commiſſionis (§. 24).

§. 226.

Officioru͂ diviſio.

Officium erga ſeipſum nuncupatur, quod homo ſibimetipſi debet: *Officium* vero *erga alios*, quod debetur aliis: *Officium* denique *erga Deum*, quod debemus Deo.

Dari officia erga ſeipſum & erga alios ex anterioribus liquet (§. 167. 168. 222. 223). Dari vero officia erga Deum non modo ex iis intelligitur, quæ in Theologia naturali fuere demonſtrata (§. 918. 919 *part. I. Theol. nat.*); verum etiam in ſequentibus oſtendetur. Imo conſtabit adeo arctum eſſe nexum inter officia erga Deum, & officia erga ſeipſum atque alios, ut horum nullum rectum dici queas, ſi ab illo ſeparetur.

§. 227.

Officii in poſitivu͂ & privativum diviſio.

Officium poſitivum eſt, quod in committendo conſiſtit: *privativum* vero, quod conſiſtit in omittendo. Nimirum illud actio eſt, ad quam committendam; hoc vero actio, ad quam omittendam obligamur, ut adeo *officia poſitiva lege præceptiva* (§. 164), *privativa* vero *lege probibitiva contineantur* (§. 163).

Valent hæc de officiis omnibus, tam naturalibus, quam ceteris, quæ pro diverſitate legum poſitivarum diverſa ſortiuntur nomina. Quomodo vero officiis ceteris inſit aliquid naturale ſuo conſtabit loco: quemadmodum etiam ſuo loco palam erit, quo ſenſu ſubinde officium opponatur debito.

§. 228.

Cur actiones legi permiſſivæ convenientes non ſint officia.

Actio legi permiſſivæ conveniens officium non eſt. Etenim lex permiſſiva dat tantummodo jus agendi & non agendi, non vero obligat ad agendum vel non agendum (§. 165). Quoniam itaque officium non dicitur niſi actio legi conveniens, quatenus ad eam ſic, non aliter determinandam obligamur (§. 224); actio legi permiſſivæ conveniens officium non eſt.

Convenit hoc communi loquendi uſui. Quando enim facimus, vel non facimus, quod lege præceptiva præcipitur, vel prohibitiva prohibetur; officii noſtri eſſe dicimus, ut hoc faciamus, vel non faciamus. Quando vero agimus, quod lege permiſſiva nobis permiſſum, vel aliquid non agimus, quod quo minus agamus nobis permiſſum eſt; non dicimus, eſſe officii noſtri, ut hoc faciamus vel non faciamus; ſed tantummodo jus nobis eſſe, ut hoc faciamus vel non faciamus.

§. 229.

Quomodo fieri debeat exceptio in colliſione offi-

Si officium erga ſeipſum & officium erga alios inter ſe colliduntur; officium erga ſeipſum vincit. Etenim cum officium erga ſeipſum ſit actio, ad quam committendam vel omittendam homo obligatur reſpectu ſui ipſius (§. 224. 226), conſequenter quæ per ſe tendit ad ipſius ſtatuſque ejuſdem perfectionem, minime vero ad imperfectionem (§. 152), officium ex adverſo

Digitized by Google

ciorum erga ſe & alios. erga alios actio, ad quam committendam vel omittendam homo obligatur reſpectu alterius (*§.* 224. 226), conſequenter quæ tendit ad perfectionem alterius atque ſtatus ejuſdem (§. 223); ubi officium erga ſeipſum & officium erga alios colliduntur inter ſe, alterius perfectionem promovere non licet, niſi cum neglectu propriæ aut cum imperfectione propria (§. 206). Enimvero non obligamur ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius conferre, niſi quantum conferre valemus (§. 222). Quamobrem ſatisfaciendum potius eſt officio erga ſeipſum, ſeu, quod perinde eſt, legi idem præcipienti, quam officio erga alios, ſeu legi idem urgenti. Vincit lex iſta, cui in caſu colliſionis ſatisfaciendum (*§.* 208). Officium itaque erga ſeipſum in colliſione cum officio erga alios vincit.

Principium hoc magni momenti eſt non modo in theoria, verum etiam in praxi. Videtur cum eodem convenire, quod vulgo dicitur, charitatem ordinatam incipere a ſeipſo: revera tamen latius patet, ac clarius enuntiat, quod enuntiare debet. Quod nihil contineat rationi adverſum, ſed eidem potius conforme ſit, etiam hoc modo intelligitur. Unuſquiſque homo ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius tantundem conferre tenetur, quantum conferre valet (§. 222). Quamobrem etſi ego ſuccurrere nequeam alieno auxilio indigenti, ne mihimetipſi deſim; non tamen ideo deficit alter, qui opem ferre valet. Nulla igitur neceſſitas urget, ut ego eandem ferendo in meipſum fiam injurius. Ceterum propoſitioni huic convenienter explicari debet iſtud pervulgatum: *Quilibet ſibi proximus*, ne in abuſum trahatur.

§. 230.

Quomodo facienda exceptio in colliſione duorum officiorũ erga alios.

Si duo officia erga alios inter ſe colliduntur; illud vincit, ad quod major eſt obligatio. Etenim cum obligatio ſit neceſſitas moralis agendi vel non agendi (*§.* 118); ad quod major eſt obligatio, id ut fiat magis neceſſe eſt. Quamobrem ſi duo officia erga alios inter ſe colliduntur, illi utique ſatisfaciendum, ad quod major obligatio eſt, conſequenter in caſu colliſionis vincit officium erga alios, ad quod major obligatio eſt.

Principium hoc fœcundiſſimum eſt per omnem theoriam juris naturalis. Ex ſpeciali autem tractatione conſtabit, ad quidnam major ſit obligatio.

§. 231.

Ad quæ non facienda alteri obligemur.

Unuſquiſque hominum per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligatur ea omittere, quæ tendunt ad imperfectionem alterius ejuſque ſtatus. Unuſquiſque hominum per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligatur ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius pro virili promovendam (§. 222), conſequenter ipſi permiſſum eſſe nequit, ut faciat ea, quæ ad imperfectionem ejus ſtatuſque ipſius tendunt (§. 28 *Ontol.*). Neceſſe igitur eſt per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam, ut omittat, quæ ad imperfectionem alterius atque ſtatus ipſius tendunt. Quamobrem cum hæc neceſſitas ſit obligatio (*§.* 118); unuſquiſque hominum per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligatur ea omittere, quæ tendunt ad imperfectionem alterius ac ſtatus ipſius.

Si admittis te facere poſſe, quæ tendunt ad alterius imperfectionem, neceſſe non eſt ut facias, quæ ad perfectionem ejuſdem tendunt, conſequenter ad alterius perfectionem promovendam non obligaris.

Digitized by Google

§. 232.

Nemo hominum obligatur naturaliter ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius ea conferre, quæ ipſemet facere poteſt. Etenim unuſquiſque ipſemet naturaliter obligatur ad faciendum ea, quæ ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui tendunt (§. 152). Quamobrem cum obligatio ſit neceſſitas moralis agendi (§. 118), & obligatio naturalis neceſſaria ſit & immutabilis (§. 142); neceſſe eſt ut unuſquiſque ipſemet faciat, quæ ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui promovendam requiruntur, ſiquidem ab eo fieri poſſunt. Nemo igitur hominum obligatur naturaliter ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius ea conferre, quæ ipſemet facere poteſt. *Obligatio erga alios quando nulla.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Homines obligantur ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui conjunctis viribus promovendam (§. 221). Neceſſe igitur eſt, ut unuſquiſque faciat, quantum poteſt. Quamobrem ſi quis ipſemet ea facere poteſt, quæ ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui requiruntur; neceſſe non eſt, ut hoc faciant alii. Quoniam itaque neceſſitas agendi moralis obligatio eſt (§. 118); patet neminem naturaliter obligari, ut ad perfectionem alterius atque ſtatus ejuſdem ea conferat, quæ ipſemet facere poteſt.

Quodſi unuſquiſque hominum ſibimetipſi ſufficeret, nec ea eſſet ejus natura, ut aliena ope indigeret (§. 220); nemo quoque hominum obligaretur ad ferendam opem alteri, qua opus minime haberet, cum fruſtranea foret hæc obligatio. Enimvero quia nemo hominum ſibimetipſi ſufficit, ſed aliena ope indiget; ideo unuſquiſque obligatur ad ferendum alteri opem, quantum valet (§. 222). Nulla igitur naturalis eſt obligatio, ubi quis ſibimetipſi ſufficit.

§. 233.

Nemo hominum naturaliter habet jus petendi ab altero, ut ea ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui perfectionem conferat, quæ ipſemet facere poteſt. Etenim nemo hominum obligatur naturaliter ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius ea conferre, quæ ipſemet facere poteſt (§. 232). Quamobrem cum lex naturæ non det jus niſi ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159); nullum quoque jus in actionem alterius nobis dare poteſt, ubi nulla eſt erga nos alterius obligatio, conſequenter nemo hominum naturaliter habet jus petendi ab altero, ut ea ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui perfectionem conferat, quæ ipſemet facere poteſt. *Jus naturale quando ad actiones alterius nullum.*

Oſtenditur etiam per indirectum hoc modo. Ponamus homini competere jus naturale petendi ab altero, ut ea ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui perfectionem conferat, quæ ipſemet facere poteſt. Quoniam alter ad hoc obligatus non eſt (§. 232), nec moraliter neceſſe eſt ut hoc faciat (§. 118). Juris adeo effectus nullus eſt, adeoque abſque ulla ratione admittitur. Quod cum ſit abſurdum (§. 70 *Ontol.*), nemini quoque hominum competere poteſt jus petendi ab altero, ut ea conferat ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui perfectionem, quæ ipſemet facere poteſt.

Quodſi

Quodſi igitur in iis, in quibus alienam opem imploramus, nobiſmetipſis ſufficimus, & alter eandem nobis ferre recuſat; cum nullo jure opem alterius requiramus, nullam conquerendi cauſam habemus. Neceſſarium itaque erat propoſitionis præſentis veritatem evincere, ne abſque ullo jure conqueramur de aliis: id quod legi naturæ adverſum eſſe ſuo conſtabit loco.

§. 234.

Quale jus homini naturaliter competat in actiones alterius.

Homo habet jus petendi ab aliis, ut ea conferant ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui perfectionem, quæ ipſemet facere nequit; nullum tamen habet jus alterum ad id cogendi. Etenim homo unuſquiſque ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius perfectionem conferre obligatur, quantum conferre valet (§. 222), ſi ſcilicet alter ipſe ea facere nequit (§. 232). Quoniam lex naturæ dat jus ad ea ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159); neceſſe etiam eſt ut, quando ipſimet obligationi noſtræ ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri promovendam ſatisfacere non poſſumus abſque aliorum ope, det nobis jus petendi ab aliis, ut ea conferant ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri, quæ facere non poſſumus. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam nemo ad alteri opem ferendam obligatur, niſi qui eandem ferre valet, nec ultra id obligatur, quod poſſibile (§. 222), & in caſu colliſionis officiorum erga ſeipſum & erga alios officium erga ſeipſum vincit (§. 229), in caſu autem colliſionis officiorum erga alios illud vincit, ad quod major eſt obligatio (§. 230); fieri nequit, ut nobis certo conſtet, an aliis obligetur ad opem ferendam is, a quo eandem petimus. Cumque præterea obligatio iſta naturalis ad aliorum perfectionem promovendam generalis ſit (§. 222), ad nullum individuum in ſpecie vi legis naturalis reſtricta; lex quoque naturæ nemini dat jus cogendi alterum, ut ea ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui conferat, quæ ipſemet a ſe expectare nequit. *Quod erat alterum.*

Non eſt quod excipias, obligationem nobis ſuccurrendi, quando alieno auxilio opus habemus, eſſe nullam, niſi alter cogi poſſit a me, qui ejus indigeo auxilio, ut faciat ad quod obligatur. Sufficit enim quod eidem reſpondeat jus petendi, ut de auxilio denegato jure conqueri valeamus; & qui iſti juri locum concedere non vult, famam lædat, cujus unuſquiſque rationem habere quam maxime debet. Etſi itaque durum videatur ab aliis deſtitui, ubi obligationi naturali erga alios ſatisfacere nolunt; non tamen minus, imo magis durum foret jus cogendi alterum concedere ei, qui alieno auxilio indiget, propter metuendum facilem abuſum & hinc oriunda mala longe majora, quam ea auxilio contra obligationem naturalem denegato proficiſcuntur. Ubi de libertate naturali, quæ per eſſentiam & naturam ſuam omnibus hominibus competit, egerimus; manifeſto conſtabit, jus cogendi alterum ad officium naturale eidem repugnare, cum tamen jus libertatis in ipſa hominum eſſentia atque natura rationem habeat ſufficientem. Sufficit in præſenti, quod obligatio naturalis ad aliorum perfectionem promovendam iſtiuſmodi admittat reſtrictiones, ut eidem jus cogendi reſpondere minime poſſit in altero.

§. 235.

Jus perfectum quodnã dicatur.

Jus perfectum dicitur, quod conjunctum eſt cum jure cogendi alterum, ſi obligationi ſuæ ſatisfacere noluerit. Sæpiſſime *Jus* ſimpliciter dicitur, præſertim ubi apparet nonniſi de jure perfecto ſermonem eſſe.

E. gr.

E. gr. Locatori eſt jus perfectum exigendi a conductore mercedem, quam ſolvere ex contractu tenetur. Etenim ſi conductor mercedem ex contractu debitam ſolvere recuſat, ut hoc faciat a locatore cogi poteſt. Undenam jus perfectum naſcatur, ſuo docebimus loco: quod ubi factum fuerit, clarius intelligetur, quomodo jus naturæ imperfectum ipſa vi obligationis naturalis tranſeat in perfectum. Et de hoc potiſſimum jure ſolliciti ſumus, ubi de Jure naturæ & Gentium agitur, item in Jure civili.

§. 236.

Obligatio perfecta quænam dicatur.

Perfecte mihi obligaris, ſi, ubi obligationi ſatisfacere nolueris, mihi competit jus te cogendi, ſeu vi adigendi, ut hoc facias. Unde patet, *Te mihi perfecte obligari ad id, in quod mihi jus perfectum competit*, quippe quod jus cogendi, ut obligationi ſatisfacias, involvit. Quæ *perfecta* dicitur *Obligatio* in relatione ad jus perfectum, quod eſt alteri, *Obligatio* etiam ſimpliciter appellari ſolet, quando ex circumſtantiis intelligitur, quod nonniſi de ea ſermo eſſe poſſit, & quia de ea potiſſimum loquimur, quando de jure eo verba facimus, quod unus alteri debet in ſingulari.

Exemplum, quod ad definitionem anteriorem dedimus, etiam huc pertinet. Obligatio conductoris ad ſolvendam mercedem locatori in contractu locationis conductionis ædium perfecta eſt, quia, ſi mercedem debitam ſolvere detrectat conductor, a locatore vi adigi poteſt ad ſolutionem. Quomodo iſtiuſmodi obligationes contrahantur inter homines, demonſtrabitur in tractatione ſpeciali.

§. 237.

Jus imperfectum quid ſit.

Jus imperfectum dicitur, cum quo jus cogendi non conjunctum, ubi alter obligationi, quæ eidem reſpondet, ſatisfacere non vult. Dicitur a *Grotio* lib. 1. de J. B. & P. c. 1. §. 7, *Aptitudo*; ab Ariſtotele ἀξία, ſive *Meritum*. Nimirum is, cui jus imperfectum eſt, mereri ac dignus eſſe dicitur, ut alter, qui ad tale quid obligatus eſt, ipſi hoc præſtet.

E. gr. Qui opibus pollent, obligantur egenis dare eleemoſynam. Quodſi igitur nobis conſtet, quod quis ſit maxime egenus; dignum judicamus, cui eleemoſyna detur, & eandem mereri dicitur, etiam in vernacula noſtra, *er verdienet ein Allmoſen*. Hanc qualitatem moralem, qua quis dignus judicatur, vel, ut *Grotius* loquitur, aptus efficitur, ut ab altero ipſi quid præſtetur, qui ad idem præſtandum merenti vel digno obligatus eſt, jus imperfectum nonnulli appellare ſolent. Unde egeno jus imperfectum eſſe dicitur ad hoc, ut Titius, a quo petit, ipſi det eleemoſynam, cum denegantem vi adigere nequeat, ut hoc faciat. Quodſi ſubtilius in notionem juris imperfecti inquirere volueris; dicendum erit, *meritum* & *aptitudinem* non ipſum eſſe jus imperfectum, ſed potius rationem hujus juris: quod ut facilius intelligatur, dicamus in exemplo modo in medium allato, quod in abſtracto prolatum obſcuritate non careret. Unuſquiſque homo obligatur ad dandam eleemoſynam egeno, quemadmodum ſuo demonſtrabitur loco. Quodſi quis fuerit egenus eo ſenſu, quem legi naturæ convenientem probaturi ſumus; eadem lege dignus declaratur, cui detur eleemoſyna, & ob hanc *dignitatem*, quam *Grotius* vocat, alii Latinius *meritum* appellare malunt, ipſi confertur jus petendi eleemoſynam. Jus hoc petendi non minus verum eſt jus, quam quodcunque aliud, cum in ipſum quadret definitio juris in genere dati (§. 156), & quatenus in ſe ſpectatur, perfectum quoque jus eſt, quoniam obligantur alii ad hoc idem egeno non auferendum, ita ut naturaliter vi etiam adigi poſſit ad id non auferendum: ex quo fonte haud pauca fluunt, tum quæ juris naturalis ſunt, tum quæ legibus civilibus vel definiuntur, vel definiri poſſunt. Enimvero ſi jus illud petendi eleemoſynam ſpectatur in ſingulari, veluti ſi Lazarus a Crœſo petit, tum ex iis, quæ paulo ante tradidimus (§. 234), intelligitur, tum ſuo loco clarius docebitur, Lazaro adverſus Crœſum jus cogendi, ut det eleemoſynam, competere non poſſe. Atque eatenus jus ad eleemoſynam imperfectum jus eſt. Ubi explicatum fuerit, quid ſit *ſuum* & quale ſit hoc jus, ſine quo *ſuum* non intelligitur; juris perfecti & imperfecti differentia multo adhuc manifeſtior evadet. Multa in doctrina

juris

juris occurrunt, quæ non ſine acumine diſtinguuntur, neque diſtinguuntur inutiliter, acumine tamen deſtitutis ſcrupuloſius diſtingui videntur, inanium ſubtilitatum titulo oneranda.

§. 238.

Imperfecta obligatio quænam dicatur.

Imperfecte mihi obligaris, quando, ubi obligationi ſatisfacere nolueris, nullum mihi eſt jus te cogendi, ut facias. Unde patet, *Te imperfecte mihi obligari ad id, ad quod mihi jus nonniſi imperfectum eſt*.

Ita Crœſus imperfecte obligatur Lazaro qua Lazaro ad dandum eleemuſynam: etenim ſi dare recuſat, vi ipſum ad dandum adigere nequit.

§. 239.

Injuſtum & iniquū quid ſit.

Injuſtum dicitur, quicquid fit contra jus perfectum alterius: *Iniquum* vero, quicquid fit contra jus imperfectum alterius. *Fit* autem *contra jus alterius* id, quo idem vel tollitur, vel diminuitur, vel uſus ejus quomodocunque impeditur. Quoniam in civitate jura perfecta definiuntur lege civili; *injuſtum* vulgo appellari ſolet, quod legi civili contrariatur, adeoque *iniquum* vocatur, quicquid ſoli legi naturali repugnat.

Jus perfectum habet locator ex contractu locationis conductionis ad mercedem ex eodem debitam. Quodſi ergo conductor mercedem integram ſolvere recuſat & ſub vario prætextu locatorem defraudat, injuſtum id eſſe dicitur. Enimvero egenus ad eleemoſynam jus imperfectum habet. Quodſi ergo qui opibus abundat, eam ipſi deneget; hoc ipſum iniquum exiſtimari debet. Similiter lex civilis tacite permittit læſionem infra dimidium, aſt prohibet læſionem ultra dimidium; lege autem naturali omnis læſio prohibita. Quamobrem vulgo injuſte agere dicitur, qui alterum ultra dimidium lædit; inique autem, qui lædit infra dimidium. Significatus, qui reſpicit legem civilem, communior eſt: in jure tamen naturali retinendæ ſunt definitiones, quas citra eundem dedimus. Patebit autem abunde in progreſſu, haſce definitiones ſufficere ubivis, ubi quid injuſtum eſſe demonſtrari debet, ut adeo opus non ſit reſpondere ad objectiones, quas nonnulli ad cenſendum proni deproperare poterant. Imo ſufficere poteſt, quod in hoc ſignificatu terminis iſtis ſimus uſuri, quem iisdem hic tribuimus libertate in definiendo conceſſa uſi.

§. 240.

Juſtum & æquū quid ſit.

Juſtum ex adverſo eſt, quod convenit juri perfecto alterius, ſeu quod fit juxta jus perfectum alterius: *Æquum* vero, quod convenit juri imperfecto alterius, ſeu quod fit ſecundum jus imperfectum alterius. Fit autem ſecundum jus alterius, quando nihil contra idem committitur, nec quicquam omittitur, quod ſtante eodem fieri debet. Quoniam in civitate jura perfecta lege civili definiuntur, *juſtum* vulgo appellatur, quod legi civili convenit, *æquum* vero, quod convenit ſoli legi naturali.

E. gr. Juſtum eſt, ut merces ex contractu locationis conductionis ædium debita ſolvatur conductori; æquum vero, ut, qui opibus abundat, egeno det eleemoſynam. Quæ modo de injuſto & iniquo annotavimus, ea quoque de juſto & æquo tenenda ſunt. Ceterum non moramur æquivocationes vocabulorum, quas inconſtantia loquendi introduxit, præſertim cum definitiones accuratas hactenus dare neglexerint, qui theoriam juris tam naturalis, quam civilis tradidere.

§. 241.

Juſtum & injuſtum, æquum & iniquū quibusnā

Quoniam injuſtum & iniquum eſt contra jus alterius, juſtum vero & æquum fit ſecundum jus alterius (§. 239. 240); *juſtum & injuſtum, æquum & iniquum non ſpectatur niſi in actionibus, quæ reſpiciunt alios.*

Hinc juſtos ac æquus nos præbemus aliis & injuſti ac iniqui ſumus in alios. Nemo autem dicitur injuſtus vel iniquus erga ſeipſum, niſi nosmetipſos conſideremus tanquam diverſos a nobiſ.

Digitized by Google

a nobiſmetipſis; id quod haud raro accidit, dum facultates auimæ ſuperiores inſtar perſonæ diſtinctæ a nobis imaginamur, fictione non inutili & communiter recepta, iu multis loquendi formulis tacite ſuppoſita. Ceterum hiuc apparet, quandonam actio bona dicatur juſta, vel æqua; quandonain vero mala vocetur injuſta, vel iniqua, nimirum ſic denominatur a reſpectu, quem habet ad jus alterius: ſi enim eandem referas ad obligationem, ſeu legem, cujus veluti anima eſt obligatio, dicetur debita, vel illicita (§. 170). Unde liquet nou ſatis accurate definiri juſtum per id, quod legibus convenit; injuſtum vero per id, quod iiſdem repugnat. Addenda hæc ſunt iis, quæ de diverſa denominatioue uuius ejuſdemque actionis pro diverſo reſpectu ſupra monuimus (*not.* §. 197. 198).

in actionibus ſpectetur.

§. 242.

Injuſtus agit contra obligationem perfectam, qua tenetur alteri; iniquus in alterum contra obligationem imperfectam, qua eidem tenetur. Qui enim injuſte agit, contra jus perfectum alterius agit (§. 239). Enimvero ſi alteri jus perfectum eſt, eidem jus eſt te cogendi, ſi obligationi, qua ipſi teneris, ſatisfacere nolueris (§. 235), adeoque tu ipſi perfecte obligaris (§ 236). Injuſte igitur qui agit, contra obligationem perfectam agit, qua alteri tenetur. *Quod erat unum.*

Cuinam obligationi repugnet injuſtum & iniquum.

Similiter qui inique agit, contra jus imperfectum alterius agit (§. 239). Enimvero ſi alteri jus imperfectum eſt, eidem non eſt jus te cogendi, ubi obligationi, qua ipſi teneris, ſatisfacere nolueris (§. 237), adeoque tu ipſi imperfecte obligaris (§. 238). Inique igitur qui agit, contra obligationem imperfectam agit, qua alteri tenetur. *Quod erat alterum.*

Hinc etiam *injuſtum* definiri poteſt, quod obligationi perfectæ repugnat; *iniquum* vero, quod repugnat obligationi imperfectæ. Etenim cum jus perfectum alterius ſupponat in te obligationem perfectam, imperfectum vero obligationem imperfectam: perinde eſt, ſive dicas aliquid repugnare alterius juri perfecto aut imperfecto; ſive affirmes, id repugnare obligationi tuæ perfectæ aut imperfectæ. Quoniam tamen injuſtum & iniquum dicitur reſpectu alterius (§. 239); convenientius videtur, ut in definiendo potius ad jus alterius, quam ad obligationem tuam referatur, præſertim cum ſubinde manifeſtius ſit jus alterius, quam tua obligatio, ex illo ſuppoſito demum deducenda: cujus rei exemplum habemus in dominio.

§. 243.

Juſte agit, qui agit ſecundum obligationem perfectam, qua alteri tenetur; æque autem agit, qui agit ſecundum obligationem imperfectam, qua alteri tenetur. Etenim qui juſte agit, convenienter juri perfecto alterius agit (§. 240). Quodſi vero alteri fuerit jus perfectum, eidem jus eſt te cogendi, ſiquidem obligationi tuæ ſatisfacere nolueris (§. 235), adeoque tu ipſi perfecte obligaris (§. 236). Juſte igitur qui agit, ſecundum obligationem perfectam agit. *Quod erat unum.*

Cuinam obligationi conveniat juſtum & æquum.

Similiter qui æque agit, juri imperfecto alterius convenienter agit (§. 240). Sed ſi alteri fuerit jus imperfectum, eidem non eſt jus te cogendi, ſiquidem obligationi tuæ ſatisfacere nolueris (§. 237), conſequenter ipſi nonniſi imperfecte obligaris (§. 238). Quamobrem qui æque agit, ſecundum obligationem imperfectam, qua alteri tenetur, agit. *Quod erat alterum.*

Digitized by Google

Hinc etiam *juſtum* definiri poteſt, quod conveniat obligationi perfectæ, qua teneris alteri; *æquum* vero, quod convenit imperfectæ. Valent hic mutatis mutandis, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus.

§. 244.

Moraliter bonū & malū quid dicatur.

Quod legi conforme eſt, dicitur ***moraliter bonum***: quod eidem difforme, ***moraliter malum***. Nimirum eatenus quid moraliter bonum cenſetur, quatenus convenit legi præceptivæ; eatenus vero moraliter malum habetur, quatenus lege prohibetur.

Vidimus in ſuperioribus, eorum, quæ lege naturali præcipiuntur, bonitatem eſſe intrinſecam, nec demum bona fieri, quod præcipiantur, quin potius præcipi, quia bona; & ex adverſo eorum, quæ lege naturali prohibentur, malitiam eſſe intrinſecam, nec demum mala fieri, quod prohibeantur, quin potius prohiberi, quia mala. Quoniam tamen a veritate non abhorret, quod legi naturali conforme eſt, eſſe moraliter bonum, & quod eidem difforme, moraliter malum; nil obſtat, quo minus receptum vocabulorum ſignificatum retineamus, modo caveamus, ne rationem denominandi erroneam amplectamur in præjudicium veritatis, quam ſupra profundius ſcrutati ſumus.

§. 245.

Lex naturæ ab Atheo admittenda.

Lex naturæ ſubſiſtit etiam in hypotheſi impoſſibili Athei, hoc eſt, ***ex eo, quod Atheus ponit non dari Deum, minime ſequitur, non dari legem naturæ.*** Etenim lex naturæ ponitur poſita hominis rerumque natura atque eſſentia (§. 136) & ejus obligatio rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura habet (§. 143). Quamobrem etſi Atheus neget dari Deum (*§. 411 part. II. Theol. nat.*); non tamen ideo negare poteſt, hanc eſſe hominis rerumque eſſentiam, quam independenter a cognitione Dei cognoſcimus. Admittere igitur tenetur legem naturæ, ſtante hypotheſi impia, conſequenter lex naturæ ſubſiſtit etiam in hypotheſi impoſſibili Athei.

Nimirum non valet conſequentia, ſi Atheus ita argumentetur: Non datur Deus. Ergo non datur lex naturæ, ſeu nulla datur obligatio ad actiones alias committendas, alias vero omittendas, niſi quæ a lege humana venit. Argumentatio iſta æquivalet huic alteri: Non datur Deus. Ergo nulla datur veritas. Sane quemadmodum Atheus, non obſtante impia hypotheſi, admittere tenetur differentiam inter veritatem & falſitatem propoſitionum; ita quoque negare nequit obligationem naturalem ad certas actiones committendas & omittendas, conſequenter nec negare poteſt dari legem naturalem. Non nego, dari Atheos, qui negant legis naturalis exiſtentiam; ſed ratio, cur negent, non deſumitur ab impia eorum hypotheſi, ſi rem accuratius ſpectes; verum ex alio errore, quem communem habent cum aliis Deum profitentibus, quod nulla detur obligatio naturalis ex ipſa hominis eſſentia atque natura manans, nec moraliter quidpiam ſit bonum, niſi a ſuperiore præcipiatur, neque moraliter malum, niſi a ſuperiore prohibeatur, conſequenter bonum vel malum demum quid fieri ſuperioris voluntate, nec nos obligari poſſe niſi ejuſdem voluntate. Patet itaque Atheis potius patrocinari eos, qui obligationem naturalem tollunt, nec hominem obligatum eſſe volunt niſi Dei voluntate, atque contendunt, ſi non detur Deus, nec dari legem naturæ; quam qui contrariam ſententiam defendunt. In anterioribus abunde ſatis ſtabilitam. Quando igitur cum Atheo, qui legis naturalis exiſtentiam in dubium vocat, diſceptandum, non opus eſt, ut eum ante de exiſtentia Dei convincas, quam cum eo in arenam deſcendas. Præſens adeo propoſitio uſum præſtat, quem ab errore contrario expectare minime licet.

§. 246.

Qualis differentia actio-

In hypotheſi Athei ſubſiſtit differentia inter naturaliter debitum, licitum & illicitum, honeſtum & inhoneſtum, juſtum & injuſtum, æquum & iniquum,

decorum

decorum naturaliter & indecorum. Etenim naturaliter debitum eſt, ad quod lege naturali præceptiva obligamur; licitum eſt, ad quod lex naturæ permiſſiva nobis jus dat; illicitum eſt, ad quod omittendum lege naturali prohibitiva obligamur (§. 170). Quamobrem cum in hypotheſi Athei lex naturæ ſubſiſtat (§. 245); in eadem quoque ſubſiſtere debet differentia inter naturaliter debitum, licitum & illicitum. *Quod erat primum.* *num in hypotheſi Athei ſubſiſtat.*

Jam vero honeſtum eſt, quo fit, quod naturaliter debitum & licitum; inhoneſtum vero, quod obligationi ac juri naturali repugnat ſeu, quo fit, quod illicitum (§. 171). Quoniam itaque in hypotheſi Athei ſubſiſtit differentia inter naturaliter debitum, licitum ac illicitum, *per num.* 1; in eadem quoque differentia inter honeſtum ac inhoneſtum ſubſiſtit. *Quod erat ſecundum.*

Porro juſtum eſt, quod convenit; injuſtum vero, quod diſconvenit juri perfecto alterius: æquum ex adverſo, quod convenit; iniquum, quod diſconvenit juri imperfecto alterius (§. 239. 240). Jam cum jura naturalia hominibus competant vi legis naturalis (§. 160), lex autem naturæ in hypotheſi Athei ſubſiſtat (§. 245): in eadem quoque differentia inter juſtum ac injuſtum, æquum atque iniquum ſubſiſtit. *Quod erat tertium.*

Denique lex etiam naturæ nos obligat ad actionem decoram indecoræ præferendam, etſi utraque in ſe ſpectata indifferens ſit (§. 203), imo actiones, quæ in ſe ſpectatæ indifferentes ſunt, decoræ ſunt, ubi demonſtrari poteſt, quod vi legis naturæ obligatus eas potius velle, quam nolle debeat; indecoræ autem, ſi demonſtrari poteſt, quod vi legis naturæ obligatus eas potius nolle, quam velle debeat (§. 202). Quoniam itaque in hypotheſi Athei lex naturæ ſubſiſtit (§. 245); in eadem quoque differentia inter naturaliter decorum ac indecorum ſubſiſtit. *Quod erat quartum.*

Falluntur adeo, qui ſibi perſuadent, ſi quis neget dari Deum, eum quoque affirmare debere, quod ſepoſita lege humana, nihil nec ſibi ipſi, nec aliis debeat, quod nihil non ſit ſibi licitum, nec illicitum ſit quicquam, niſi lege humana prohibeatur, quod differentia inter honeſtum ac inhoneſtum, juſtum & injuſtum, æquum & iniquum, decorum atque indecorum nonniſi hominum opinione talis ſit. Qui ita ſentiant hominibus, licentiam vivendi pro ſummo bono habentibus, Atheiſmum commendant, ut optent non dari Deum. Quibus vero Atheiſmus placet, ii facile vel in dubitationem de exiſtentia Dei adducuntur, vel in ipſum Atheiſmum prolabuntur, Athei practici, quamdiu de exiſtentia Dei nondum ſe ſentiunt convictos. Atque adeo patet, quantum a vero aberrent, qui ſententiam a nobis defenſam pro patrocinio Atheiſmi venditant, cujus ipſimet rei ſunt.

§. 247.

Differentia inter actiones malas & bonas etiam in hypotheſi Athei ſubſiſtit. *Idem porro explicatur.*
Demonſtravimus hoc jam alibi (§. 500 *part. II. Theol. nat.*).

Quodſi demonſtrationem aliunde ſupponere nolis; poterit etiam ex ſuperioribus idem demonſtrari hoc modo. Actiones ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri perfectionem tendentes bonitatem intrinſecam habent (§. 103), quæ vero ad noſtram ſtatuſque noſtri imperfectionem tendunt, malitiam intrinſecam habent (§. 106). Enimvero poſitis iis, ſine

O 2 quibus

Digitized by Google

quibus actio concipi nequit, ſeu determinationibus ejus eſſentialibus poſitis, ponitur & bonitas (§. 57), & malitia intrinſeca (§. 59). Quamobrem intrinſecam actionum bonitas & malitia demonſtrari poteſt, etiamſi non ſupponas dari Deum. Etſi itaque Atheus neget dari Deum (§. 411 *part. II. Theol. nat.*); non tamen ideo ſequitur, nullum eſſe inter bonum & malum diſcrimen, conſequenter differentia inter actiones bonas & malas in hypotheſi Athei ſubſiſtit.

Uſum hujus propoſitionis jam docuimus in Theologiæ naturalis parte ſecunda, cum de Atheiſmo ageremus. Et repetenda hic ſunt, quæ paulo ante (*not.* §. 245) annotavimus.

§. 248.

Rectitudo actionum in hypotheſi Athei ſubſiſtens.

Rectitudo actionum etiam in hypotheſi Athei ſubſiſtit. Etenim rectitudo actionum humanarum in determinationibus eſſentialibus hominis ſimul ſumtis rationem ſufficientem agnoſcit (§. 65), conſequenter iiſdem poſitis & ipſa ponitur (§. 118 *Ontol.*). Quoniam itaque demonſtrari poteſt, etiamſi non ſupponas dari Deum; ſi vel maxime neget Atheus Deum dari (§. 411 *part. II. Theol. nat.*), non tamen ideo negare poteſt, actionem aliam eſſe rectam, aliam a rectitudine deficere. Subſiſtit adeo actionum rectitudo etiam in hypotheſi Athei.

Non hic quæritur, num Atheiſmus in cauſa eſſe poſſit, ut quis de rectitudine actionum parum ſit ſollicitus, imo minus eam curet, quam ſi impio errore minime infectum poſſideret animum: ultro enim concedimus, id fieri utique poſſe. Sed de eo jam quæſtio eſt, num valeat argumentatio. Non datur Deus. Ergo nulla datur actionum rectitudo. Conſequentiam nullam eſſe fateri cogitur, qui novit, quænam ad rectitudinem actionis requirantur, tantoque confidentius fatebitur, ubi theoriam rectitudinis actionum humanarum demonſtratam perſpexerit.

§. 249.

Abſurditas licentiæ vivendi ab Atheo aſſertæ.

Si Atheus omnem vivendi licentiam fingit, hominem exuere tenetur. Etenim homo per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligatur ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui tendunt, & ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem ſuam ſtatuſque ſui tendunt (§. 128), conſequenter ad committendas eas, quæ lege præceptiva naturali præcipiuntur (§. 167), & ad omittendas eas, quæ lege prohibitiva naturali prohibentur (§. 168). Quodſi itaque Atheus fingit, ſibi licitum eſſe vivere, prouti lubet, quia Deum nullum eſſe opinatur (§. 411 *part. II. Theol. nat.*); neceſſe eſt ut neget ſibi eam eſſe eſſentiam atque naturam, quæ eſt hominum, conſequenter ſe eſſe hominem. Hominem igitur exuere tenetur, ſi omnem vivendi licentiam fingit.

Patet adeo, quomodo Athei admiſſa obligatione naturali & intrinſeca actionum bonitate ac malitia in ruborem dentur, ubi in hypotheſi impoſſibili ſua omnem vivendi licentiam ſibi fingunt. Etſi itaque doctrina de obligatione naturali & actionum intrinſeca bonitate & malitia omni alia utilitate deſtitueretur, quam tamen maximam eſſe ex inferioribus eluceſcet; abunde ſeſe hoc commendaret, quod contra Atheiſmum non uno nomine militet.

§. 250.

Obligatio ad illuſtratio-

Homo per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligatur actiones ſuas omnes dirigere ad gloriæ divinæ manifeſtationem. Etenim per ipſam eſſen-

eſſentiam atque naturam ſuam obligatur ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui tendunt (§. 128). Sed perfectio hominis conſiſtit in aptitudine repræſentandi perfectionem Dei ſummam, ſeu manifeſtandi gloriam ipſius (§. 917 *part. I. Theol. nat.*). Ergo etiam per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligatur actiones ſuas omnes dirigere ad gloriæ divinæ manifeſtationem. *nem gloriæ divinæ.*

Idem jam oſtendimus aliter (§. 977 *part. I. Theol. nat.*) ex voluntate divina derivando obligationem: hic vero neceſſe erat, ut obligatio ex ipſa hominis eſſentia atque natura derivaretur, ſimulque oſtenderetur, obligationem ad illuſtrationem gloriæ divinæ ſub obligatione ad perfectionem noſtram contineri. Ceterum ne cui dubium ſuboriatur de eo, quod perfectio hominis in aptitudine repræſentandi perfectionem Dei ſummam, ſeu manifeſtandi gloriam ipſius conſiſtat; quædam moneri non inconſultum ducimus. In Theologia naturali id ipſum demonſtravimus ex principiis ontologicis & iis, quæ homini inſunt, etſi dependenter a nonnullis Theologiæ naturalis principiis. Per ſe enim patet, veritatem iſtam non comprehendi niſi ab eo, qui Numinis cognitione imbutus eſt. Etſi autem Atheus neget, dari Deum, conſequenter non admittat perfectionem hominis in aptitudine manifeſtandi gloriam divinam conſiſtere; non tamen hinc inferre licet, quod Atheus admittere nequeat legem naturæ ad perfectionem noſtram promovendam. Utut enim non agnoſcat, in quo tandem terminetur omnis hominis perfectio, perfectiones tamen animæ ac corporis ſtatuſque externi cognoſcere valet, quæ ſub iſta continentur ac tandem ad eandem reducuntur. Nimirum Atheus hominem tantummodo conſiderat tanquam ens abſolutum, quatenus eſt ſubſtantia ex anima & corpore organico eidem unito conſtans; non vero tanquam ens reſpectivum, quatenus eſt creatura Dei pertinens ad hoc univerſum. Perfectionem igitur hominis conſiderare nequit, niſi quatenus & ipſa abſoluta eſt, non vero quatenus reſpectiva, ſeu quod perinde eſt, quatenus æſtimatur ex homine in ſe conſiderato, non vero ad Deum ac univerſum relato. Unde omnino cognitio ipſius magno laborat defectu. Hæc omnia clariora evadent ex ſpeciali tractatione, ex qua patebit, quænam ex hominis in ſe conſiderati eſſentia atque natura deducantur, & quænam hiſce ſuperaddantur, ſi ad Deum tanquam creatorem referatur, & inſtar creaturæ ad hoc univerſum pertinentis ſpectetur. Probe autem notandum eſt obligationem ad manifeſtationem gloriæ divinæ hic ex ipſa hominis eſſentia atque natura fuiſſe deductam, independenter a voluntate Numinis, ut intelligatur officia hominis erga Deum in eo non differre ab officiis erga ſeipſum atque erga alios, & quod homo Deum colere teneatur, quia homo eſt, ita ut humanam naturam exuere debeat, niſi ad eum colendum obligatus eſſe velit. Unde ſumma datur Deum colendi neceſſitas.

§. 251.

Principium officiorum erga Deum.

Homo per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligatur ad determinandum actiones liberas per motiva ab attributis divinis deſumta. Per ipſam enim eſſentiam atque naturam ſuam obligatur dirigere actiones ſuas ad manifeſtationem gloriæ divinæ (§. 250). Atat per determinationem actionum liberarum non aliter illuſtrare ſeu manifeſtare poteſt gloriam divinam, quam ſi attributa divina ſint motiva actionum (§. 919 *part. I. Theol. nat.*). Per ipſam itaque eſſentiam atque naturam ſuam obligatur ad determinandas actiones liberas per motiva ab attributis divinis deſumta.

Habemus adeo principium fœcundiſſimum officiorum erga Deum ex ipſa Dei hominiſque natura derivatum, quemadmodum jam alias monuimus (*not. §. 919 part. I. Theol. nat.*), & ipſo opere oſtendemus in tractatione ſpeciali.

§. 252.

Obligatio ad nõ omittendum mo-

Homo per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligatur ad non omittendum determinationem actionum per motiva ab attributis divinis deſumta, ſeu quod perinde eſt, ad non omittendum motiva ab attributis divinis deſumta in deter-

tiva ab attributis divinis deſumenda.

determinatione actionum liberarum. Ponamus enim eum non obligari ad non omittendum motiva ab attributis divinis deſumta in actionibus liberis determinandis. Permiſſum igitur ipſi erit, utrum in determinandis actionibus ſuis liberis uti velit iſtis motivis, nec ne (§. 166). Neceſſe adeo non erit, ut iiſdem utatur, ſalva actionis rectitudine (§. 64), conſequenter neceſſe non erit moraliter (*§. 952 part. I. Theol. nat.* & §. 115 *Phil. pract. univerſ.*). Quamobrem cum obligatio nulla ſit, ubi neceſſitas moralis agendi vel non agendi nulla eſt (§. 118); non obligabitur homo per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam ad determinandum actiones liberas per motiva ab attributis divinis deſumta. Quod cum ſit abſurdum (§. 251), utique obligabitur ad non omittendum motiva ab attributis divinis deſumenda in liberarum actionum determinatione.

Hæc propoſitio ſuperflua videri poterat, propterea quod in genere verum eſt, *nos obligari ad non omittendum ea, ad quæ committendum obligamur*, cum omitti nequeat, quod fieri neceſſe eſt (§. 118). Sane qui præcipit: Fac hoc; idem etiam prohibet: Non omitte hoc factum. Actionem enim poſitivam præcipere eſt privativam oppoſitam prohibere. Enimvero quoniam inferius hac propoſitione utemur tanquam principio, nec vulgo ejus veritas ſatis agnoſcitur; conſultum duximus eandem ſubjicere anteriori, & cum in evidentia modum excedere nequeamus, ubi appetitus ſenſitivus pugnat cum aſſenſu; demonſtrare maluimus, quod ſine demonſtratione admitti debebat, quam deeſſe aſſenſui in re ardua.

§. 253.

Quænam actiones determinari queant per motiva ab attributis divinis deſumta.

Omnis actio lege naturali præcepta, omniſque actio privativa legi naturali prohibitivæ reſpondens, eſt determinabilis per motiva ab attributis divinis deſumenda, *ſeu*, quod perinde eſt, ***omnis actio, ad quam naturaliter obligamur, per motiva ab attributis divinis deſumta determinari poteſt***. Etenim lex naturæ præceptiva nos obligat ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 167). Quoniam itaque hominis perfectio conſiſtit in aptitudine repræſentandi perfectionem Dei ſummam, ſeu manifeſtandi gloriam ipſius (§. 917 *part. I. Theol. nat.*); actiones, ad quas lex naturæ præceptiva nos obligat, tendunt ad aptitudinem manifeſtandi gloriam divinam, conſequenter ita determinari poſſunt, ut per nos tanquam agentes gloria divina manifeſtetur. Enimvero aliter gloriam divinam per determinationem actionum liberarum manifeſtare non poſſumus, quam ſi attributa divina ſint motiva actionum noſtrarum (§. 919 *part. I. Theol. nat.*). Quamobrem actio omnis lege naturali præcepta determinabilis eſt per motiva ab attributis divinis deſumenda. *Quod erat unum.*

Similiter lex naturæ prohibitiva nos obligat ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 168); conſequenter quæ repugnant manifeſtationi gloriæ divinæ per nos tanquam agentes liberos (*§. 917 part. I. Theol. nat.*), quarumque adeo committendarum motiva eſſe nequeunt attributa divina, ſed omittendarum potius motiva ſunt (*§. 919 part. I. Theol. nat.*). Patet adeo actionem privativam,

quæ

quæ legi prohibitivæ reſpondet, determinari poſſe per motiva ab attributis divinis deſumenda. *Quod erat alterum.*

Quoniam nulla datur actio, ad quam vi legis naturalis, adeoque naturaliter obligamur (§. 145), niſi ad quam vel committendam lege præceptiva (§. 164), vel omittendam lege prohibitiva obligamur (§. 163), actionum vero vi legis præceptivæ committendarum *per num.* 1, & vi legis prohibitivæ omittendarum motiva ab attributis divinis deſumi poſſunt *per num.* 2; omnis omnino actio, ad quam naturaliter obligamur, per motiva ab attributis divinis deſumta determinari poteſt.

Dabimus ſuo tempore fidem oculatam, quando ipſo opere oſtenſuri ſumus in omni actionum humanarum genere, quomodo in earum determinationem attributa divina per modum motivorum influant. Imo ſi quis in determinandis actionibus liberis per attributa divina tanquam motiva officio ſuo ſatisfacere adſueſcit; is facillime diſtinguet haud raro actiones illicitas a licitis, quas alias diſcerni a ſe invicem difficile foret. Nimirum ea actio, cujus motivum eſſe nequeunt attributa divina, nec in bonarum numero eſt. Ceterum veritas propoſitionis præſentis auctoritate Sacræ Scripturæ confirmatur, quando ſive manducemus, ſive bibamus, ſive aliud quid faciamus, omnia facere jubemur ad gloriam Dei 1. *Cor.* X. 32.

§. 254.

Obligatio ad directionē actionum ad gloriam Dei legis naturalis.

Homo obligatur lege naturali ad directionem actionum ſuarum ad gloriæ divinæ manifeſtationem. Etenim ad eandem obligatur per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam (§. 250), conſequenter poſita eſſentia & natura hominis ponitur hæc obligatio. Quoniam naturalis eſt obligatio, quæ poſita eſſentia atque natura hominis ponitur (§. 129); homo naturaliter obligatur actiones ſuas dirigere ad gloriæ divinæ manifeſtationem. Enimvero qui naturaliter obligatur, vi legis naturæ obligatur (§. 145). Homo itaque lege naturali obligatur dirigere actiones ſuas ad gloriæ divinæ manifeſtationem.

Patet adeo hanc propoſitionem: *Dirige actiones tuas ad manifeſtationem gloriæ divinæ*, ſeu *ad gloriam divinam*, quod vulgo dicitur, eſſe legem naturæ: id quod etiam ex eo conſtare poterat, quia eam deduximus ex altera: *Dirige actiones tuas ad tui perfectionem*, quam eſſe legem naturæ ſupra demonſtravimus (§. 152).

§. 255.

Imperfecta legis naturæ cognitio in Atheum cadit.

Atheus non admittit legem naturæ in omni ſua latitudine. Cum enim neget exiſtentiam Dei (§. 411 *part. II. Theol. nat.*); obligationem ad directionem actionum ad gloriæ divinæ manifeſtationem admittere nequit. Enimvero lex naturæ nos etiam obligat ad directionem actionum noſtrarum ad gloriæ divinæ manifeſtationem (§. 254). Atheus igitur non admittit legem naturæ in omni ſua latitudine.

Nimirum etſi Atheus non neget dari legem naturæ (§. 245); eandem tamen non extendit ultra ea, quæ homo ſibimetipſi ac aliis debet hominibus. Quoniam enim hominem non conſiderat ut creaturam Dei, nec finem a Deo in creatione mundi intentum agnoſcit; hominis quoque perfectionem penitus non perſpicit (§. 937 *part. I. Theol. nat.*). Atque eatenus nocet Atheiſmus philoſophiæ practicæ; imo ſimiliter nocet ſimplex ignorantia Dei.

§. 256.

Digitized by Google

§. 256.

Legis promulgatio quid ſit.

Legem promulgare idem eſt ac efficere, ut iis innoteſcat, quos obligare debet. Unde *Promulgatio legis* eſt actus, quo ad notitiam legis perducuntur, qui eadem tenentur. Dicitur etiam ***Publicatio***.

Ita hodie leges promulgantur, vel publicantur, dum convocatis iis, quos obligare debent, præleguntur, vel dum ſcriptæ aut typis deſcriptæ in loco publico affiguntur.

§. 257.

An lex naturæ ſit promulganda.

Lex naturæ nulla indiget promulgatione. Etenim per ea, quæ ad eſſentiam atque naturam hominis rerumque pertinent, ſeu quæ eidem rebuſque per eſſentiam atque naturam inſunt, intelligitur, cur actiones liberæ hoc modo ſint determinandæ, quemadmodum vult lex naturæ (§. 137). Nullo igitur peculiari actu opus fuit, quo notitia legis naturalis humano generi fuit inſinuata. Quamobrem cum actus iſte, quo legis notitia iis inſinuatur, qui eadem teneri debent, ſit promulgatio (§. 256); evidens eſt legem naturæ nulla indigere promulgatione.

Quodſi dicas, legem naturæ homini promulgari per ipſam eſſentiam atque naturam hominis rerumque, ſeu ipſa natura, quemadmodum conſtitutam, ita quoque promulgatam eſſe legem naturæ; dictio hæc a proprietate verborum tantiſper recedit. Quemadmodum enim proprie loquendo non dicitur ea, quæ de rebus quibuſcunque cognoſcimus, per ipſam rerum naturam nobis revelari, ubi ad modum digitum intendimus, quo veritates divinitus revelatæ nobis innoteſcunt; ita nec proprie loquitur, qui legem naturæ ipſa natura promulgatam dicit. Quin potius quemadmodum nemo non fatetur, non opus eſſe ut veritates naturales nobis revelentur, quas ſine revelatione cognoſcere valemus; ita ſimiliter affirmandum non opus eſſe promulgatione legis naturalis, cum abſque promulgatione nobis innoteſcat.

§. 258.

Neceſſitas promulgationis legis poſitivæ.

Lex poſitiva promulgatione indiget, nec obligare poteſt, niſi promulgetur, imo non obligat niſi a die publicationis, aut termino in promulgatione indicato. Legis enim poſitivæ obligatio dependet a voluntate entis cujuſdam rationalis (§. 147), veluti a voluntate Dei, ſi fuerit divina, a voluntate hominis, ſi fuerit humana (§. 149). Enimvero num Deus, vel homo nos ad quædam committenda, vel omittenda obligare velit, nobis conſtare nequit, niſi voluntas ejus nobis ſignificetur. Hac igitur voluntatis nos obligandi ſignificatione cum in notitiam legis poſitivæ perducamur, actus autem iſte ſit legis promulgatio, qua ejus nobis notitia inſinuatur (§. 256); evidens eſt legem poſitivam promulgatione indigere. *Quod erat primum.*

Lex poſitiva nobis innoteſcere nequit niſi promulgatione, *per num.* 1. Quamobrem cum lex nos obligare nequeat, cujus notitiam nullam habere valemus; lex poſitiva utique obligare non valet, niſi promulgetur. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum obligatio legis poſitivæ tota pendeat a voluntate ejus (§. 147), qui eandem fert, veluti Dei vel hominis (§. 149); in eadem quoque poſitum eſt, utrum ſtatim a die publicationis obligati eſſe debeamus, an a termino alio venturo. Quamobrem ſi in publicatione indicatur termi-

terminus, a quo incipere debet obligatio; extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, quin ante iſtum terminum non obliget. Quodſi vero nullus indicetur, non minus patet, velle eum, qui fert legem, ut ſtatim ſimus obligati. Obligat igitur a die publicationis. *Quod erat tertium.*

Non eſt quod excipias, ſi voluntate Dei obligemur ad id, ad quod jure naturali obligamur, legem naturæ abire in divinam, &, ſi voluntate hominis obligemur ad id, ad quod lege naturali obligamur, legem naturæ abire in humanam (§. 150), conſequenter dari ſaltem aliquas leges poſitivas, quæ promulgatione non indigent, utpote eaſdem cum naturalibus, promulgationem nullam exigentibus (§. 257). Etenim cum legis poſitivæ obligatio non aliunde dependeat, niſi a voluntate eam ferentis (§. 147), obligatio vero activa in connexione motivi cum actione conſiſtat (§. 118); ſi Deus voluntate quoque ſua nos obligat ad id, ad quod jam naturaliter ſumus obligati, vel etiam homines nos ad idem obligant; neceſſe eſt, ut legi naturali aliquid ſuperaddatur, quod ſit motivum actionis committendæ vel omittendæ diverſum ab intrinſeca actionum bonitate atque malitia, qua nititur naturalis obligatio, quemadmodum ea demonſtratione ejuſdem ſuperius tradita liquet (§. 127). Et eatenus quoque opus eſt promulgatione. E. gr. Homicidium lege naturali prohibitum. Quodſi idem prohibetur lege poſitiva humana, additur pœna homicidii, quam lex naturæ non dictitat, etſi eadem non repugnante, imo urgente, dictitetur. Atque adeo opus eſt promulgari legem natura homini notam, non quatenus ſimpliciter prohibetur homicidium; ſed quatenus prohibetur ſub pœna a transgreſſore exigenda, propterea quod nemo impune alterum occidere debeat. Similiter ſi homicidium prohibetur a Deo lege poſitiva, additur pœna ejuſdem, veluti quod homicida privari debeat ſpe vitæ æternæ, quam lex naturæ non dictitat. Atque adeo opus eſt promulgari legem natura homini notam, non quatenus ſimpliciter prohibetur homicidium; ſed quatenus ſub pœna vitæ æternæ amittendæ prohibetur. Unde & hanc voluntatem divinam nobis ſignificavit *Joannes 1. Epiſt. III.* 15 ubi: Omnis homicida, inquit, non habet vitam æternam in ſeipſo.

§. 259.

Quomodo lex naturæ nobis innoteſcat.

Lex naturæ nobis innoteſcit per rationem. Etenim lex naturæ rationem ſufficientem habet in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura (§. 135), adeoque primitivæ, quæ inde demonſtrantur (§. 183), immediate rationem ſuam in eadem agnoſcunt: leges autem derivativæ rationes habent legales (§. 185), adeoque in aliis legibus naturalibus (§. 134). Quoniam ea inter ſe connectuntur, quorum unum in ſe continet rationem alterius (§. 10 *Coſmol.*); leges naturales cum inter ſe, tum cum ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura connectuntur. Qui adeo cognoſcit legem aliquam eſſe naturalem; is ejuſdem nexum cum eſſentia & natura hominis rerumque atque inter ſe invicem perſpicit. Enimvero facultas perſpiciendi nexum veritatum univerſalium, quales eſſe leges nemo dubitat, ratio eſt (§. 483 *Pſychol. empir.*). Patet igitur legem naturæ nobis innoteſcere per rationem.

Nobis non ſermo eſt de iis, qui legem aliquam eſſe naturalem fando didicere ab aliis; minime autem ipſimet per ſe agnoſcunt aſſerti veritatem. His enim non innoteſcit per rationem. Conſtat vero non poſſe alteri fando innoteſcere, niſi ante cui innotuerit per rationem. Sane ſi lex promulgatur poſitiva, qui publicationi præſentes ſunt, iis innoteſcit per promulgationem: abſentibus vero quando narrant, qui præſentes aderant, illi hanc eſſe legem auditu nonniſi percepere. Quamobrem id ſingulare non eſt in lege naturali, quod aliis per rationem innoteſcat, alii vero ex his intelligant, eſſe hanc vel iſtam legem naturalem.

§. 260.

Dependentia cognitio-

Quoniam lex naturæ per rationem nobis innoteſcit (§. 259): *quo magis excolitur ratio, eo intimius in cognitionem juris naturalis penetrare licet;*

Digitized by Google

nis juris natura- lis a cultura rationis.

licet; quo vero minor hominibus eſt ratio, eo etiam rudior illius ipſis notitia eſt.

Abunde hæc confirmabuntur, ubi ad tractationem ſpecialem deſcenderimus. Sane antiquis temporibus multa pro jure naturali fuere habita, quæ tamen eidem e diametro adverſantur: ea quibus etiam nonnulla in Jus Romanum irrepſere. Nec hodie doctrina Juris naturalis controverſiis caret. Imo deſideratur adhuc theoria eaaſciata hujus Juris, in qua leges naturales eo ordine exhibentur, ut mutua earundem a ſe invicem eluceat dependentia, omnium inter ſe concordia ac veritatis indubitatæ evidentia. Quædam iſtius Juris principia adeo evidentia ſunt, ut ea nobis innoteſcant, quamprimum conceditur aliquis rationis uſus, vel ſaltem moniti ab aliis earum veritatem confuſe ſtatim percipiamus. Ideo connata vulgo dicuntur, termino non ſatis explicato. Et qui judicia deproperant, in univerſum affirmare non dubitant, legis naturæ notitiam homini connaſci. Imo promiſcue dicunt, legem naturæ homini eſſe connatam, jus naturæ eidem eſſe connatum & notitiam legis naturæ ſeu juris naturæ nobis eſſe connatam, quaſi hæc omnia unum idemque ſignificent, cum tamen explicatis rite notionibus a ſe invicem differre debeant locutiones iſtæ, quemadmodum ex ſuperioribus facile intelligitur. Sed noſtrum jam non eſt in hæc inquirere ſollicitius. Ubi dederimus theoriam Juris naturalis, ſua ſponte patebit, quo ſenſu iſtiuſmodi locutiones admittendæ veniant, a quarum diſtincta explicatione nihil in theoria condenda auxilii expectare datur.

§. 261.

Juris naturæ notitia quinam careant.

Similiter quia lex naturæ nonniſi per rationem innoteſcit (§. 259); *qui rationis uſu non pollent, iis lex naturæ non innoteſcit*. Unde cum brutis nullus concedatur uſus rationis (§. 762 *Pſychol. rat.*); *ideo in bruta non cadit legis naturæ notitia*. Similiter cum *infantes* uſu rationis deſtituantur, cumque demum acquirant (§. 459 *Pſychol. rat.*); *ante uſum rationis legis naturæ notitia carent*. Et quia *homines inter bruta educati ac cum ipſis vitam degentes*, imo *a nativitate ſurdi ac muti* rationis uſum minime conſequuntur (§. 461 *Pſychol. rat.*); *legis naturalis notitia deſtituuntur*.

De brutis nemo eſt, qui dubitat. Unde *Ulpianus* l. 1. ff. de J. & J. Videmus, inquit; cetera quoque animantia, feras etiam, iſtius juris, ſcilicet naturalis, perita cenſeri. Nimirum non affirmat, animalia bruta Juris naturalis eſſe perita; ſed tantummodo contendit, quod ita agant, ac ſi notitia ejuſdem eſſent inſtructa, quoniam ex naturæ quodam inſtinctu agunt, quod homines ex ratione agere debent. Quomodo vero cum eodem *Ulpiano* dici poſſit, quod natura Jus naturale, commune nimirum (§. 162), omnia animalia docuerit; in Horis Subſecivis A. 1729. Trim. brun. n. 2 explicavimus. Ante uſum rationis homines non differunt a brutis, ad quamcunque ætatem pervenerint (§. 220). Unde ad eoſdem applicari debent, quæ de brutis quilibet ultro concedit. Diſerte annotatur in Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſinæ (§. 461 *Pſychol. rat.*), juvenem ruſticum a nativitate ſurdum, cum auditus compos fuiſſet factus, a Theologis ſolerter examinatum nullam de moralitate actionum ideam habuiſſe: ut adeo experientia abunde comprobetur, quod a priori intulimus in articulo præſente. Paradoxon hoc tantummodo videtur iis, qui non intelligunt, quod dicunt, quando affirmant, jus naturæ homini eſſe connatum.

§. 262.

Utilitas quid ſit, quid inutilitas.

Utile nobis dicitur omne id, cujus aliquem facere poſſumus uſum; ſeu quicquid uſui cuidam noſtro inſervire poteſt. Unde *Utilitas* eſt aptitudo præſtandi nobis aliquem uſum. Hinc etiam intelligitur, quid ſit *Inutile*, nimirum quod nobis nulli eſſe poteſt uſui: ut adeo *Inutilitas* ſit defectus aptitudinis præſtandi nobis aliquem uſum.

Non recedimus a recepto ſignificatu, quemadmodum per exempla eunti patet. Ita circinum utile dicimus in Geometria practica inſtrumentum, quod multiplicem nobis in eadem præſtat uſum, veluti in deſcribendo circulo, in conſtructionibus figurarum rectilinearum,

rum, in diviſione lineæ rectæ & peripheriæ circuli. Inutilem vero ſibi eſſe pronuntiat circinum, qui cum Geometria practica nihil habet negotii, nec alium circini uſum facere poteſt. Similiter utiles homini dicimus piſces, quia ciborum uſum præbent; utiles appellamus gemmas, quia inſerviunt ornatui & delectamento ſunt; utile vocamus inſectum aliquod, quia inſervit cognitioni naturæ. Qualiſcunque enim fuerit uſus, quem entis cujuſdam faciunt homines, ob eundem id ipſum utile vocatur. Et quando utilitatem demonſtrare tenemur, uſus indicamus, quos id habere poteſt, de cujus utilitate diſquiritur. Utilitatem adeo homines non eodem modulo metiuntur omnes, propterea quod non omnes eundem curant uſum. Unde diverſa haud raro ſunt de utilitate rei cujuſdam judicia. Solenne enim eſt pleriſque, ut, quem ignorant vel contemnunt, uſum pro nullo habeant, atque adeo inter inutilia referant, quæ maxime utilia ſunt. Ceterum definitio utilitatis ſupponit definitionem uſus, quam alias me dediſſe memini (*§. 646 part. I. Theol. nat.*), hic non repetendam.

§. 263.

Utilitas juris naturalis evicta.

Jus naturale homini utile eſt. Jus enim naturale vi legis naturalis homini competit (§. 160). Quamobrem cum lex naturæ homini non modo det jus ad actiones eas committendas, & omittendas, ad quas committendas & omittendas ipſum obligat (§. 158), verum etiam ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfacere nequit (*§.* 159), nulli vero concedat jus impediendi alterum, quo minus jure ſuo naturali utatur (§. 180), atque præceptiva lex nos obliget ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri perfectionem tendunt, eas vero omittendas, quæ ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 152); evidens eſt Jus naturale facere ad promovendam perfectionem & avertendam imperfectionem noſtram, nec aliis permiſſum eſſe, ut in illa promovenda, hac avertenda nos impediant (§. 165), conſequenter uſui nobis eſſe in promovenda perfectione noſtra ſtatuſque noſtri perfectione, & avertenda noſtra ſtatuſque noſtri imperfectione (§. 646 *part. I. Theol. nat.*). Quamobrem cum nobis utile ſit, quod uſum quendam nobis præſtat (§. 262); jus naturale homini utile eſſe patet.

Quoniam utilitatem juris naturalis in genere evincimus, uſus quoque nonniſi generalis allegari potuit. Ubi igitur in ſpecie explicaverimus, quænam jura particularia homini competant per ipſam eſſentiam atque naturam ejuſdem; utilitas quoque per uſus particulares clarius eluceſcet. Ceterum utilitas cognitionis juris naturalis non confundenda eſt cum utilitate cognitionis hujus juris.

§. 264.

Quod phyſice poſſibile non moraliter tale.

Ideo quid moraliter poſſibile non eſt, quia phyſice poſſibile, ſeu phyſica poſſibilitas non eſt ratio ſufficiens poſſibilitatis moralis. Etenim cum phyſice poſſibile ſit, quod viribus agentis non repugnat (§. 952 *part. I. Theol. nat.*), ſi quid ideo moraliter poſſibile, quia phyſice poſſibile, ſeu ratio ſufficiens poſſibilitatis moralis ſit phyſica poſſibilitas, ex eo quod quid a nobis fieri poſſit, intelligitur, quod moraliter poſſibile ſit (§. 56 *Ontol.*): quod cum ſit abſurdum (§. 952 *part. I. Theol. nat.*), ideo quid moraliter poſſibile eſſe nequit, quia phyſice poſſibile, ſeu phyſica poſſibilitas non eſt ratio ſufficiens poſſibilitatis moralis.

P 2 Poterat

Poterat hoc ſumi per modum axiomatis, propterea quod ex collatione definitionum phyſice ac moraliter poſſibilis ejus ſtatim elucet veritas. Moraliter enim poſſibile ideo contradiſtinguitur ei, quod phyſice poſſibile, quia non omne, quod phyſice poſſibile, etiam moraliter tale.

§. 265.

Utilitas juris ratio ſufficiens non eſt.

Si quid tibi utile eſt, non ideo jus ad id habes, quia utile, ſeu ſola utilitas non eſt ratio ſufficiens juris. Etenim ſi quid tibi utile eſt, ejus aliquem facere potes uſum (§. 262). Phyſice igitur poſſibile eſt, ut eum facias (§. 952 *part. I. Theol. nat.*). Enimvero cum ideo quid moraliter poſſibile non ſit, quia phyſice poſſibile (§. 264); moraliter poſſibile non eſt, ut hunc rei facias uſum, quia id phyſice poſſibile. Quamobrem cum potentia agendi, quod moraliter poſſibile, ſit facultas agendi moralis (§. 953 *part. I. Theol. nat.*), hæc vero facultas jus ſit (§. 156); ideo ad quid jus non habes, quia tibi utile.

Nimirum quia tibi qoid utile, eo utendi facultatem phyſicam habes; at non moralem, ſive jus. Quodſi ergo non ſumatur, niſi quod qoid tibi ſit utile; ex eo inferri nequit, tibi ad id jus quoddam competere. Etenim quia tibi utile; certos tibi præſtare poteſt uſus: inde tamen non ſequitur, quod ad eos uſus id adhibere &, ut adhibere poſſis, arripere tibi liceat. Adeſſe debet aliqua ratio, cur tibi hoc liceat. Hæc ubi ceſſat; utilitas ſola jus dare nequit. Utilitas equidem movet appetitum, ut habere cupiamus jos, quod utile nobis agnoſcimus: ſed niſi jus aliunde detur, nulla, quæ ad idem quomodocunque tendit, vel circa idem verſatur, actio licita. Unde in negotiis publicis alia de jure quæſtio eſt, alia de utilitate. Has quæſtiones qui confundunt, pſeudopolitici ſunt. Præſens adeo propoſitio magnum affert tum ad theoriam actionum, tum ad earundem praxin momentum.

§. 266.

An jus ſit inventum humanum.

Jus non ſolummodo ex utilitate conſtitutum eſt ab hominibus. Etenim lex naturæ ipſa natura atque eſſentia hominis rerumque conſtituta eſt (§. 136), conſequenter etiam jus naturæ, cum vi legis naturalis hominibus competat (§. 160), ipſa natura atque eſſentia hominis rerumque conſtitutum. Jus igitur non ſolummodo ex utilitate ab hominibus conſtitutum eſt.

Carneades, qui judicio *Ciceronis* lib. 2. de Orat. cap. 38 vi incredibili dicendi & varietate nullam unquam in ſuis diſputationibus rem defendit, quam non probavit; nullam oppugnavit, quam non everterit, cum Romæ legatos ab Athenienſibus miſſus juris naturalis oppugnationem ſuſciperet, quod copioſe defenderat, referente *Lactantio* de Juſtitia cap. 14, non validius argumentum invenit, eodem auctore Inſtit. divin. lib. 5. cap. 16, iſto, homines ſibi jura conſtituiſſe ex utilitate varia pro moribus & apud eoſdem pro temporibus ſæpe mutata, jus autem naturale eſſe nullum. Cum jus naturale ſit utile (§. 263), neque etiam negari poſſit, quod homines in ſocietates civiles coeuntes utilitate juris permoti leges civiles ſibi fecerint; argumentum ad ſpeciem videtur compoſitum. *Carneadi* adeo rectius reſponderi nequit, quam ſi concedatur juris omnis utilitas (§. 263), negetur tamen utilitatem eſſe fontem omnis juris (§. 265), cum jus naturæ, unde jura cetera omnia, ſiquidem rite ſe habent, dependent, quemadmodum ſuo loco ac tempore oſtenſuri ſumus, ex ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura tanquam ex fonte ſuo profluat (§. 161). Notandum præterea, etſi jus ſemper ei utile ſit, qui ipſum habet; non tamen ex adverſo obligationem ad idem alteri præſtandum vel intemeratum relinquendum ſemper eſſe utilem ei, quem penes ea eſt. Lex autem naturæ nos obligat alteri haud raro abſque utilitate noſtra (§. 232. 231): id quod ſuo tempore locoque clarius patebit. Exempli loco ſit obligatio ad dandum eleemoſynam egeno. Jus petendi eleemoſynam egeno utile & quæ eidem reſpondet in altero obligatio itidem utilis; ſed qui dat eleemoſynam, nullam inde ſentit utilitatem, ſepoſitis præmiis divinis, quæ ad doctrinam juris naturalis minime ſpectant, & quorum non habetur ratio, ubi quæritur, an ſola

utilitas

Digitized by Google

utilitas ſit mater omnis juris & jura ab hominibus conſtituta ſint, quatenus in propriam utilitatem feruntur.

§. 267.

Potentia non dat jus.

Si quid potentiæ tuæ non repugnat, non ideo jus ad id habes, quia non repugnat, ſeu potentia non eſt ratio ſufficiens juris. Etenim ſi quid potentiæ tuæ non repugnat, id phyſice poſſibile eſt (§. 952 *part. I. Theol. nat.*); ſed id quod phyſice poſſibile eſt, non ideo moraliter poſſibile (§. 264). Ergo ideo, quod quid potentiæ tuæ non repugnat, facultas agendi moralis tibi non eſt (§. 953 *part. I. Theol. nat.*). Quamobrem cum facultas agendi moralis jus ſit (§. 156); ſi quid potentiæ tuæ non repugnat, non ideo ad id jus habes, quia non repugnat, conſequenter cum ex eo, quod quid potentiæ tuæ non repugnet, non intelligatur, te ad id jus habere, potentia non erit ratio ſufficiens juris (§. 56 *Ontol.*).

Quodſi potentia ſit ratio ſufficiens juris, quicquid agere potes, jure agis (§. 118 *Ontol.*). Moraliter itaque neceſſe non eſt, ut omittas, quæ agere potes (§. 115), conſequenter ad nihil omittendum obligaris, niſi quod vires tuas ſuperat, ne fruſtraneo conatu nihil agas. Revera igitur tollit omnem actionum intrinſecam moralitatem, qui fontem juris potentiam facit, quemadmodum facit *Spinoſa*. Etſi autem ſententia hæc de potentia, fonte juris naturalis, ſit admodum periculoſa & omni virtuti contraria; negari tamen non poteſt, eam multorum animos obſediſſe, qui negotiis publicis gerendis præficiuntur. Exiſtimant enim Regibus licere omnia, quæ facere poſſunt, prudentiam autem jubere, ne quid moliantur, quod non ſit utile. Qui vero ita ſentiunt, revera cum *Carneade* faciunt, jus omne tollendo, nec niſi nomen inane ejus relinquendo. Quam adverſa ſit hæc opinio ſaluti gentium, quam noxia ſaluti hominum privatorum in civitate viventium, nemo non videt. Ceterum cum in ſuperioribus oſtenderimus dari obligationem naturalem ab ipſa hominis eſſentia atque natura inſeparabilem, & jus naturæ in eadem eſſentia atque natura hominis rationem ſufficientem habere: noxiam iſtam opinionem eo ipſo funditus evertimus, ut adeo in ejus abſurditate demonſtranda multi eſſe haudquaquam teneamur.

§. 268.

Cur homo ratione valens ſibimetipſi lex ſit.

Homo ratione valens & utens ſibimetipſi lex eſt. Etenim qui ratione valet ac utitur, ea cognoſcit, quæ per rationem nobis innoteſcunt. Pone nimirum, ſi fieri poteſt, contrarium, quod tum non cognoſcas, quæ per rationem nobis innoteſcunt: neceſſe eſt ut aut rationis prompto uſu deſtituaris, aut eadem in cognoſcenda aliqua veritate uti nolis, conſequenter ratione non vales, aut, ſi valeas, non uteris *contra hypotheſin*. Enimvero lex naturæ nobis innoteſcit per rationem (§. 259), & quo magis excolitur ratio, eo intimius in cognitionem juris naturalis penetrare datur (§. 260). Quamobrem qui ratione valet ac utitur, legem naturæ cognoſcit, cumque rationem ejus ſufficientem in ſeipſo deprehendat (§. 135), non opus eſt, ut, quamdiu rationis ductum ſequitur, alius ipſi legem ferat. Atque adeo patet, quod ſibimetipſi lex ſit.

Qui ratione regitur, ea facit quæ ſunt legis, etſi nemo agendi neceſſitatem imponat invito, ut metu retrahatur, ſpe attrahatur appetitus in contrarium. Videbimus paulo poſt, quanti ſit ex ratione vivere. Nimirum etſi nulla daretur poſitiva obligatio, quæ a ſuperiore venit; qui ratione pollet ac eadem in dirigendis actionibus liberis utitur, ea tamen faceret, quæ ſunt legis naturalis, &, ubi lex poſitiva impune quid fieri permittit, non facit, quod rectum non eſt. Vim obligationis naturalis qui in ſe minime percipiunt, ipſo opere oſtendunt, quod procul adhuc abſint ab ea facultatum animæ perfectione, quam lex naturæ præ-

cipit

cipit & ipſa natura noſtra nobis commendat. Eaemplum habemus in ipſo Deo, qui, cum ratione ſumma utatur (§. 279 *part. I. Theol. nat.*), non facit niſi quod rectum eſt (§. 1099 *part. I. Theol. nat.*), etſi nullum agnoſcat ſuperiorem, qui ipſum ad id faciendum obliget. Ceterum non adeo facile eſt, quemadmodum ex ſpeciali tractatinne abnnde eluceſcet, veritatem legum naturalium pleno ac immoto aſſenſu complecti, ut moveant voluntatem. Quamobrem non eſt quod miremur, dari plurimos, qui ex ſe alios judicantes propoſitioni præſenti experientiam adverſari arbitrantur.

§. 269.

Quomodo leges naturales cognoſcantur.

Leges naturales cognoſcuntur a priori. Etenim leges naturales cognoſcuntur beneficio rationis (§. 259). Sed quicquid beneficio rationis cognoſcimus, a priori cognoſcimus (§. 491 *Pſychol. empir.*). Leges igitur naturales cognoſcuntur a priori.

§. 270.

Idem ulterius expenditur.

Quoniam itaque ratiocinando nobis innoteſcit, quod a priori cognoſcimus (§. 434 *Pſychol. empir.*); *leges naturales ratiocinando nobis innoteſcunt* (§. 269).

Apparet adeo neceſſitas methodo demonſtrativa leges naturales, ſeu omnem juris naturalis theoriam in ſyſtema veri nominis redigendi, in quo eo ordine collocantur, quo aliæ ex aliis ratiocinando colliguntur: ſecus enim fieri nequit, ut, qui in diſcernendo vero a falſo, certo ab incerto, acumine utitur, veritatis convincatur. Nimirum ſumuntur ea, quæ de nobiſmetipſis a poſteriori nobis innoteſcunt, cum in his demum ratio legum naturalium ac omnis juris naturalis ſufficiens contineatur (§. 135. 161): ex hiſce vero concatenata ratiociniorum ſerie deducuntur, quæ de rectitudine ac bonitate actionum præſcribit ratio. Atque hoc pacto leges naturales omnes nobis innoteſcunt a priori, etſi ea, quæ de nobis ſumuntur, a poſteriori addiſcamus, aut potius intuitive cognoſcamus. Equidem *Grotius* jus naturæ quoque a poſteriori probare nititur, Gentium ſcilicet conſenſu, per facta & teſtimonia ex auctoribus Græcis præſertim atque Romanis petita; ſed eum ipſemet *in Prolegomenis* §. 40 vim probandi huic conſenſui non tribuat, niſi quatenus ad rectam illationem ea naturæ principiis procedentem referendus, jus naturæ nonniſi ratiocinando Gentibus innotuiſſe agnoſcit, nec primitus alio modo cognoſci poſſe hoc ipſo fatetur.

CAPUT III.

De Deo, Legis naturæ Auctore, Præmiis & Pœnis.

§. 271.

Auctor legis quinam dicatur.

A*Uctor legis* dicitur, qui eam condit.

Nimirum quemadmodum auctor libri dicitur, qui librum conſcripſit: ita auctor legis vocatur, qui eam condit. Ponamus e. gr. philoſopho juris perito committi a populo quodam, ut leges civiles condat; dicetur is earum auctor. Similiter ſi quis Princeps collegio cuidam mandat, ut ſtatuta condat; erunt membra hujus collegii ſtatutorum conditores.

§. 272.

Legislator quinam ſit.

Legislator appellatur, qui legem ſervari jubet, ſeu præcipit.

Diſtinguimus auctorem legis a legislatore, quia legem condere & ut ſervetur præcipere, duo ſunt diverſi actus, qui non ſemper ſunt in eodem ſubjecto, nec idem operantur. Sit ita, quod ambiguo loquendi uſu ſubinde legislator dicatur etiam auctor vel conditor legis, non ſolum quia ipſemet legem condidit, non aliena opera in ea condenda uſus; verum

etiam

etiam quia quod per alium facit, ipſe feciſſe putatur. Quoniam tamen hi duo actus a nobis diſtingui jam debent, auctorem quoque legis a legislatore diſtinguere malumus, ne ambiguum ſit, quod probari debet.

§. 273.

Legis naturæ auctor Deus eſt. Etenim omnium rerum ipſiuſque hominis eſſentia arque natura actu intellectus divini reſultat (*§. 192 part. I. Theol. nat.*). Quamobrem cum poſita eſſenria atque natura rerum hominiſque ponatur lex naturæ (§. 136), actu intellectus divini lex quoque naturæ reſultat, conſequenter Deus legem naturæ condidit. Quoniam itaque legis auctor eſt, qui eam condidit (§. 271); legis naturæ auctor Deus eſt.

Auctor legis naturæ quinam ſit.

Lex adeo naturæ originem ſuam ad Deum refert. Quamobrem etſi Athei legis naturalis exiſtentiam negare non poſſint (§. 245); eius tamen ortum ignorant (§. 411 *part. II. Theol. nat.*). Intelligitur hinc etiam, nihil derogari auctoritati legis naturalis, dum ab hominis rerumque eſſentia atque natura derivatur, quatenus principia demonſtrandi ultima quærimus, cum hoc non obſtante ortus hujus legis referatur ad Deum.

§. 274.

Deus legem naturæ hominibus tulit. Etenim Deus præcipit, ut homo actiones ſuas dirigat ad ſui aliorumque ſtatuſque ſui ac aliorum perfectionem ac gloriæ divinæ manifeſtationem (§. 989 *part. I. Theol. nat.*). Quamobrem cum lex naturæ nos obliget ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt, & ad omittendas eas, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 152), imo ſtudium promovendi aliorum perfectionem (§. 223) & directio actionum ad gloriæ divinæ manifeſtationem ſit legis naturalis (§. 254); Deus præcipit, ut legem naturæ ſervemus (§. 138). Quoniam itaque legislator eſt ſeu legem aliis fert, qui eam ſervari præcipit (§. 272); quin Deus legem naturæ hominibus tulerit, dubitandum non eſt.

Quod Deus legem naturæ hominibus tulerit.

Atque adeo patet, Deo non adimi poteſtatem legislatoriam, utut lex naturæ a natura & eſſentia humana rerumque derivetur. Hoc enim non obſtante agnoſcere debemus, Deum nobis tuliſſe eam legem, quam naturalem appellamus.

§. 275.

Obligationis naturalis auctor Deus eſt. Obligatio enim naturalis ponitur poſita hominis rerumque eſſentia arque natura (§. 129). Quamobrem cum Deus hominem reſque ceteras creaverir (§. 379 *part. II. Theol. nat.*) & quidem libertime (§. 354 *part. II. Theol. nat.*), adeoque hominem & res talem eſſentiam atque naturam habentes non modo fecerir, verum etiam eos eam habere voluerit; evidens eſt quod hominem talem creaverir, ut naturaliter obligatus ſit, eumque naturalirer obligatum eſſe voluerit. Obligationis itaque naturalis auctor quin dici debeat Deus, dubitandum non eſt.

Quinam auctor obligationis naturalis.

Qui hominem a Deo factum eſſe novit, in dubium minime vocabit, quod naturalis obligatio Deo auctori ſit tribuenda. Neque enim quicquam habet homo, quod non acceperit a Deo: id quod in Horis Subſecivis An. 1729. Trim. æſt. n. 3 me uberius demonſtraſſe memini.

§. 276.

§. 276.

Obligatio divina ad legem naturæ ſervandā.

Deus hominem obligat ad legem naturæ ſervandam. Etenim Deus hominem obligat ad actiones non ſuo arbitratu, ſed juxta voluntatem ipſius determinandas (§. 987 *part. I. Theol. nat.*). Vult autem ut actiones ſuas dirigat ad perfectionem ſui ſtatusque ſui (§. 905 *part. I. Theol. nat.*), nec non aliorum ſtatusque aliorum (§. 909 *part. I. Theol. nat.*), atque gloriæ divinæ manifeſtationem (§. 918 *part. I. Theol. nat.*). Quamobrem hominem obligat ad directionem actionum ad ſui aliorumque, ac ſtatus ſui aliorumque perfectionem, & gloriæ divinæ manifeſtationem. Enimvero lex naturæ nos obligat ad directionem actionum ad noſtram ſtatusque noſtri (§. 152), nec non aliorum perfectionem (§. 223), & gloriæ divinæ manifeſtationem (§. 254). Deus itaque nos obligat, ut obligationi naturali ſatisfaciamus, ſeu actiones noſtras juxta legem naturæ determinemus. Enimvero legem naturæ ſervat, qui actiones ſuas juxta eandem determinat (§. 138). Quamobrem patet Deum nos obligare ad legem naturæ ſervandam.

In Theologia naturali docuimus, quænam ſint actiones iſtæ, ad quas committendas vel omittendas Deus nos obligat jure ſuo uſus, quod ipſi in hominem competit: hic vero oſtendimus, quænam ſint actiones, ad quas committendas vel omittendas nos obligat ipſa natura. Quodſi vero actiones haſce inter ſe conferimus, easdem eſſe deprehendimus, ad quas committendas vel omittendas per ipſam eſſentiam & naturam noſtram & a Deo obligamur. Quoniam itaque lex naturæ auctorem non agnoſcit alium niſi Deum (§. 273), nec alius præter Deum eſt obligationis naturalis auctor (§. 275); recte omnino dicitur, Deum hominem obligare ad legem naturæ ſervandam. Et quidni obligaret? cum legis hujus ipſemet auctor ſibi contrarius eſſe nequeat.

§. 277.

Lex naturæ quod ſit divina.

Lex naturæ eſt etiam lex divina. Etenim a Deo obligamur ad ſervandam legem naturæ (§. 276), conſequenter ad id, ad quod lege naturali obligamur (§. 138). Enimvero ſi voluntate Dei obligamur ad id, ad quod lege naturali obligamur; lex naturæ ſimul eſt lex divina (§. 150). Patet itaque legem naturæ eſſe etiam legem divinam.

Oſtenditur hic legem naturæ in omni ſua latitudine ſpectatam eſſe legem divinam, imo lex divina quoque eſt, quatenus non ſpectas niſi obligationem naturalem, cum ejus auctor ſit Deus (§. 275), perinde ac ipſius legis naturæ (§. 273). Non autem hic quæritur, num etiam legi naturali quidpiam ſuperaccedat, quod ſit a pura voluntate divina profectum, & legem naturæ, quæ neceſſaria eſt & immutabilis (§. 142), faciat ſimul poſitivam divinam (§. 149), quemadmodum exemplo homicidii paulo ante (*not.* §. 258) docuimus.

§. 278.

Identitas directionis actionum conformiter legi naturæ ac voluntati divinæ.

Directio actionum legi naturæ conformis eadem eſt cum directione actionum voluntati divinæ conformi. Etenim ſi directio actionum legi naturæ conformis eſt, eædem diriguntur ad perfectionem ſui ſtatusque ſui (§. 152) & ad perfectionem aliorum ſtatusque eorundem (§. 223), atque ad gloriæ divinæ manifeſtationem (§. 254). Enimvero ſi directio actionum divinæ voluntati conformis, eædem etiam diriguntur ad ſui ſtatusque ſui (§. 906 *part. I. Theol. nat.*) & aliorum ſtatusque eorundem perfectionem (§. 910

part. I.

part. I. Theol. nat.) atque gloriæ divinæ manifeſtationem (§. 918 *part. I. Theol. nat.*). Eſt itaque directio actionum legi naturæ conformis eadem cum directione actionum voluntati divinæ conformi.

Patet adeo ſecundum voluntatem divinam vivere, qui vivit ſecundum legem naturæ.

§. 279.

Quid ſit vivere ex ratione.

Qui ſecundum rationem vivit, is actiones ſuas ad voluntatem Dei componit. Quoniam enim lex naturæ per rationem innoteſcit (§. 259), qui ſecundum eam vivit, actiones ſuas legi naturæ conformiter dirigit. Enimvero qui actiones ſuas legi naturæ conformiter dirigit, voluntati divinæ conformiter eas dirigit, ſeu ad voluntatem divinam componit (§. 278). Quare qui ſecundum rationem vivit, is actiones ſuas ad voluntatem Dei componit.

Patet itaque ſecundum rationem vivere & ſecundum voluntatem Dei vivere eſſe unum idemque, ſi nempe in iis acquieſcas, quæ lumine rationis nobis innoteſcunt, & de quibus ſolis agit philoſophus.

§. 280.

Quid ſit vivere naturæ ſuæ convenienter ſeu vitâ hominis.

Qui naturæ ſuæ convenienter vivit, ſeu quemadmodum decet hominem; is ſecundum voluntatem Dei vitam ſuam componit. Etenim cum lex naturæ nos obliget ad committendas actiones eſſentiæ ac naturæ noſtræ convenientes (§. 188); qui naturæ ſuæ convenienter vivit, actiones ſuas legi naturæ conformiter determinat. Enimvero qui actiones ſuas legi naturæ conformiter determinat, is voluntati divinæ conformiter eas determinat (§. 278), conſequenter vitam ſuam ſecundum voluntatem Dei componit. Ergo qui naturæ ſuæ convenienter vivit, ſeu quemadmodum decet hominem, is ſecundum vuluntatem Dei vitam ſuam componit.

Patet itaque ſecundum rationem vivere, naturæ ſuæ convenienter ſeu vitam hominis vivere, ſecundum legem naturæ vivere & ſecundum voluntatem divinam vivere eſſe unum idemque. Sive itaque dicas id eſſe juris naturalis, quod rationi convenit, ſive quod naturæ humanæ convenit, ſive quod hominem decet, ſive quod voluntati divinæ conforme eſt; revera unum, idemque dicis. Etenim ſi demonſtrare debes, quidnam rationi conveniat, quid conveniat naturæ humanæ, quid hominem deceat, quid voluntati divinæ conforme ſit, quoad actionum liberarum determinationem, modo in demonſtrando fueris verſatus, eandem ſemper reperies actionum liberarum directionem. Noſtrum igitur fuit hoc oſtendere, ut diverſas ſcriptorum de principio juris naturalis ſententias inter ſe conciliemus, & quod ad noſtrum reducantur, patefaciamus. In Theologia naturali deduximus ea natura voluntatis divinæ eandem actionum directionem, quam ſupra ex eſſentia atque natura hominis eruimus. Cumque eſſentiæ & naturæ humanæ non conveniant actiones, niſi quatenus rationem ſufficientem in eadem habent, ex eo autem directionem actionum, quam determinat lex naturæ, in ſuperioribus deduximus, quod ea rationem ſufficientem in eſſentia & natura hominis habeat; eo ipſo jam patet, quomodo jus naturæ colligatur ex convenientia actionum cum natura humana. Difficilius foret directionem actionum iſtiuſmodi, qualem legi naturali vindicavimus, ex eo colligere, quod actiones rationi convenienter ſint dirigendæ. Quamvis autem difficultas non ſit prorſus inſuperabilis; noſtrum tamen jam non eſt præter neceſſitatem in tantas ambages deſcendere.

§. 281.

Cur Deus homini legem ferre debuerit.

Deus velle non potuit, ut homo eſſet ſine lege, ſeu ſuo viveret arbitratu. Etenim Deus hoc univerſum produxit propter aliquem finem (§. 603 *part. I. Theol. nat.*), & quæ ex eſſentia & natura rerum materialium conſequun-

tur, adeoque actiones corporum naturales (§. 12), ſunt fines a Deo intenti (§. 645 *part. I. Theol. nat.*), illi ſubordinati (§. 631 *part. I. Theol. nat.*), ut tandem omnes ſimul ſint ejuſdem medium (§. 635 *part. I. Theol. nat.*), corporibus totaque rerum natura agentibus propter hoſce fines, ac ſi ipſamet eos intenderent (§. 661 *part. I. Theol. nat.*), vult autem Deus, quod ipſum decet (§. 335 *part. I. Theol. nat.*), conſequenter id, cujus ratio aliqua in ſapientia ipſius continetur (§. 640. 332 *part. I. Theol. nat.*), quemadmodum & omnia in hoc univerſo ſapientiſſime decrevit (§. 643 *part. I. Theol. nat.*). Quamobrem cum vi ſapientiæ ſuæ hominem quoque, cujus creator eſt (§. 782 *part. I. Theol. nat.*), propter aliquem finem fini mundi ſubordinatum fecerit (§. 678 *Pſychol. rat.*); fieri haudquaquam aliter potuit, quam ut quoque voluerit, hominem actiones ſuas liberas fini huic convenienter determinare. Quoniam itaque determinatio hæc regula eſt (§. 475 *Ontol.*), cumque jus obligandi hominem ad actiones juxta voluntatem divinam determinandas habeat (§. 986 *part. I. Theol. nat.*), ſi velit eum juxta iſtam regulam actiones ſuas determinare, eum quoque obliget ad hoc faciendum; regula hæc vero, juxta quam actiones liberas determinare obligamur, lex ſit (§. 131); ſalva ſapientia divina aliter fieri non potuit, quam ut homini legem præſcriberet. Patet adeo, quod Deus velle non potuerit, ut homo eſſet ſine lege, conſequenter ſuo viveret arbitratu.

Hobbeſius ſibi perſuaſit legem naturæ dari nullam, ſed liberam voluntatem homini a Deo datam legis loco. Unde eſt, quod nos tandem deduxerit ex bello omnium adverſus omnes, ſicque non procul abſuerit a *Carneadis* ſententia, quod homines utilitate ſibi ſanxerint jura. Sane qui ita ſentiunt, in Theologia naturali hoſpites ſunt, quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præſentis abunde liquet. Poterant ex natura Dei alia adhuc deſumi argumenta, quibus veritas propoſitionis præſentis evincitur. Sed cum in Theologia naturali jam demonſtraverimus (§ 987 *part. I. Theol. nat.*), Deum non reliquiſſe hominem ſuo arbitratui, & quænam ipſi præcipiat (§. 989 *part. I. Theol. nat.*), quænam prohibeat (§. 990 *part. I. Theol. nat.*), prolixiores jam eſſe nolumus.

§. 282.

An Deus legem naturali contrariam ferre poſſit.

Deus non potuit homini præſcribere legem naturali contrariam. Etenim lex naturæ non minus, quam obligatio, quæ ab eadem venit, ſeu naturalis (§. 141), neceſſaria eſt ac immutabilis (§. 142). Quamobrem cum tam legis naturæ (§. 273), quam obligationis naturalis ipſemet auctor ſit (§. 275); fieri quoque non potuit, ut homini præſcriberet legem naturali contrariam.

Nimirum quia velle non potuit, ut homo eſſet ſine lege (§. 281), eum autem talem condidit, ut per ejus eſſentiam atque naturam ponatur lex naturæ (§. 136) & obligatio naturalis (§. 129); ſibimetipſi foret contrarius, ſi homini legem præſcriberet legi naturæ contrariam.

§. 283.

An legi naturæ contra-

Quoniam Deus homini præſcribere nequit legem naturali contrariam (§. 282), legis autem præceptivæ actus eſt præcipere (§. 164); *Deus*

præci-

præcipere nequit, quæ legi naturali contraria ſunt, vel eidem repugnant, conſequenter *quæ lege naturali prohibentur* (§. 163. 164).

ria præcipere poſſit.

Quibus contrarium videtur, ii nec animum advertunt ad immutabilitatem & neceſſitatem legis naturæ & ab ea venientis obligationis (§. 142), nec perpendunt, quod Deus minime velit, niſi quæ ipſum deceant (§. 335 *part. I. Theol. nat.*): imo ſanctitatem Numinis diſtincte animo non comprehendunt, quæ ſicuti in actionum rectitudinem (§. 1064 *part. I. Theol. nat.*), ita tandem in id, quod ipſum decet, reſolvitur (§. 950. 332 *part. I. Theol. nat.*).

§. 284.

Lex naturæ eſt voluntati divinæ conveniens. Etenim lex naturæ urget noſtram ſtatuſque noſtri perfectionem (§. 152). Enimvero voluntas divina tendit ad id, quod in ſe optimum eſt (§. 383 *part. I. Theol. nat.*), adeoque Deus velle nequit, niſi eam actionum humanarum directionem, qua homo efficitur optimus in ſuo genere. Quoniam itaque bonum in ſe quid dicitur, quatenus ſuam habet perfectionem tam eſſentialem, quam accidentalem; Deus vult ſummam hominis, quam conſequi valet, perfectionem, conſequenter fieri nequit ut aliam velit actionum humanarum directionem, quam ad hominis ſtatuſque ejuſdem perfectionem. Atque adeo patet legem naturæ eſſe voluntati divinæ convenientem.

Convenientia legis naturalis cum voluntate Dei.

Quodſi ergo quidam ſint, qui principium legum naturalium convenientiam cum voluntate divina eſſe exiſtimant; non aliam tamen actionum directionem admittere cenſentur, quam eam, quam nos in ſuperioribus ex hominis eſſentia atque natura deduximus. Quodſi enim ſumatur, quicquid cum voluntate divina convenit, id eſt committendum; quod eidem diſconvenit, illud omittendum; huc redit quæſtio, quidnam voluntati divinæ conveniat, quid diſconveniat. Hoc igitur ex natura voluntatis divinæ deducendum. Ex hac vero deducitur directio actionum ad noſtram ſtatuſque noſtri perfectionem. Imo non abſimili modo ex ipſa voluntatis humanæ natura deduci poterat eadem actionum directio. Etenim appetitus hominis generaliter ad bonum determinatus eſt, ut hæc ſit lex ejus: bonum eſſe appetendum (§. 904 *Pſychol. empir.*). Quodſi ergo ex ratione vivere debet, neceſſe eſt ut bonum appetat, quod ratione tale agnoſcitur. Quamobrem cum bonum ſit, quod nos ſtatumque noſtrum perficit (§. 554 *Pſychol. empir.*); evidens eſt, actiones liberas eſſe dirigendas ad noſtram ſtatuſque noſtri perfectionem. Quodſi adeo dixeris principium legis naturalis eſſe convenientiam cum voluntate ſeu appetitu rationali hominis; in eandem incidere debes naturæ legem, quam ſuperius ſtabilivimus. Non mirum hoc videbitur, niſi iis, qui methodi demonſtrativæ ſunt ignari: ceteris enim conſtabit, ſi plures fuerint propoſitiones a ſe invicem dependentes, earum una ſumta ceteras inde demonſtrari. Ita in Geometria parabola plures habet proprietates. Perinde vero eſt, quamnam earum ſumas loco definitionis, ut inde demonſtreutur ceteræ; unde videas ab uno ſumi, quod ab altero demonſtratur. Abſonum igitur eſt, diſputare de principio legis naturalis, ſeu eo, quod ſumitur, ut exinde demonſtrentur leges naturales: modo enim ex eo, quod ſumitur, demonſtrare poſſis, quales eſſe debeant actiones humanæ, unum idemque erit. Rectæ tamen methodo convenientiſſimum eſt, ut actionum humanarum directionem ex ipſa ejus eſſentia & natura deducas, cum ea quæratur, ubi de lege naturæ ſermo ſit.

§. 285.

Pœnam jam definivimus alibi (§. 1077 *part. I. Theol. nat.*) per malum phyſicum ab eo, qui alterum obligandi aliquod jus habet, ob malum morale eidem immiſſum. Et eum vocabuli ſignificatum etiam in philoſophia practica retinemus, ubi definitionis iſtius proprius eſt locus.

Pœnæ definitio.

Cum definitionem pœnæ in Theologia naturali traderemus, monuimus (*not. §. cit.*), eam in philoſophia practica evolvi debere: quod ut rectius fieri poſſit, ante nobis explicanda venit, ne perverſe intellecta præjudiciis & difficultatibus locum faciat. Malum phyſicum hic

opponitur malo morali, quod actionibus hominum liberis inhæret (§. 374 *part. I. Theol. nat.*). Et quemadmodum malum phyſicum in omni ſua latitudine diximus, quod ſtatum mundi quoad effectus naturales imperfectiorem reddere cenſetur, quam foret, ſi alii eſſent (§. 373 *part. I. Theol. nat.*); ita ad hominem reſtrictum appellatur, quod ſtatum ejus quoad modificationes internas & relationes externas imperfectiorem reddit, quam foret, ſi eædem abeſſent. E. gr. fuſtigatio creat homini dolorem, & dolor hic, quatenus ſtatus animæ redditur imperfectior, quia eidem moleſtus, tum etiam quatenus corpori inhæret, quod moleſtæ perceptioni reſpondet, hujusque ſtatum imperfectiorem reddit, malum phyſicum eſt, immo fuſtigatio, quæ dolorem creat, malum phyſicum appellari poteſt. Similiter ſi quis mulctam ſolvere tenetur, jus ei quoddam adimitur, quod antea habebat, dominium nempe ejus pecuniæ, qua mulcta conſtat. Juris autem omiſſio invita ſtatum noſtrum externum, & quatenus moleſtiam animo creat, internum quoque imperfectiorem reddit. Eſt igitur malum aliquod phyſicum. Nimirum qui fuſtigatur, qui mulctatur, invitus patitur, non vero libere quid agit. Quamobrem nullum hic ex parte ipſius adeſt malum morale, quippe quod appetitionibus tantummodo inhæret, quatenus contrarium appetere debebamus. Quodſi quis pecuniam profundit, jus etiam aliquod amittit, quod habebat, ſed libere: cumque jus iſtud conſervare deberet, defectus notatur in volitione, ob quam vitioſus eſt, atque hic defectus proprie malum morale eſt, quatenus ob eundem quis ipſemet ſtatum ſuum imperfectiorem reddit. Hæc probe notanda fuor, ne quis arguetur, quaſi per ea, quæ de malitia actionum intrinſeca in ſuperioribus dicta ſunt, malum morale cum phyſico confundatur. Notandum præterea eſt, nos conſulto dicere, pœnam eſſe malum, quod immittitur ab eo, qui alterum obligandi jus habet, non vero quod immittitur a ſuperiore. Videbimus enim ſuo loco jus puniendi etiam competere poſſe naturaliter æqualibus in æquales. Quomodo autem æquali naſcatur jus obligandi alterum ſibi æqualem docebitur ſuo loco. Alii dicere ſolent, *pœnam eſſe malum paſſionis, quod infligitur ob malum actionis*. Malum paſſionis nonniſi phyſicum malum eſt, quemadmodum modo diximus: malum actionis denotat hic malum morale. Unde ſenſus hic eſt: pœnam eſſe malum phyſicum, quod infligitur ob malum morale. Enimvero definitionem hanc eſſe latiorem ſuo definito patebit ſuo loco, & facile intelligitur, ubi ad exempla animum advertere velis.

§. 286.

Qualia mala ſint pœnæ humanæ.

Quoniam mala vel ſunt animi, vel corporis, vel fortunæ, & mala animi ad animam, mala corporis ad corpus, mala fortunæ ad ſtatum externum, veluti opes & famam, ſpectant (§. 567 *Pſychol. empir.*), nemo autem animæ malum immittere poſſit, niſi mediante corpore, vel iis, quæ ad ſtatum externum ſpectant, mediantibus, quatenus ſcilicet per ea moleſtia creatur animæ, quod unusquisque in ſeipſo experitur; *pœnæ, quæ ab homine infliguntur homini, vel ſunt mala corporis, vel mala fortunæ*.

Equidem non nego per pœnam intendi animæ moleſtiam ſive tædium; ſed id pœnæ conſequens eſt, quatenus ſcilicet oritur ex corporis vel fortunæ malo, hoc eſt, corporis vel ſtatus externi quadam imperfectione (§. 565. 538 *Pſychol. empir.*). Nemo etiam illam animæ moleſtiam pœnam vocat; ſed communi loquendi uſu pœnam appellant omnes id, ex quo iſta moleſtia reſultat. Quodſi dicas poſſe quoque hominem puniri ignorantia, quatenus impeditur, ne ab aliis ſive mutis, ſive vivis doctoribus inſtitui poſſit; eadem redit reſponſio: ſcilicet ignorantia eſt id, quod per pœnam intenditur, non vero id, in quo pœna conſiſtit: ea enim conſiſtit in his, quibus impeditur, ne quis rerum notitia animum imbuere poſſit. Seponimus jam quæſtionem de moralitate pœnarum, ubi de eo tantummodo ſermo eſt, quod fieri poſſit, non quod fieri debeat, quamvis in definitione jam removerimus mala moralia ex pœnarum numero, quippe obligationi erga alios contraria, imo obligationi naturali in genere repugnantia.

§. 287.

Effectus pœnæ.

Pœnæ ſunt motiva actionum committendarum vel omittendarum. Sunt enim malum phyſicum, quod infligitur ob malum morale (§. 285), conſequen-

ſequenter cum malum morale actionibus liberis inhæreat (§. 374 *part. I. Theol. nat.*), actiones vero vel poſitivæ, vel privativæ ſint (§. 24), ob actiones vel commiſſas, vel omiſſas. Quoniam itaque per commiſſionem vel omiſſionem actionis intelligitur, cur pœna infligatur; ea pœnæ infligendæ ratio ſufficiens eſt (§. 56 *Ontol.*), adeoque malum, in quo conſiſtit, cum actione poſitiva vel privativa connexum eſt (§. 10 *Coſmol.*). Quamobrem actionis commiſſionem ſive omiſſionem nobis repræſentare debemus tanquam malam. Enimvero repræſentatio mali eſt motivum nolitionis (§. 890 *Pſychol. empir.*), ut nolimus actionem, cui pœna ſtatuta eſt, committere, ſi privativa fuerit, vel ut nolimus eam omittere, conſequenter ut eandem velimus, ſi poſitiva fuerit. Patet adeo pœnas eſſe motiva actionum committendarum, vel omittendarum.

Nimirum pœna ſpectatur tanquam malum, quod ex actione ſive poſitiva, ſive privativa neceſſario conſequitur, propterea quod in agentis poteſtate poſitum non eſt effugere pœnam, ſi actionem vel commiſerit, vel omiſerit. Atque adeo actio, quæ malum aliquod habet annexum, judicatur & ipſa mala: quod enim noſtra voluntate ab ea ſeparabile non eſt, id tanquam ad eandem pertinens recte conſideratur.

§. 288.

Pœnarũ vis in obligando. *Pœnis obligari poſſunt homines ad actiones tam omittendas, quam committendas.* Etenim pœnæ ſunt motiva actionum committendarum vel omittendarum (§. 287). Quodſi ergo legi adjicitur pœna; motivum cum actione omittenda, vel non omittenda, conſequenter committenda connectitur. Obligamus alios, quando motiva actionum, ſive committendarum, ſive omittendarum cum iiſdem connectuntur (§. 118). Patet adeo pœnis obligari poſſe homines ad actiones tam omittendas, quam committendas.

Quoniam pœnæ malum quoddam ſunt (§. 285), mali vero repræſentatio motivum nolitionis eſt (§. 890 *Pſychol. empir.*); pœnis per ſe non obligamur ad aliquid faciendum, ſed tantummodo ad non faciendum. Quamobrem ſi pœna adjecta ſit actioni privativæ, privativam omittere, adeoque poſitivam committere debemus, qui enim obligatur ad non omittendum, committere utique tenetur, quod omittere nequit.

§. 289.

Sanctio pœnalis quid ſit. Adjectio pœnæ ad legem poſitivam dicitur *Sanctio pœnalis*.

Ita ſanctio pœnalis legis, ne furtum facias, eſt pœnæ, quæ in furem ſtatuitur, adjectio, ſcilicet quod furtum faciens laqueo ſuſpendi debeat in patibulo.

§. 290.

Obligatio poſitiva quænam. *Obligatio poſitiva* eſt, quæ proficiſcitur a voluntate entis cujuſdam rationalis, veluti Dei, vel hominis, ſeu a voluntate legislatoris.

Opponitur obligatio poſitiva eodem ſenſu naturali, quo lex poſitiva legi naturali opponitur. Nimirum obligatio naturalis ab eſſentia & natura hominis oritur (§. 129), perinde ac lex naturæ (§. 136); poſitiva vero a libera voluntate Dei vel hominum proficiſcitur, quemadmodum lex poſitiva divina atque humana (§. 149).

§. 291.

Qualis obligatio ſanctione pœnali introducatur. *Sanctione pœnali introducitur obligatio poſitiva.* Etenim ſanctione pœnali pœna adjicitur ad legem poſitivam (§. 289). Quamobrem cum pœnis obligentur homines ad actiones committendas, & omittendas (§. 288); ſanctione pœnali introducitur obligatio. Enimvero pœna libere adjicitur legi

legi ab eo, qui alterum obligandi aliquod jus habet (§. 285). Quæ adeo ſanctione pœnali introducitur obligatio, a voluntate legislatoris proficiſcitur. Quamobrem cum poſitiva ſit obligatio, quæ a voluntate legislatoris proficiſcitur (§. 290), ſanctione pœnali introducitur obligatio poſitiva.

Obligatio naturalis non opus habet peculiari actu, quo introducatur, cum ipſa enim lege ſimul oritur, atque ab eadem inſeparabilis eſt, neceſſaria & immutabilis cum ipſa, cui ineſt, lege (§. 142).

§. 292.

Neceſſitas ſanctionis pœnalis in lege prohibitiva poſitiva.

Ad legem prohibitivam poſitivam neceſſario requiritur ſanctio pœnalis. Lex enim prohibitiva obligare debet ad aliquid non agendum (§. 163). Quamobrem cum in lege poſitiva obligatio dependeat a voluntate legislatoris (§. 147. 272), legislator vero eos, quibus fert legem, ad aliquid non agendum obligare nequeat, niſi motivum actionis omittendæ ſeu non committendæ cum eadem connectat (§. 118); neceſſe eſt ut cum lege prohibitiva poſitiva connectatur aliquod motivum actionis omittendæ. Motiva actionum omittendarum ſunt pœnæ (§. 287): pœna igitur legi prohibitivæ poſitivæ adjicienda. Quoniam itaque adjectio pœnæ ad legem poſitivam ſanctio pœnalis eſt (§. 289); ad legem prohibitivam poſitivam neceſſario requiritur ſanctio pœnalis.

Sine obligatione lex nulla eſt, quippe quæ abſque ea concipi nequit (§. 131). Lex prohibitiva nos obligat ad non agendum (§. 163); adeoque cum eadem connectendum motivum nolitionis (§. 118): quod cum ſit repræſentatio mali (§. 890 *Pſychol. empir.*), cum in lege poſitiva obligatio proficiſcatur a voluntate legislatoris (§. 290), neceſſe eſt ut voluntate legislatoris ex actione perpetrata ſequatur malum, quod per ſe ex eadem minime ſequitur. Adjicienda igitur eſt pœna (§. 285), conſequenter ſanctio pœnalis ad legem prohibitivam poſitivam neceſſario requiritur. Quodſi ergo ponatur abeſſe ſanctio pœnalis, adeoque nulla legi prohibitivæ adjecta ſit pœna (§. 289); deeſt motivum nolendi actionem (§. 287), quam ut nolimus, vult legislator. Sua igitur voluntate nos obligare nequit. Non nego fieri poſſe, ut quis nolit, quæ lex prohibet, etiamſi nulla pœna adjecta ſit. Enimvero tum non omittit actionem, quia legislator vult eam omitti, ſed alia de cauſa. Quando vero lex fertur, id agitur, ut obligentur ad actionem omittendam, qui alias eandem minime omitterent.

§. 293.

Quando pœna obliget ad committendum actionẽ.

Si lex poſitiva prohibet, ne qua actio omittatur; ſanctio pœnalis obligat ad actionem committendam, quæ præcipitur. Etenim ſi lex poſitiva prohibet, ne qua actio omittatur; ſanctione pœnali, quæ ad eam requiritur (§. 292), introducitur obligatio poſitiva eam non omittendi (§. 291). Enimvero qui non omittere vult actionem, is eam committere debet: ſi enim committere non vult, eam omittere velit neceſſe eſt (§. 53 *Ontol.*). Motivum adeo nolendi omiſſionem actionis eſt ſimul motivum ejus committendæ (§. 887 *Pſychol. empir.*). Quamobrem ſi lex poſitiva prohibet, ne qua actio omittatur; ſanctio pœnalis quoque obligat ad actionem, quæ præcipitur, committendam.

Hinc intelligitur, ſanctionem pœnalem non poſſe adjici legi præceptivæ: repugnat enim naturæ voluntatis, ut repræſentatione mali adducamur ad volendum (§. 880 *Pſychol. rat.*). Quamobrem ubi pœnis adducere velis alterum ad aliquid faciendum, præcepto addenda prohibitio actionis privativæ, ſcilicet ne hoc facere omittat, quod ſanctionem pœ-

nalem

Digitized by Google

nalem adjunctam habet. Pœnam enim qui averſatur, actionem lege præceptam omittere non vult, & quatenus bonum exiſtimat evitare malum, quod non agendo incurrit, motivum adeſt volitionis (§ 890 *Pſychol. empir.*), atque ideo ratio ſufficiens, cur actionem committere velit, quam alias omittere mallet (§. 887 *Pſychol. empir.*). Vides itaque, quomodo naturæ voluntatis repugnet ſanctio pœnalis legi præceptivæ addenda, & quomodo tamen per eam fieri poſſit, ut eadem introducatur obligatio actionis committendæ, nimirum ſi feratur lex prohibitiva actionis privativæ, hoc eſt, ſi prohibeat lex, ne quid non fiat. Sanctio pœnalis legi præceptivæ addita contradictionem ponit ex natura voluntatis oriundam, quæ tollitur, ſi eidem jungatur prohibitiva actionis privativæ cum ſanctione pœnali.

§. 294.

Quid in ſanctione pœnali fiat.

In ſanctione pœnali legislator malum quoddam cum actione, quæ prohibetur, connectit, tanquam motivum ejus omittendæ. Etenim in ſanctione pœnali adjicitur pœna ad legem prohibitivam (§. 289), ut introducatur obligatio ad actionem non committendam (§. 291. 292). Pœna vero malum phyſicum quoddam eſt (§. 285) & obligatio fit connexo motivo actionis committendæ cum eadem (§. 118). Patet itaque in ſanctione pœnali legislatorem malum quoddam cum actione, quæ prohibetur, connectere tanquam motivum ejus omittendæ.

Hinc pœna definiri poteſt per malum, quod cum actione connectit legislator tanquam motivum eam omittendi, vel cum oppoſita tanquam motivum eam, quæ præcipitur, committendi. Hanc definitionem dedimus in philoſophia morali vernaculo ſermone edita & eam retinuit *Thümmigius* in *Inſtitutionibus* §. 39 *Phil. Pract. Univ.* Ex definitione itaque pœnæ ſupra data hæc fuit demonſtranda, ne videamur hic alia tradere, quam quæ ibidem docuimus.

§. 295.

Præmiū quid ſit.

Præmium eſt bonum, quod confertur in alterum ob actionem ſive poſitivam, ſive privativam ab eo, qui ad id conferendum eidem non obligatur.

Exemplo definitionem illuſtremus opus eſt, ut ejus a mercede appareat differentia, quam alibi ſuo tempore definiemus. Ponamus parentem dare filio, qui in examine bene ſtetit, duos florenos, vel nummum aureum. Dico duos florenos vel nummum aureum eſſe præmium diligentiæ. Suppono filium pecuniam referre in numerum bonorum, imo nemo negabit, nummum aureum accipere gratis eſſe bonum. Patet itaque, dans filio nummum aureum, bonum quoddam in eundem confert. Dat autem ideo, quia in examine ſtetit bene, conſequenter ob diligentiam, quam antea in diſcendo adhibuit, adeoque bonum in eum confertur ob actiones poſitivas. Per ſe patet, patrem non obligari filio ad pecuniam dandam pro diligentia, qua in diſcendo uſus. Confertur itaque bonum in alterum ab eo, qui ad idem conferendum minime obligatur. Quamobrem patet, præmium, quod dat pater filio ob diligentiam, eſſe bonum, quod in eum confertur ob actionem poſitivam a patre, qui ad idem conferendum ipſi minime obligatur. Aliter vero ſeſe res habet, ſi alteri do nummum aureum, ut quid faciat, ad quod faciendum mihi non obligatur, veluti pater præceptori eundem dat, ut intervallo unius vel alterius menſis filium inſtituat in lingua latina. Is enim ſolvitur ab eo, qui ad ſolvendum obligatur ex contractu pro opera præſtita. Præſens igitur definitio ad præmium agnoſcendum & a mercede diſtinguendum ſufficit in omni caſu.

§. 296.

Præmiorum effectus.

Præmia ſunt motiva actionum committendarum & omittendarum. Præmium enim eſt bonum, quod confertur in alterum ob actionem ſive poſitivam, ſive privativam (§. 295), adeoque ob præmium actionis commiſſio, vel omiſſio repræſentatur ut bona. Quoniam itaque boni repræſenta-

ſentatio eſt motivum volitionis (§. 890 *Pſychol. empir.*); præmium eſt motivum actionis poſitivæ committendæ, vel privativæ omittendæ.

Ita ſi præmium promittitur diſcipulo ob diligentiam in diſcendo adhibendam; ejus ſpe ad eandem is adducitur, ſicque præmium motivum diligentiæ eſt. Si præmium promittitur, ubi a ludo abſtinueris; præmium eſt motivum abſtinentiæ a ludo, dum ſpe ejus adductus ab eodem abſtines. Ipſa adeo exempla probant, præmia non minus actionum omittendarum, quam committendarum motiva eſſe poſſe. Nimirum quatenus præmium datur actionem vel committenti, vel omittenti, eatenus ſpectatur tanquam bonum, quod ex actionis commiſſione, vel omiſſione ſequitur, atque ob id ipſa actionis commiſſio, vel omiſſio bona cenſetur, quæ alias non haberetur pro bona, aut, ſi mavis, ipſa actio poſitiva, vel privativa habetur pro bona, quæ abſque præmio talis non videretur. Qui adeo præmium in actionem ſtatuit, is eam efficit bonam judicio ejus, qui præmium ex ea expectat; quemadmodum qui pœnam in actionem decernit, eandem efficit malam, judicio ejus, qui ex actione ſibi metuit, ne in eandem incurrat. Præmia igitur & pœnæ eum in finem inventa ſunt, ut actiones reddantur bonæ vel malæ, quæ alias ab agentibus pro talibus minime haberentur. Probe hæc notanda ſunt, ut difficultates evaneſcant, quas nonnulli ſibi fingunt circa obligationem naturalem, quaſi nullius ſit efficaciæ, quod careat coactione externa, qualem adeſſe putant in obligatione poſitiva.

§. 297.

Modus obligandi voluntatem.

Præmiis obligari poſſunt homines ad actiones committendas & omittendas. Etenim præmia ſunt motiva actionum committendarum & omittendarum (§. 296). Quamobrem qui præmium actionem committenti vel omittenti promittit; motivum ejus committendæ vel omittendæ cum ea connectit. Quoniam itaque alterum obligas ad actionem committendam, vel omittendam, ſi motivum committendæ vel omittendæ cum eadem connectis (§. 118); evidens eſt præmiis obligari poſſe homines ad actiones committendas, vel omittendas.

Præmiis proprie determinatur voluntas ad actionem, ut eam committere velimus; quemadmodum pœnis noluntas, ut eandem committere nolimus. Quemadmodum vero nolle omittere idem eſt, ac velle committere, ita ex adverſo velle omittere idem eſt, ac nolle committere. Quamobrem cum priori reſpectu obligari poſſimus pœnis ad actiones committendas, ita poſteriori reſpectu obligari poſſumus præmiis ad actiones omittendas. Etſi adeo pœnis proprie loquendo obligetur noluntas, præmiis voluntas; hoc tamen non obſtante utroque modo & ad actiones committendas, & omittendas obligari poſſunt homines. Quonam vero obligandi modo ſit utendum, ex circumſtantiis in dato caſu determinandum, ſuoque loco dabimus, quæ ſatisfaciunt.

§. 298.

Qualis obligatio per præmia introducatur.

Præmiorum promiſſione introducitur obligatio poſitiva. Si quis enim præmium promittit actionem committenti vel omittenti, cum ad idem conferendum alteri non ſit obligatus (§. 295); nulla neceſſitate adductus (§. 118), adeoque liberrime idem promittit. Obligatio igitur, quæ per præmium introducitur (§. 297), a liberrima obligantis voluntate proficiſcitur. Enimvero obligatio, quæ a libera legiſlatoris voluntate proficiſcitur, poſitiva eſt (§. 290). Obligatio itaque, quæ præmiorum promiſſione introducitur, poſitiva eſt.

Præmia cum actione non per ſe ſunt connexa, ſed connectuntur cum eadem libera legiſlatoris voluntate. Non igitur inde reſultare poteſt obligatio neceſſaria, qualis naturalis eſt (§. 130), ſed tantummodo poſitiva (§. 290).

§. 299.

§. 299.

Quomodo præmiis obligatio introducatur.

Si legiſlator præmium promittit actionem committenti vel omittenti, bonum cum eadem connectit tanquam motivum eam committendi vel omittendi. Etenim præmium bonum quoddam eſt, quod in alterum confertur (§. 295). Quamobrem ſi legiſlator promittit præmium actionem committenti vel omittenti; bonum quoddam in committentem vel omittentem confert, adeoque cum ex actione commiſſa vel omiſſa intelligatur, cur bonum hoc in committentem vel omittentem conferatur; ratio obtinendi boni continetur in actione committenda vel omittenda (§. 56 *Ontol.*), conſequenter legiſlator bonum quoddam cum eadem connectit (§. 10 *Coſmol.*). Enimvero repræſentatio actionis committendæ, vel omittendæ tanquam bonæ eſt motivum eam committendi, vel omittendi (§. 890 *Pſychol. empir.*). Quamobrem ſi legiſlator præmium promittit actionem committenti vel omittenti, bonum cum eadem connectit tanquam motivum eam committendi, vel omittendi.

Hinc etiam in legum doctrina ſenſu reſtrictiori definiri poteſt *Præmium*, quod ſit *bonum, quod legiſlator cum actione connectit tanquam motivum eam committendi vel omittendi*. Atque ita præmium definivimus in Philoſophia morali vernaculo ſermone edita, eamque retinuit *Thümmigius* in Inſtitutionibus Philoſ. Pract. Univ. §. 40. Placuit itaque eam hic demonſtrare ex ea, quam ante dedimus (§. 295), ne videamur ſignificatum immutaſſe.

§. 300.

Quomodo ad ſervandam legem poſitivam quis obligari poſſit.

Ad ſervandam legem poſitivam homo aliter obligari nequit, quam pœnis atque præmiis. Quoniam enim in lege poſitiva obligatio a voluntate legiſlatoris dependet (§. 149. 272); ad ſervandam legem poſitivam homo obligari debet voluntate legiſlatoris. Quamobrem cum alterum obligemus, ſi motivum cum actione connectimus (§. 118); legiſlator voluntate ſua motivum quoddam cum actione connectere debet. Motivum volitionis eſt repræſentatio boni, motivum nolitionis repræſentatio mali (§. 890 *Pſychol. empir.*). Efficere itaque tenetur, ut homo, ad ſervandum legem poſitivam obligandus, actionem committendam ſibi repræſentet tanquam bonam, & omittendam tanquam malam. Quoniam vero id aliter fieri nequit, quam ſi in committentem vel omittentem conferat aliquod bonum, aut in committentem vel omittentem decernat mali quidpiam, illud autem præmium (§. 295), hoc pœna eſt (§. 285); ad ſervandam legem poſitivam hominem aliter, quam pœnis atque præmiis obligari non poſſe liquet.

Ex natura voluntatis humanæ ſequitur, quod homo aliter obligari nequeat a legiſlatore ad actiones committendas, vel omittendas, quam pœnis atque præmiis. Voluntas humana indiget motivis, itemque noluntas (§. 889 *Pſychol. empir.*); motiva iſtiuſmodi ſunt pœnæ (§. 287) atque præmia (§. 296), & ex pœnæ (§. 285), ac præmii definitionibus intelligitur (§. 295), quod præter ea non dentur alia. Quamobrem fieri haudquaquam aliter poteſt, quam ut pœnis atque præmiis introducatur obligatio poſitiva. Non eſt quod excipias, dari leges poſitivas civiles longe plurimas, quibus nulla adjecta ſunt præmia, pœnæ nullæ adjectæ ſunt, veluti quæ agunt de contractibus. Etenim legibus iſtis dantur actiones in foro, & iiſdem ſatisfacere nolentes vi executionis adiguntur, ut ſatisfaciant, quæ pœnæ ra-

Digitized by Google

tionem habet, quatenus ſpectatur ut malum, quod invitus patitur, qui judicis ſententiæ juxta legem latæ ſatisfacere recuſat. Sed hoc uberius expoſituri ſumus ſuo loco.

§. 301.

Obligatio poſitiva quomodo introduci poſſit.

Obligatio poſitiva aliter quam ſanctione pœnali & præmiorum promiſſione introduci nequit. Sanctione pœnali, qua pœna adjicitur legi poſitivæ (§ 289), & præmiorum promiſſione introducitur obligatio poſitiva (§. 291. 298). Enimvero ad ſervandam legem poſitivam homo aliter obligari nequit, quam pœnis atque præmiis (§. 300). Patet itaque obligationem poſitivam aliter quam ſanctione pœnali & præmiorum promiſſione introduci minime poſſe.

Non eſt, quod excipias, haud repugnare, ut quis nullo pœnæ metu, nulla præmii ſpe ductus faciat, quod vult legislator, vel omittat, quod omitti jubet, hoc ſolo permotus, quod norit ſuperiorem hoc velle. Ultro enim hoc concedimus: oſtendemus autem ſuo loco, qui hoc facit, eum ſatisfacere obligationi naturali ad obediendum ſuperiori. Qui vero eo ſunt animo, obligatione poſitiva non habent opus, nec eorum gratia legi etiam poſitivæ accedit obligatio poſitiva, ſed illorum potius, in quibus naturalis illa obligatio non eſt efficax, ut poſitiva ſit opus. Voluntas nimirum ſuperioris recta præcipientis vel minus recta prohibentis naturaliter obligat inferiores, quemadmodum ſuo loco demonſtraturi ſumus. Sed cum obligationi naturali ſatisfaciant pauci, poſitiva obligatio eidem ſuperaddenda, ut lex a pluribus ſervetur. Falluntur autem, qui ſibi perſuadent, legem abſque ſanctione pœnali & præmiorum promiſſione non fore legem: foret enim lex, quam plurimi tranſgrederentur. Hoc igitur ut impediatur, obligatione poſitiva opus.

§. 302.

Quod obligatio poſitiva arbitraria ſit.

Obligatio poſitiva arbitraria eſt, non neceſſaria. Etenim obligatio poſitiva aliter, quam ſanctione pœnali & præmiorum promiſſione introduci nequit (§. 301). Enimvero in ſanctione pœnali pœna adjicitur ad legem (§. 289), ſeu malum quoddam cum actione, quæ prohibetur, a legislatore connectitur tanquam motivum ejus omittendæ (§. 294), &, ſi præmium promittitur, bonum cum actione, quæ præcipitur vel prohibetur, connectitur tanquam motivum ejus committendæ vel omittendæ (§. 299). Quamobrem cum tam bonum, quam malum cum actione connectatur, ut tanquam bona vel mala repræſentari poſſit (§. 890 *Pſychol. empir.*), quod ex ea per ſe non ſequitur; ideo patet obligationem poſitivam arbitrariam eſſe, non neceſſariam.

Oſtenditur etiam hoc modo. Obligatio poſitiva a voluntate legislatoris proficiſcitur (§. 290). Quamobrem cum voluntas in agendo libera ſit (§. 942 *Pſychol. empir.*), & obligatio in connexione motivi cum actione conſiſtat (§. 118); in arbitrio ejus poſitum eſt, utrum hoc, vel aliud motivum, utrum aliquod, an nullum cum actione connectere velit. Eſt igitur obligatio poſitiva arbitraria, non neceſſaria.

Atque in eo differt obligatio naturalis & poſitiva, quod illa neceſſaria ſit (§. 142), adeoque ab actione inſeparabilis; hæc vero arbitraria, atque ab actione pro arbitrio legislatoris ſeparanda. In obligatione naturali actio committenda repræſentatur tanquam per ſe bona, omittenda vero tanquam per ſe mala; in poſitiva vero committenda repræſentatur tanquam bona, omittenda vero tanquam mala, vel etiam omiſſio actionis tanquam bona ex voluntate legislatoris. Quod igitur illic actioni per ſe ineſt; hic eidem infertur voluntate legislatoris.

§. 303.

§. 303.

Effectus obligationis.

Obligatio reſtringit libertatem agentis. Etenim obligatio neceſſitas moralis eſt agendi vel non agendi (§. 118), adeoque eadem poſita hæc actio omittenda, non committenda; illa vero committenda, non omittenda. Quamobrem cum vi libertatis homo poſſit ex pluribus poſſibilibus eligere, quod ipſi placet (§. 941 *Pſychol. empir.*); obligatio libertatem agentis reſtringit.

Nimirum ſepoſita obligatione potes hanc actionem committere, potes eam omittere, nulla adeſt neceſſitas moralis, quæ ad alterutram contradictionis partem animam determinet, in volendo atque nolendo liberam (§. 942 *Pſychol. empir.*). Enimvero poſita obligatione liberum non amplius eſt, utrum actionem committere, an eam omittere velis; ſed moraliter neceſſe eſt, ut eam vel committas, vel omittas. Atque adeo obligatione reſtringitur libertas agentis, quatenus quod ante eam ſpectabatur liberum, nunc per eandem fit neceſſarium.

§. 304.

Identitas effectus obligationis poſitivæ ac naturalis.

Obligationis naturalis & poſitivæ eadem vis eſt in animam. Obligatio poſitiva aliter quam ſanctione pœnali & præmiorum promiſſione introduci nequit (§. 301). In ſanctione pœnali adjicitur legi pœna (§. 289): pœnæ vero ſunt motiva actionum committendarum vel omittendarum (§. 287), & præmia ſimiliter actionum committendarum vel omittendarum motiva ſunt (§. 296). Eadem igitur vis eſt obligationis poſitivæ in animam, quæ motivorum volitionis ac nolitionis. Enimvero obligatio naturalis ponitur poſita hominis rerumque eſſentia atque natura (§. 129). Quamobrem cum per eſſentiam atque naturam ſuam rerumque homo obligetur ad actiones intrinſece bonas committendas, intrinſece vero malas omittendas (§. 127), intrinſeca vero bonitas ſit motivum actionum committendarum, malitia vero intrinſeca motivum actionum omittendarum (§. 890 *Pſychol. empir.*); obligationis naturalis non alia vis eſt in animam, quam motivorum volitionis ac nolitionis. Quoniam itaque obligationis quoque poſitivæ non alia vis eſt in animam, quam motivorum volitionis ac nolitionis *per demonſtrata*; evidens eſt, obligationis naturalis ac poſitivæ eandem vim in animam eſſe.

Hanc propoſitionem probe velim perpendant, qui obligationem neceſſariam, qualem eſſe eam, quæ eſt legis naturalis ſupra demonſtravimus (§. 142), pro veri nominis obligatione habere nolunt, non aliam agnoſcentes obligationem veram, niſi quæ a voluntate ſuperioris venit, hoc eſt, poſitivam (§. 290). Neſcio enim quam diverſitatem inter obligationem neceſſariam, ſeu naturalem, & arbitrariam, ſeu poſitivam, ſibi imaginentur, ut huic vim tribuant in voluntatem & noluntatem hominis, qualis illi non inſit, nec ineſſe poſſit; ut adeo legem abſque obligatione poſitiva ineſſicacem exiſtiment, nec legis nomen mereri arbitrentur. Quodſi excipias, ſi eadem vis ſit obligationis naturalis ac poſitivæ in animam, non opus eſſe poſitiva, ſed ſufficere naturalem, contra manifeſtam experientiam, quæ furandi cupidinem nonniſi pœna poſitiva coerceri loquitur; haud difficilis eſt reſponſio. Eadem ſcilicet motiva non ſunt efficacia in omnibus, ſed alia aliis proſunt. Quamobrem quod in aliis efficit intrinſeca bonitas ac malitia actionum, qua nititur obligatio naturalis, quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præſentis intelligitur; idem in aliis obtinetur metu pœnarum ac ſpe præmiorum, quibus obligatio nititur poſitiva (§. 301). Quemadmodum vero dantur homines, in quibus obligatio naturalis ineſſicax; ita non minus dantur alii, in quibus obligatio etiam poſitiva ineſſicax eſt: ſecus enim nemo legem poſitivam

tranſgrederetur, quod tamen quotidie fieri videmus. Cum enim voluntas ac noluntas cogi nequeat (§. 927 *Pſychol. empir.*); nec obligatio reperiri poteſt, quæ in omnibus æque efficax deprehendatur. Nemo ad voluntatis vel noluntatis determinationem aliud quidpiam conferre valet, niſi per motiva, atque adeo nec alia concipi poteſt obligatio activa, niſi quæ in connexione motivi cum actione conſiſtit, & quæ inde reſultat obligatio paſſiva, non eſt niſi neceſſitas moralis, quæ ex motivis reſultat, minime autem phyſica. Neceſſitas phyſica irreſiſtibilis eſt, unde corpora ex eadem agendi aliter agere nequeunt, quam agunt, nec fieri poteſt, ut non agant, ubi ad agendum determinata ſunt: aſt moralis neceſſitas reſiſtibilis, ut ea non obſtante aliter agere homines, quam quod fieri moraliter neceſſe eſt, quotidie obſervemus. Qui naturam animæ humanæ ſatis perſpectam habent, iis nihil in hiſce videbitur obſcurum: ceteris, quibus ejus ignorantia adhuc nebulas quaſdam offundit, ne veritatem liquidam perſpicere poſſint, uberior lux affundetur in philoſophia morali, ubi de emendatione voluntatis acturi ſumus. Affulget quoque aliqua lux ex iis, quæ mox de virtute dicentur.

§. 305.

Fundamentum pœnarũ naturalium.

Quæ ex actionibus hominum neceſſario conſequuntur mala phyſica recte habentur pro pœnis divinis. Quoniam enim Deus omnia, quæ in hac rerum ſerie in tempore exiſtunt, ab æterno præſcivit (§. 524 *part. I. Theol. nat.*); ipſi quoque ab æterno perſpecta fuere mala, quæ ex actionibus hominum neceſſario conſequuntur. Et quoniam eorum repræſentatio diſtincta eſt motivum actionis omittendæ, conſequenter etiam eidem oppoſitæ committendæ (§. 890 *Pſychol. empir.*); quin Deus, qui mundum & in eo hominem talem, qualis eſt, liberrime creavit (§. 354. 379 *part. II. Theol. nat.*), etiam voluerit, ut ſint actionum omittendarum, vel committendarum motiva, tanto minus dubitari poteſt, quanto certius eſt non modo illorum actualitatem a voluntate Dei dependere (§. 377 *part. II. Theol. nat.*), ſed uſus quoque rerum naturalium eſſe fines a Deo intentos (§. 648 *part. I. Theol. nat.*). Quamobrem cum Deus jus obligandi hominem habeat (§. 986 *part. I. Theol. nat.*), malum vero phyſicum ab eo, qui alterum obligandi aliquod jus habet, ob malum morale immiſſum pœna ſit (§. 285), & in ſanctione pœnali, qua legi adjicitur pœna (§. 289), malum cum actione, quæ prohibetur, connectatur, tanquam motivum ejus omittendæ (§. 294); quæ ex actionibus hominum neceſſario conſequuntur mala phyſica, recte pro pœnis divinis habentur.

E. gr. Homo intemperanter vivens ſanitatem ac vigorem corporis deſtruit, nec fieri poteſt, ut hoc malum corporis evitet, dum intemperantiæ litat. Recte dicitur inevitabile hoc corporis malum eſſe pœnam divinam intemperantiæ, quam intemperantibus per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam dictitavit & quam per eandem quoque exequitur. Quæ ex eſſentia & natura rerum materialium conſequuntur, fines ſunt a Deo intenti, eſſentiæ vero & natura rerum ſunt media, quibus fines iſtos conſequitur (§. 645 *part. I. Theol. nat.*), & corpora totaque rerum natura voluntatem Dei exequuntur (§. 969 *part. I. Theol. nat.*). Nulla igitur eſt conſequentia: jactura ſanitatis & vigoris corporis eſt effectus neceſſarius ac inevitabilis intemperantiæ. Ergo non poteſt eſſe pœna divina. Sane ſi legislatores homines efficere poſſent, ut mala phyſica, quæ in ſanctione pœnali tanquam motivum actionis omittendæ cum eadem conjungunt (§. 294), ex eadem neceſſario ſequerentur, ut tranſgreſſori legis prohibitivæ eſſent inevitabilia; quam lubentiſſime id facerent, neque dubium ſupereſſe poteſt ullum, quin ſic multo efficacior foret obligatio, quæ efficacia deſtituitur, quod tranſgreſſor legis ſibi perſuadeat, ſe malum iſtud evitare poſſe. Patet adeo, quam abſonum ſit ſibi aliiſque perſuadere velle, neceſſitatem conſecutionis mali ex actione prohibita obſtare, quo minus pœnæ rationem iſtud habere poſſit. Multa ſunt, quæ nec

tranſcen-

Digitized by Google

tranſennam inſpecta videntur evidentia, quæ tamen falſa deprehenduntur, ubi majore acumine accuratius diſcutiuntur.

§. 306.

Pœna naturalis quænam.

Pœna naturalis dicitur, quæ ex actione neceſſario ſequitur. Unde patet, *pœnam naturalem per ſe inevitabilem eſſe*.

Iſtiuſmodi pœna intemperantiæ eſt jactura ſanitatis ac vigoris corporis, quæ ab intemperante evitari non poteſt. Etſi enim intemperantia uni noceat magis, quam alteri: nocet tamen omnibus. Non vero eſt, quod excipias, idem delictum adeo gravius puniri naturaliter in uno, quam in altero: neque enim ſi duo intemperantes ſunt, intemperantia unum idemque delictum cenſeri poteſt. Sane ſi quis obligationem naturalem intimius perſpicit, is facile agnoſcet, arctiorem eſſe obligationem ad intemperantiam fugiendam ei, cujus ſanitati facilius inſidias ſtruit, eaſque majores, quam alteri. Qui vero contra obligationem arctiorem agit, is utique magis peccat altero, qui contra minus arctam agit. Non loquor, quæ a notione communi abhorrent. Ecquis enim eſt, qui neſciat vulgo omnes intemperantiam magis reprehendere in eo, cujus ſanitati facilius magiſque nocet, quam in altero, cui non adeo infeſta eſt?

§. 307.

Pœna poſitiva quænam ſit.

Pœna poſitiva dicitur, quæ cum actione libera connectitur ex mera voluntate legislatoris.

Qui obligationem naturalem non agnoſcunt, pœnas quoque non admittunt niſi poſitivas, nec obligationem ſine poſitiva pœna concipi poſſe ſibi aliiſque perſuadere conantur. Aſt ex anterioribus abunde patet, obligationis naturalis & poſitivæ eandem eſſe vim in animam: ſit ita quod in iis, qui ad brutorum conſortium magis accedentes facultatibus animæ inferioribus potius utuntur, quam ſuperioribus, plus poſſit metus pœnarum, quam turpitudo intrinſeca actionis efficere, quæ plus valet in iis, qui ratione reguntur, quam omnis pœna poſitiva.

§. 308.

Mala phyſica ex nexu rerum reſultantia num ſint pœnæ.

Quæ vi nexus rerum hominibus accidunt mala phyſica, actionibus malis perpetratis, pro pœnis divinis recte habentur. Etenim Deus univerſum gubernat, dum omnia inter ſe connectit (§. 901 *part. I. Theol. nat.*). Quamobrem cum gubernatio ſit directio actionum ad certum finem (§. 899 *part. I. Theol. nat.*), mala phyſica vero, quæ actionibus cauſarum naturalium producuntur, non intendantur tanquam fines, qua mala ſunt (§. 670 *part. I. Theol. nat.*); neceſſe eſt ut Deus mala phyſica dirigat ad certum finem. Quoniam itaque accidunt homini, qui actiones malas perpetravit; quin Deus voluerit, ut ob actiones iſtas eadem eveniant dubitare nequit, qui omnia in hoc mundo providentiæ divinæ ſubeſſe agnoſcit (§. 925 *part. I. Theol. nat.*), nec quicquam nobis accidere mali novit, qualecunque tandem illud ſit, niſi Deo providente (§. 931 *part. I. Theol. nat.*). Enimvero mala phyſica ab eo, qui alterum obligandi aliquod jus habet, immiſſa ob malum morale, pœnæ ſunt (§. 285). Pro pœnis itaque divinis recte habentur mala phyſica, quæ vi nexus rerum hominibus eveniunt, poſtquam actiones malas perpetrarunt (§. 986 *part. I. Theol. nat.*).

Oſtenditur etiam hoc modo. Quæ vi nexus rerum quomodocunque in mundo conſequuntur, ea voluntati divinæ conformiter fiunt in ea, quam ad ſe invicem habent, relatione (§. 447 *part. I. Theol. nat.*). Quamobrem ſi vi nexus rerum mala phyſica cuidam eveniunt, poſtquam malas actiones perpe-

perpe-

Digitized by Google

perpetravit; quin Deus velit, ut mala iſta ob actiones perpetratas eidem accidant, dubitandum non eſt. Quoniam itaque mala phyſica ab eo, qui alterum obligandi aliquod jus habet, ob malum morale eidem immiſſa, pœnæ ſunt (§. 285), Deus vero jus habet obligandi hominem ad actiones juxta voluntatem divinam determinandas (§. 986 *part. I. Theol. nat.*); quæ vi nexus rerum hominibus accidunt mala phyſica, poſtquam actiones malas perpetrarunt, pro pœnis divinis recte habentur.

Imo idem hoc quoque modo demonſtratur. Quoniam uſus rerum naturalium ſunt fines a Deo intenti (§. 648 *part. I. Theol. nat.*); Deus quoque intendit uſum malorum phyſicorum, quæ vi nexus rerum in hoc mundo conſequuntur, tanquam finem. Cum mala phyſica homini ob malum morale ab eo immiſſa, qui eum obligandi jus habet, ſint pœnæ (§. 285), Deus vero hominem obligandi jus habeat (§. 986 *part. I. Theol. nat.*); quæ vi nexus rerum homini accidunt mala phyſica, poſtquam actiones malas perpetravit, hunc habere poſſunt uſum, ut ſint pœnarum loco (§. 646 *part. I. Theol. nat.*). Deus igitur voluit, ut mala phyſica, quæ vi nexus eidem accidunt, malis actionibus perpetratis, ſint pœnæ earundem, conſequenter pro pœnis divinis recte habentur.

Scriptura Sacra docet, mala phyſica, quæ naturaliter eveniunt, in hoc mundo eſſe pœnas peccatorum, quas legis tranſgreſſoribus minatur Moſes, comminantur Prophetæ. Rident hoc antiſcripturarii, propterea quod naturaliter eveniunt vi nexus rerum, qui vel ex eo agnoſcitur, quod nullum obſervemus effectum naturalem, cujus non detur etiam aliqua cauſa naturalis, &, ubi cauſa latet, cur lateat oſtendi, minime autem demonſtrari poteſt, quod nulla detur. Noſtrum igitur fuit oſtendere, non obſtare hoc, quod quid naturaliter fiat, adeoque cauſam ſui ſufficientem in ipſo rerum nexu habeat, quo minus pro pœna divina recte habeatur. Non deſunt hodie, qui ἀβλεψίᾳ cum acumine confundentes nexum rerum negant, atque antiſcripturariis largiuntur, quod eo admiſſo phyſica mala, quæ hominibus eveniunt, pœnæ divinæ dici nequeant. Enimvero cum ita manus victas dare cogantur, pœnæ rationem non tolli per nexum rerum demonſtrandum erat. Ceterum hic repetenda ſunt, quæ de pœnis naturalibus modo annotavimus (*not.* §. 305). Quemadmodum in ceteris ad Deum transferenda non ſunt, quæ in humanis obtinent, niſi remotis iis, quæ ab imperfectione hominum veniunt; ita quoque idem obſervandum in executione pœnarum, ubi Deus utitur cauſis ſecundis, quas æterno decreto determinavit ad exequendum in tempore & ſuo tempore, quod ipſi placuit. Pœnæ autem, de quibus hic agitur, non confundendæ ſunt cum naturalibus, de quibus ante dixi (§. 305. 306). Etſi enim naturaliter fiant, quæ pœnæ loco ſunt, & natura pœnam exigat juſſu quaſi divino; non tamen eædem naſcuntur ex ipſis hominum peccantium actionibus, quemadmodum naturales (§. 306).

§. 309.

Quales ſint iſtæ pœnæ. *Quæ vi nexus rerum hominibus accidunt mala phyſica, poſtquam actiones malas perpetrarunt; pœnæ divinæ non naturales, ſed poſitivæ ſunt.* Quoniam enim non naſcuntur ex actionibus malis, quas perpetrarunt homines *per hypoth.* pœnæ autem naturales ex ipſis actionibus, quarum ſunt pœnæ, neceſſario conſequuntur (§. 306); ideo pœnæ naturales non ſunt. Quoniam vero hic rerum nexus ab abſoluta neceſſitate liber eſt (§. 667 *part. I. Theol. nat.*), & ex demonſtratione propoſitionis præcedentis patet, quod Deus voluerit mala phyſica, in eodem contenta, eſſe pœnas illarum actionum,

Digitized by Google

num, ex quibus minime conſequuntur; ideo patet has pœnas cum actionibus hominum connexas eſſe liberrima voluntate Dei. Quamobrem cum pœna poſitiva ſit, quæ cum actione libera connectitur ex mera voluntate legislatoris (§ 307); quæ vi nexus rerum hominibus accidunt mala phyſica, poſtquam actiones malas perpetrarunt, pœnæ divinæ poſitivæ ſunt.

Atheus non negare poteſt pœnas naturales, quæ ex ipſis hominum actionibus conſequuntur; etſi non agnoſcat, eas eſſe divinas, ſed naturam habeat pro earum auctore. Quæ vero vi nexus rerum hominibus accidunt mala phyſica, pro pœnis habere nequit, ſed pro inevitabili fato. Unde nec iis utitur motivis actionum malarum omittendarum, quemadmodum faciunt, qui Dei exiſtentiam in dubium minime vocant, & qui Scripturæ Sacræ fidem habent. Pœnæ igitur naturales ab hiſce poſitivis ſunt diſtinguendæ, utut utraſque, tam naturales, quam poſitivas per naturam exequatur Deus.

§. 310.

Fundamentum præmiorum naturaliũ.

Quæ ex actionibus hominum neceſſario conſequuntur bona, recte habentur pro præmiis divinis. Quoniam enim Deus omnia, quæ in hac rerum ſerie in tempore exiſtunt, ab æterno præſcivit (§. 524 *part. I. Theol. nat.*); ipſi quoque ab æterno perſpecta fuere bona, quæ ex actionibus hominum neceſſario conſequuntur. Et quia repræſentatio eorum diſtincta eſt motivum actionis committendæ, eidemque oppoſitæ omittendæ (§. 890 *Pſychol. empir.*); quin Deus, qui mundum ac in eo hominem talem, qualis eſt, liberrime creavit (§. 354. 379 *part. II. Theol. nat.*), etiam voluerit, ut ſint actionum committendarum & omittendarum motiva, dubitari non poteſt, præſertim cum non modo eorum actualitas a voluntate Dei dependeat (§. 377 *part. II. Theol. nat.*), verum etiam uſus rerum naturalium ſint fines a Deo intenti (§. 648 *part. I. Theol. nat.*). Jam vero præmium eſt illud bonum, quod legislator cum actione committenda vel omittenda connectit, tanquam motivum ejus committendæ vel omittendæ (§. 299). Quare cum Deus legem naturæ hominibus tulerit (§. 274): quæ ex actionibus eorum neceſſario conſequuntur bona, pro præmiis divinis recte habentur.

Quæ ſupra (*not.* §. 305) monuimus, quod minime obſtet, quo minus mala, quæ ex actionibus hominum neceſſario conſequuntur, ſint pœnæ divinæ, quia neceſſario conſequuntur; ea quoque hic tenenda ſunt, ſi cui admitti non poſſe videatur, quod bona, ex actionibus hominum neceſſario conſequentia, ſint præmia, quia inde neceſſario conſequuntur.

§. 311.

Præmiũ naturale quodnam ſit.

Præmium naturale dicitur, quod ex actione neceſſario conſequitur. Unde patet, *præmia naturalia agentem certo manere.*

Quæ de pœnis naturalibus ſupra (*not.* §. 306) annotavimus, ea mutatis mutandis de præmiis quoque naturalibus valent.

§. 312.

Præmiũ poſitivũ quodnam dicatur.

Præmium poſitivum dicitur, quod cum actione libera connectitur mera dantis voluntate.

Dico: mera dantis, non vero mera legislatoris voluntate, quemadmodum habet definitio pœnæ poſitivæ (§. 307), quia præmia ſæpius dantur ab aliis, quam a legislatore, nec ſupponunt obligationem dandi in dante, quemadmodum jus puniendi ſupponitur in puniente,

Digitized by Google

niente, quod in civili ſtatu, qui nunc obtinet, legiſlatori competit, ſeu ei, qui alterum ad actiones certas obligandi jus habet.

§. 313.

Præmia divina ex nexu rerum reſultãtia.

Quæ vi nexus rerum hominibus eveniunt bona, qui actiones bonas committunt; pro præmiis divinis recte habentur. Probatur hoc eodem modo, mutatis mutandis, quemadmodum prolixe evicimus, quæ vi nexus rerum hominibus mala patrantibus eveniunt mala phyſica, pro pœnis divinis habenda eſſe (§. 308), prouti modo (§. 310) eodem modo, mutatis mutandis, oſtendimus, quæ ex actionibus hominum neceſſario conſequuntur bona, pro præmiis divinis habenda eſſe, quo ſupra (§. 305) demonſtraveramus, mala ex actionibus hominum neceſſario conſequentia pro pœnis divinis recte haberi.

Recolenda hic quoque ſunt animo, quæ de pœnis divinis ex nexu rerum reſultantibus annotavimus (*not.* §. 308), ad præmia divina mutatis mutandis applicanda. Ceterum propoſitio præſens maximæ utilitatis eſt in philoſophia morali, præſertim ubi de officiis erga Deum, & animo, quem in ſecundis habere debemus, agitur.

§. 314.

Mala bonis evenientia quem habeant uſum moralẽ.

Quæ vi nexus rerum homini eveniunt mala phyſica, qui actiones bonas committit, malas omittit, ea pœnæ eſſe nequeunt: ſunt tamen adhuc actionum committendarum & omittendarum motiva. Etenim quia mala eveniunt iis, qui actiones bonas committunt, malas omittunt *per hypoth.* pœnæ autem infliguntur ob malum morale, ſeu actiones malas perpetratas (§. 285); extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, quæ vi nexus rerum homini eveniunt mala phyſica, qui actiones bonas committit, malas omittit, pœnas eſſe non poſſe. *Quod erat unum.*

Enimvero Deus in hoc univerſo mala dirigit in bonum finem (§. 680 *part. I. Theol. nat.*). Mala igitur, quæ vi nexus rerum eveniunt homini, qui actiones bonas committit, malas vero omittit, in ejus bonum ab ipſo dirigi dubitandum non eſt. Quoniam a poſteriori diſcere licet, quænam ſint illa bona, in quæ Deus mala dirigit, veluti quod ſint quædam conditio, ſine qua bona conſequi minime licuiſſet, & ex circumſtantiis particularibus, ſiquidem ad eas animum advertimus, colligere datur, quomodo nobis prodeſſe poſſint mala & quemnam eorundem uſum facere valeamus ad bonum finem quendam proſequendum; in caſu particulari haud difficulter conſtabit, quomodo iiſdem uti queamus tanquam motivis actionum committendarum & omittendarum, veluti malum, quatenus eſt conditio, ſine qua bonum obtineri nequit, motivum præbet fiduciæ erga Deum. Ipſo igitur opere addiſcimus, quæ vi nexus rerum homini actiones bonas, non malas perpetranti eveniunt mala phyſica, motiva bonarum committendarum, malarum omittendarum eſſe poſſe. *Quod erat alterum.*

Ampliſſima eſt theoria de malis phyſicis actionum bonarum committendarum, malarum omittendarum motivis, quatenus a Deo immittuntur bonis, hoc eſt, iis, qui vitam ſuam ad normam legis naturalis componunt. Quando philoſophiam moralem pertractabimus, de hiſce quoque dicemus motivis. Inde igitur confirmabuntur, quæ hic pro dignitate

exponi

exponi haud quaquam potuerunt. In vulgus notum eſt, quot mihi mala creaverint homines idiotæ ac malitioſi, quot in hunc uſque diem creare omnibus viribus annitantur; propterea quod diſciplinas philoſophicas in Syſtema veri nominis redigere ſtudeo, eaſdem & certas, & utiles effecturus. Deum ea dirigere in bonum finem, & expertus ſum hactenus, & abunde in dies adhuc experior. Meo igitur exemplo veritati propoſitionis præſentis teſtimonium perhibere poſſum. Nec minus partim in vulgus notum eſt, partim mihi Deoque perſpectum, quæ mala in me redundaverint ex eo, quod aliis benefacere & eorum fortunam amplificare ſtuduerim, ita ut beneficiorum in alios collatio fatalis mihi dici debeat. Sed Deum hæc quoque dirigere in bonum finem, ac inde mihi naſci bene agendi motiva, in dies adhuc magis magiſque diſco. Meo igitur exemplo veritati propoſitionis præſentis alterum quoque teſtimonium perhibere valeo, exceptione omni majus. Atque adeo nullus dubito fore, ut etiam alii eandem agnoſcant, modo ſibimetipſis deeſſe nolint. Noſtrum enim eſt, ut malorum præter omnem culpam noſtram nobis obvenientium, vel ex eo, quod, quæ recta & bona ſunt, fecerimus, proficiſcentium, eum faciamus uſum, quem debemus. Sunt etiam mala phyſica remedia adverſus mala moralia, quatenus cupiditatem male agendi ſupprimunt, occaſionem male agendi auferunt, propoſitum bene agendi firmant, occaſionem bene agendi ſuppeditant. Sed hic eorum uſus directe ad præſens inſtitutum non ſpectat: ſit ita, quod indirecte hoc facere poſſit, quatenus & hæc contemplatio tandem deducit ad motiva actionum bonarum committendarum, malarum omittendarum. Hic enim mala conſideramus, quatenus ob directionem ad bonum finem præbent motivum actionum bonarum committendarum, malarum vero omittendarum; non quatenus ſunt medium bene agendi & remedium adverſus malum morale.

§. 315.

Quomodo bona phyſica impiis ſint actionum motiva.

Quæ vi nexus rerum homini malas actiones perpetranti eveniunt bona phyſica, præmia eſſe nequeunt: ſunt tamen adhuc motiva actionum committendarum & omittendarum. Etenim præmium datur ob actionem commiſſam (§. 295) & quidem bonam, cum Deus malum velle nequeat (§. 581 *part. I. Theol. nat.*), nec in hominibus Deo id placere queat (§. 588 *part. I. Theol. nat.*). Quamobrem quæ vi nexus rerum homini malas actiones perpetranti eveniunt bona phyſica, non ideo ipſi obtingunt, quod malas actiones perpetret, conſequenter præmia non ſunt. *Quod erat primum.*

Enimvero bonitati divinæ acceptum ferendum eſt, ſi homo in iis ponitur circumſtantiis, ſub quibus bonorum phyſicorum ſit compos (§. 737 *part. I. Theol. nat.*), & ipſe rerum nexus ſapientia ac bonitate divina conſtitutus (§. 741 *prat. I. Theol. nat.*). Quamobrem, quæ vi nexus rerum homini, malas actiones perpetranti, eveniunt bona phyſica, bonitate Dei in eum conferuntur. Enimvero Deus nihil facit fruſtra (§. 663 *part. I. Theol. nat.*), adeoque nec bona phyſica hominibus malis fruſtra largitur, conſequenter neceſſe eſt ut ea ipſis ob finem quendam conferat (§. 662 *part. I. Theol. nat.*). Quoniam itaque non dantur tanquam præmium ob actiones perpetratas *per demonſtrata*; neceſſe eſt, ut dentur in uſum actionum committendarum & omittendarum, conſequenter motiva eſſe debent actionum committendarum & omittendarum (§. 887 *Pſychol. empir.*). *Quod erat alterum.*

Alterum oſtenditur etiam hoc modo. Quæ vi nexus rerum homini, malas actiones perpetranti, eveniunt bona phyſica, bonitate divina in eundem conferuntur *per demonſtrata*; conſequenter Dei in homines boni-

Digitized by Google

tatem inde cognoſcimus, eamque tanto majorem, quod conferantur in eos, qui faciunt, quod ipſi diſplicet (§. 588 *part. I. Theol. nat*). Experientia autem comprobatum hic ſumere licet, quod ſuo loco demonſtraturi ſumus; bonitatem alterius, ſeu profecta inde in nos bona eſſe motivum faciendi, quæ a nobis fieri vult alter. Atque adeo patet, quæ vi nexus rerum homini, malas actiones perpetranti, eveniunt bona phyſica, motiva eſſe faciendi ea, quæ Deus a nobis fieri vult, conſequenter actionum committendarum & omittendarum.

Ad motiva particularia non deſcendimus, quæ non modo circumſtantias particulares ſupponunt, ſed difficilem quoque habent demonſtrationem, cum principia huc ſpectantia nondum potuerint præmitti, quorum bene multa ea ſupponit. Quodſi vero cui libuerit ſciſcitari, quomodo bona in dato caſu particulari ab impiis adhiberi poſſint tanquam actionum motiva; abſque ullo labore innoteſcent, quæ nonniſi longa demonſtratione erui poſſunt. Ceterum quæ in genere evicimus, quod ſcilicet bona in impios a Deo collata actionum ad Numinis nutum componendarum motiva eſſe queant, conformia ſunt Scripturæ Sacræ, quæ pro certo ac explorato habet, quod bonitas divina ad reſipiſcentiam homines invitet. Velim igitur denuo notent, qui tanquam impium dogma traducunt, quod vi nexus rerum obvenientia bona phyſica impiis motiva præbeant actionum committendarum & omittendarum, quantum pietati adverſentur, quodque hominibus profanis victas dent manus. Quæ vero paulo ante (*not.* §. 314) de malis phyſicis bonos affligentibus porro annotavimus, mutatis mutandis ad bona phyſica, quibus mali perfunduntur, applicanda ſunt. Notandum denique eſt, quæ vi nexus rerum conſequuntur, ea naturaliter fieri, ut adeo hic perinde ſit, ſive quid vi nexus rerum conſequi, ſive naturaliter id fieri dicas, niſi quod hoc latius dictum ſit, ut etiam ea complectatur, quæ ex actionibus neceſſario reſultant.

§. 316.

Præmii poſitivi definitio.

Præmia poſitiva ſunt, quæ ex actionibus ipſis non conſequuntur, ſed mera dantis vel legislatoris voluntate cum iiſdem connectuntur.

Iſtiuſmodi ſunt præmia diligentiæ, quæ parentes dant liberis, & quæ Præceptores ex voluntate Patronorum diſtribuunt diſcipulis. Opponuntur nimirum præmia poſitiva naturalibus, ac ideo poſitiva ſunt, quæ naturalia non ſunt.

§. 317.

Qualia ſint præmia, quæ vi nexus rerum dantur.

Quæ vi nexus rerum hominibus bonas actiones committentibus eveniunt bona, præmia naturalia non ſunt, ſed poſitiva. Neque enim conſequuntur ex actionibus ipſis *per hypotheſin*. Quamobrem cum præmia naturalia non ſint, quæ ex ipſis actionibus minime conſequuntur (§. 311); quæ vi nexus rerum hominibus bonas actiones edentibus eveniunt bona, præmia naturalia eſſe nequeunt. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen præmia divina ſunt (§. 313); neceſſe eſt, ut cum actionibus, ex quibus neceſſario minime conſequuntur, connectantur mera voluntate Dei. Quamobrem cum poſitiva ſint præmia, quæ ex actionibus ipſis non conſequuntur, ſed mera dantis vel legislatoris voluntate cum iiſdem connectuntur (§. 312); quæ vi nexus rerum hominibus bonas actiones committentibus eveniunt bona, præmia poſitiva ſunt. *Quod erat alterum.*

Præmiorum ac pœnarum divinarum poſitivarum exiſtentiam multo luculentius docuit Chriſtus, qui nos certiores fecit, corpora hominum aliquando reſuſcitatum & cum animabus ſuis unitum iri, ut vel præmiorum æternorum reddantur participes, ſiquidem bene vixerint, vel pœnis æternis torqueantur, ſiquidem male egerint. Sed hæc Dei de ſtatu hominis

Digitized by Google

minis in altera vita voluntas rationis lumine nobis non innoteſcit. Quæ vero ex revelatione divina hauriuntur, non ſunt hujus fori.

§. 318.

Obligatio divina poſitiva ad cuſtodiã legis naturæ.

Datur obligatio divina poſitiva ad legem naturæ ſervandam. Etenim præmia dantur divina actionum bonarum (§. 310), eaque poſitiva (§. 317): dantur itidem pœnæ actionum malarum divinæ (§. 308), eædemque poſitivæ (§. 309). Quoniam itaque præmiorum promiſſione (§ 298) & ſanctione pœnali, quæ legi prohibitivæ adjicitur (§. 289), obligatio poſitiva introducitur (§. 291), Deus vero hominem obligat ad legem naturæ ſervandam (§. 276); quod detur obligatio divina poſitiva ad legem naturæ ſervandam manifeſtum eſt.

Poſitivam hanc obligationem divinam urget Moſes eademque urgetur in iis, quæ Decalogo adjiciuntur. Chriſtus vero multo luculentius eandem docuit, dum præmia & pœnas, quæ poſt hanc vitam a reſurrectione corporum homines manent, clariſſime propoſuit (*not.* §. 317). Efficacior multo obligatio eſt, quam Chriſtus expoſuit, quam quæ ex principiis rationis demonſtrari poteſt, quatenus præmia a Chriſto ſuis promiſſa, & pœnæ, quas minatur male agentibus, majoris momenti ſunt, quam quæ in hac vita homini obtingere poſſunt. Sed hæc obligatio, quæ præmiorum æternorum promiſſione & pœnarum æternarum comminatione introducta, cum ad Theologorum forum ſpectet; Theologus incipit, ubi Philoſophus definit, quæ vero a Philoſopho demonſtrantur, auctoritas Scripturæ Sacræ confirmat: quo ipſo efficitur, ut concordia rationis ac fidei de pœnis ac præmiis poſitivis in hac vita fit motivum credibilitatis, ut cum Scholaſticis loquar, eorum, quæ de pœnis & præmiis poſt hanc vitam revelatio ſuperaddit. Philoſophus autem ſatisfecit officio ſuo, ſi ad revelationem divinam nos manuducat.

§. 319.

Præmia actionum intrinſece bonarum.

Actiones intrinſece bonæ præmia naturalia habent. Etenim actiones intrinſece bonæ ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri per ſe tendunt (§. 103), adeoque ex actionibus iſtis neceſſario ſequitur bonum aliquod (§. 554 *Pſychol. empir.*), ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ (§. 556 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum præmia naturalia ſint, quæ ex ipſis actionibus neceſſario ſequuntur (§. 311); actiones intrinſece bonæ præmia naturalia habent.

Quoniam præmia naturalia ab actione inſeparabilia ſunt, quia neceſſario, adeoque immutabili lege inde ſequuntur (§. 292 *Ontol.*); actionum intrinſece bonarum præmia dantur ab iis inſeparabilia, quorum adeo certo compos fit, qui actiones illas edit. Atque actiones intrinſece bonæ hiſce præmiis ſeſe commendant, & per ea naturalis introducitur obligatio, quemadmodum poſitiva per præmia poſitiva.

§. 320.

Pœnæ actionum intrinſece malarum.

Actiones intrinſece malæ pœnas ſuas naturales habent. Actiones enim intrinſece malæ ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri per ſe tendunt (§. 106), adeoque ex actionibus noſtris neceſſario ſequitur malum aliquod (§. 565 *Pſychol. empir.*), ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ (§. 567 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum pœnæ naturales ſint mala, quæ ex ipſis actionibus hominum neceſſario ſequuntur (§. 306); actiones intrinſece malæ pœnas ſuas naturales habent.

Quoniam actionum intrinſece malarum pœnæ naturales ſunt, pœnæ autem naturales neceſſariæ ſunt ac immutabiles; illarum actionum pœnæ dantur inevitabiles, quas adeo

certo incurrit, qui eas patrat. Atque actiones intrinſece malæ ob haſce pœnas odioſæ ſunt, & per eas introducitur obligatio naturalis, quemadmodum poſitiva per pœnas poſitivas. Quæ omnia ex anterioribus ſatis aperta ſunt.

CAPUT IV.

De Virtute & Vitio, Beatitudine & Felicitate Hominis.

§. 321.

Virtutis definitio. V*Irtus* eſt habitus actiones ſuas legi naturali conformiter dirigendi.

Probe notandum eſt, virtutem conſiſtere in habitu committendi actiones legi naturæ conformes & omittendi eidem difformes, conſequenter ejuſdem non eſſe actionem legi naturæ conformem, quæ ex habitu non proficiſcitur, veluti ſi quis ægre adduci poteſt, ut agat quod illi conſentaneum, & mallet agere, quod eidem contrariatur. Unde ex ſola conformitate actus externi cum lege naturæ non colligitur, quod quis virtuti ſit deditus.

§. 322.

Vitii definitio. *Vitium* eſt habitus actiones ſuas ratione contraria dirigendi, quam lege naturali præſcribitur.

Probe quoque notandum eſt, vitium conſiſtere in habitu actiones legi naturæ contrarias committendi, & eidem conſentaneas omittendi; conſequenter vitii nondum eſſe actionem legi naturæ contrariam, quæ ex habitu non proficiſcitur, veluti ſi quis aliorum perſuaſionibus tandem cedens facit, quod legi naturæ repugnat, mallet tamen omittere. Unde ex ſola difformitate actus alicujus externi cum lege naturæ non colligitur, quod quis ſit vitio deditus.

§. 323.

Quomodo virtus & vitium acquirantur. *Virtus pariter ac vitium nonniſi crebro exercitio acquiruntur.* Sunt enim virtus & vitium habitus (§. 321. 322). Enimvero habitus nonniſi exercitio acquiritur (§. 430 *Pſychol. empir.*). Ergo virtus & vitium nonniſi crebro exercitio acquiruntur.

Non jam quæritur, an vitium facilius acquiratur, quam virtus: ſed tantummodo, num tam vitium, quam virtus nonniſi iteratis actibus acquiratur. Id fieri, ipſa experientia loquitur. Unde *Juſtinus* jam annotavit, quibuſdam gentibus vitiorum ignorantiam plurimum profuiſſe. Propoſitio præſens uſum ſuum habet in philoſophia morali, quem ſuo tempore oſtendemus.

§. 324.

Quomodo virtus conſervetur & perficiatur. *Virtus conſervatur & perficitur continuo committendo actiones legi naturæ conformes.* Etenim virtus eſt habitus actiones ſuas legi naturali conformiter dirigendi (§. 321), adeoque uſus ejus conſiſtit in committendis actionibus legi naturæ conformibus (§. 646 *part. I. Theol. nat.*). Enimvero habitus acquiſitus continuo uſu conſervatur & perficitur (§. 431 *Pſychol. empir.*). Ergo virtus conſervatur & perficitur continuo committendo actiones legi naturæ conformes.

Virtutes plures ſunt, quemadmodum in philoſophia morali docetur. Unde fieri poteſt, ut quis uni deditus virtuti vitio cuidam adhuc indulgeat eidem non oppoſito. Difficilius vero virtus conſervatur, niſi omnibus ſimul fuerit deditus, cum ſubinde accidat, ut

vitium

Digitized by Google

vitium requirat virtuti, cui alias deditus es, actum contrarium. Quamobrem patet virtutem omnem colendam eſſe, ne ejus conſervatio reddatur difficilis, imo haud raro tantum non impoſſibilis.

§. 325.

Quomodo vitiũ conſervetur & augeatur.

Vitium conſervatur & augetur continuo committendo actiones legi naturæ difformes ſeu contrarias. Etenim vitium eſt habitus actiones ſuas contraria ratione dirigendi, quam lege naturali præſcribitur (§. 322), adeoque uſus ejus conſiſtit in committendis actionibus legi naturæ contrariis (§. 646 *part. I. Theol. nat.*). Enimvero habitus acquiſitus continuo uſu conſervatur & perficitur, ſeu, quod perinde eſt, augetur (§. 431 *Pſychol. empir.*). Ergo vitium conſervatur & augetur continuo committendo actiones legi naturæ contrarias.

Noluimus dicere, quod vitium perficiatur continuo committendo actiones legi naturæ contrarias, ne quis propoſitionem male interpretetur, etſi dictio vitio careret. Etenim vitium hic conſideratur ut habitus voluntatis, aut, ſi mavis, ut habitus appetendi præciſa moralitate. Habitus appetendi in ſe ſpectatus nihil vitii habet: perficitur autem, dum augetur, ut, cum in promptitudine appetendi conſiſtat (§. 428 *Pſychol. empir.*), ſemper in appetendo promptior evadas. Id vero in homine vitiis dedito non reprehenditur, quod promtus ſit in appetendo; quin potius hæc promptitudo laudatur & ad imitandum in edendis actionibus bonis commendatur aliis. Hoc ideo monere debuimus, ne quis exiſtimet, nos ad demonſtrandam propoſitionem præſentem uſos principio, quod huc trahi minime debeat.

§. 326.

Quomodo virtus amittatur & vitium in ejus locũ ſuccedat.

Virtus amittitur & vitium acquiritur editis continuo actionibus legi naturæ contrariis. Etenim virtus conſiſtit in habitu committendi actiones legi naturæ conformes (§. 321), vitium vero in habitu committendi actiones legi naturæ difformes (§. 322). Quamobrem actiones legi naturæ contrariæ ſunt virtuti contrariæ, & ipſum vitium contrarium eſt virtuti. Atat! habitus acquiſitus amittitur & contrarius ſimul acquiritur editis continuo actionibus eidem contrariis (§. 433 *Pſychol. empir.*). Ergo virtus amittitur & vitium acquiritur editis continuo actionibus legi naturæ contrariis.

Non deſcendimus jam ad cauſas remotiores, veluti quomodo fieri poſſit, ut virtuti deditus edat actiones legi naturæ contrarias & in his continuandis non hæreat: talia enim ad ſpecialem tractationem pertinent, quam ſibi vindicat philoſophia moralis.

§. 327.

Quomodo in locum vitii ſuccedat virtus.

Vitium amittitur & virtus acquiritur editis continuo actionibus legi naturæ conformibus. Oſtenditur non abſimili modo, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus.

Uſum maximum præbebit propoſitio præſens in philoſophia morali, quam ideo probe notari velim.

§. 328.

Qualis ſit voluntas in virtute.

Ad virtutem requiritur conſtans & perpetua voluntas non committendi actiones, niſi quæ legi naturæ conformes ſunt. Virtus enim eſt habitus committendi actiones legi naturæ conformes (§. 321). Quoniam habitus in agendi promptitudine conſiſtit (§. 428 *Pſychol. empir.*); qui virtute prædirus eſt, data agendi occaſione ſine mora vult, quod legi naturæ conforme (§. *cit.*), adeoque nil quicquam a propoſito agendi, quod legi naturæ conve-

Digitized by Google

convenit, ſe dimoveri patitur. Quamobrem quia voluntas perpetua eſt, quando in omni caſu eodem ad idem tendit, eademque conſtans, quando in dato caſu non mutatur (§. 1062 *part. I. Theol. nat.*); evidens eſt, ad virtutem requiri conſtantem & perpetuam voluntatem non committendi actiones, niſi quæ legi naturæ conformes ſunt.

Habitus voluntatis in ejuſdem conſtantia & perpetuitate conſiſtit. Quamobrem virtus definiri poteſt, quod ſit conſtans & perpetua voluntas actionem nullam committendi, niſi quæ legi naturæ conformis eſt. Nec rectius profecto naturam virtutis perſpicere datur, quam ubi animum ad conſtantiam & perpetuitatem voluntatis advertimus, modo diſtinctas habuerimus conſtantiæ ac perpetuitatis notiones, quas in Theologia naturali explicavimus (§. 1062 *part. I. Theol. nat.*). Eam qui perpendit, haud facile ſibi imponet, ut ſibi videatur virtuti deditus, cum non ſit.

§. 329.

Qualis ſit volũtas in vitio. *In vitio adeſt voluntas conſtans & perpetua committendi actionem legi naturæ contrariam.* Eſt enim vitium habitus committendi actionem legi naturæ contrariam (§. 322). Quamobrem cum habitus in agendi promptitudine conſiſtat, qui vero promptus eſt in agendo, ſine mora agit (§. 428 *Pſychol. empir.*); qui vitio deditus eſt, data occaſione actionem ex habitu vitioſo proficiſcentem edendi, ſine mora eandem vult, nec ſeſe permoveri patitur, quo minus id velit. Enimvero perpetua eſt voluntas, quæ fertur in eandem actionem, quoties eam edendi occaſio datur, & conſtans eſt, ſi in dato caſu mutari nequit (§. 1062 *part. I. Theol. nat.*). Adeſt igitur in vitio voluntas conſtans & perpetua committendi actionem legi naturæ contrariam.

Poterat igitur vitium definiri, quod ſit conſtans & perpetua voluntas committendi actionem legi naturæ contrariam. Atque vitii naturam intimius inſpicimus, ſi ad voluntatis conſtantiam & perpetuitatem animum advertimus. Equidem fieri poteſt, ut vitium aliquod nondum ſit adeo inveteratum, ne ſubinde per rationes extrinſecas eidem deditus permoveatur ad abſtinendum ab acto externo; remanet tamen voluntas agendi, & qui actionem invitus quaſi intermittit, dolet, quod eam omittere debuerit. E. gr. Intemperans vinum modice haurit, cum mallet immodice haurire, ac conqueritur, quod ſibi id facere non licuerit. Hic adeo de voluntatis conſtantia ſermo eſt, quæ ſubſiſtere poteſt, etiamſi contrarium ſimulet, qui quod vult, ipſo opere exequi prohibetur.

§. 330.

Actiones quales committat virtute prædicus. *Qui virtute præditus eſt, actiones eas committit, quæ tendunt ad ſui aliorumque ac ſtatus ſui & aliorum perfectionem, atque gloriæ divinæ illuſtrationem.* Etenim qui virtute præditus eſt, eas committit actiones, quæ ſunt legi naturæ conformes (§. 321). Sed lege naturali obligamur ad committendas actiones, quæ ad noſtri ſtatuſque noſtri (§. 152) & aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem (§. 222. 223), atque gloriæ divinæ manifeſtationem tendunt (§. 254). Virtute igitur præditus eas committit actiones, quæ tendunt ad ſui aliorumque ac ſtatus ſui & aliorum perfectionem, atque gloriæ divinæ manifeſtationem.

Hinc patet, unde naſcantur diverſæ virtutum ſpecies, nimirum a diverſitate perfectionis noſtræ & aliorum ſtatuſque noſtri & aliorum, diverſiſque modis illuſtrandi gloriam divinam. Unde patet, virtutem quoque definiri poſſe per habitum, ſeu perpetuam ac conſtantem voluntatem ſe ſtatumque ſuum perficiendi: etenim perfectio ſui, quemadmodum ſupra vidimus

Digitized by Google

vidimus & perfectionis alienæ, & gloriæ divinæ promotionem ſub ſe comprehendit, aut involvit (*not.* §. 225. & *not.* §. 250).

§ 331.

Quomodo eaſdē determinet.

Qui virtute præditus eſt actiones ſuas liberas per eaſdem rationes finales determinat, per quas determinantur naturales. Dirigit enim actiones ſuas conformiter legi naturali (§. 321). Sed lege naturali obligamur ad determinandum actiones liberas per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales (§. 154). Ergo qui virtute præditus eſt, actiones ſuas liberas per eaſdem rationes finales determinat, per quas naturales determinantur.

E. gr. Cibum ac potum non capit, qui virtuti deditus eſt, niſi ſanitatis ac vigoris corporis conſervandi gratia, & per hancce rationem finalem determinat hanc actionem.

§. 332.

Conſenſus actionum ad virtutem requiſitus.

Qui virtute præditus eſt, ejus actiones liberæ omnes, & liberæ omnes ac naturales inter ſe conſentiunt. Etenim virtute præditus actiones omnes dirigit ad ſui ſtatusque ſui perfectionem (§. 330 & *ejus not.*), conſequenter actiones ejus omnes ad eandem obtinendam tendunt. Quoniam itaque inter ſe conſentiunt, quæ ad idem aliquod obtinendum tendunt (§. 503 *Ontol*); actiones hominis virtute præditi liberæ omnes inter ſe conſentiunt. *Quod erat unum.*

Similiter qui virtute præditus eſt, actiones liberas per eaſdem rationes finales determinat, per quas naturales determinantur (§. 331), adeoque cum naturalibus ad eoſdem fines tendunt. Unde patet ut ante, quod etiam cum naturalibus conſentiant. *Quod erat alterum.*

Utrumque ſimul etiam oſtenditur hoc modo. Qui virtute præditus eſt, actiones ſuas legi naturali conformiter dirigit (§. 321). Quamobrem cum lex naturæ nos obliget ad actiones, bonitatem intrinſecam habentes (§ 153); eas committit actiones, quæ intrinſece bonæ ſunt. Enimvero actiones, bonitatem intrinſecam habentes, omnes & inter ſe, & cum naturalibus conſentiunt (§. 114). Ergo hominis virtute præditi actiones liberæ omnes & inter ſe, & cum naturalibus conſentiunt.

Vides itaque conſenſum actionum omnium tam liberarum quam naturalium inter ſe a virtute abeſſe non poſſe. Quatenus in eo quidam notatur defectus, eatenus ipſa virtus aliqua ex parte deficit. Virtutem autem dum cognoſcere volumus, ab omni defectu liberam intueri debemus. Nec parum refert, ut defectus virtutis humanæ agnoſcantur, qui agnoſci nequeunt, niſi virtutis perfectæ ſeu immaculatæ ideam animo comprehendas.

§. 333.

Cui obligationi ſatisfaciat virtute præditus.

Virtute præditus obligationi naturali ſatisfacit. Etenim actiones ſuas dirigit legi naturæ convenienter (§. 321), conſequenter ea agit, vel non agit, ad quæ agendum vel non agendum lex naturæ nos obligat (§. 131). Quoniam itaque obligationi ſatisfacit, qui agit, vel non agit, ad quod agendum, vel non agendum obligatur (§. 120); virtute præditus obligationi, quæ a lege naturæ venit, ſatisfacit. Enimvero obligatio, quæ a lege naturæ venit, naturalis eſt (§. 141). Quamobrem patet, virtute præditum obligationi naturali ſatisfacere.

Probe

Probe notandum eſt, quando hic aſſerimus, virtute præditum obligationi naturali ſatisfacere, nos ſupponere, quod eandem diſtincte agnoſcat, ſaltem in caſu particulari, adeoque eidem ſatisfaciat qua tali. Unde animum hic non advertere debemus ad actiones, ad quas obligamur; ſed ad modum, quo ad eaſdem vel omittendas, vel committendas obligamur.

§. 334.

Rectitudo actionum virtuti conveniens.

Virtuti deditus ſemper rectitudinem actionum curæ cordique habet, ſeu omnem adhibet curam, ut actio quælibet ſit recta. Virtuti enim qui deditus eſt, voluntatem perpetuam & conſtantem habet non committendi actionem, niſi legi naturæ conformem (§. 328). Quoniam itaque lex naturæ nos obligat ad actionum rectitudinem (§. 189); virtute prædito voluntas perpetua eſt atque conſtans actionum, quas edit, rectitudinem obſervandi, ſeu curandi, ne in rectitudine actionis ullus notetur defectus. Quamobrem cum conſtans & perpetua ſit voluntas, quatenus nil quicquam ab eo, quod volumus, nos dimoveri patimur, idemque volumus ſemper, quoties caſus idem recurrit (§. 1062 *part. I. Theol. nat.*); qui virtuti deditus eſt, omnem ſemper adhibeat curam neceſſe eſt, ne actio a rectitudine vel minimum deficiat.

Quodſi quis dubitet, an virtuti deditus obligationi naturali qua tali ſatisfacere debeat, ut eidem ſufficiat ad agendum; is facillime convincetur vi propoſitionis præſentis, ne quicquam dubii ſupereſſe poſſit. Quoniam enim in actione recta nil quicquam deſiderari debet ex parte intellectus (§. 64); legi naturæ & obligationi naturali, quæ ab ea venit, ſatisfacturus notitiam quoque legis naturæ & obligationis naturalis ſufficientem habere debet, conſequenter fieri aliter haud quaquam poteſt, quam ut obligationi naturali qua tali ſatisfaciat & legem naturæ ſervet, qua legem naturæ. Non eſt, quod ad exempla provoces, quibus contrarium doceatur. Exempla enim nil probant, cum id ea provocans ſumat, quod probari debet, ſcilicet eorum, quibus virtutem tribuis, virtutem omnibus numeris fuiſſe abſolutam. Virtuti dedito ea tribuimus prædicata, quæ ex notione virtutis deducuntur; non vero quærimus, quænam ſint illorum prædicata, qui virtuti dediti dicuntur.

§. 335.

Decori cum virtute nexus.

Virtute præditus actiones decoras indecoris præferre tenetur. Etenim virtute præditus legi naturæ conformiter dirigit actiones ſuas (§. 321). Sed lex naturæ nos obligat ad actionem decoram, naturaliter ſcilicet talem (§. 196), indecoræ præferendam (§. 203). Ergo virtute præditus actiones decoras indecoris præferre tenetur.

Equidem vulgo decorum a virtute ſejungitur, quod videamus homines hanc vel iſtam virtutem in particulari colentes, decorum vero omne negligentes, & e adverſo alios in obſervando decoro rigidos, ab omni tamen virtute alienos: ſed exemplis non movemur, qui ex notionibus de rebus ſtatuimus & exempla virtutum ex notione virtutum dijudicamus. Cum obligationem naturalem, ipſius perfectionis notione jubente, ad quam diriguntur actiones omnes juxta legem naturæ (§. 152), ad decorum naturalem extenderimus, virtutem quoque ad actiones decoras extendamus neceſſe eſt. Eſt cuilibet virtuti in particulari ſuum decorum, quod cum ea non minus cohæret, quam quod in eadem honeſtum vel juſtum eſt: ſit ita quod ejus neglectu non tantum detur damnum, quantum neglectu honeſti & juſti ſibi vel aliis datur, ut ideo pro re nullius momenti in actionibus humanis habeatur.

§. 336.

Cur virtute præditus le-

Virtute præditus actiones legi naturali conformes committit ob earundem bonitatem intrinſecam, ſeu quia intrinſece bonæ, & actiones eidem difformes omittit,

tit, ob earundem malitiam intrinſecam, ſeu quia intrinſece malæ. Etenim virtute præditus obligationi naturali ſatisfacit (§. 333), quæ cum ponatur poſita eſſentia atque natura hominis rerumque (§. 129); ea facit, ad quæ facienda per ipſam eſſentiam atque naturam noſtram rerumque eſſentiam atque naturam obligamur, & non facit ea, ad quæ non facienda per eandem obligamur (§. 120). Enimvero per ipſam eſſentiam & naturam noſtram rerumque obligamur ad actiones intrinſece bonas committendas, intrinſece vero malas omittendas (§. 127): quæ cum per eſſentiam atque naturam hominis intrinſece bonæ vel malæ ſint (§. 124), ad illas committendas, has vero omittendas obligamur, quia illæ intrinſece bonæ, hæ autem intrinſece malæ ſunt. Quamobrem patet virtute præditum actiones legi naturali conformes committere, quia intrinſece bonæ ſunt, ſeu ob earundem intrinſeceam bonitatem; difformes vero omittere, quia intrinſece malæ ſunt, ſeu ob earundem intrinſecam malitiam.

ginaturæ conformiter dirigat actiones.

Oſtenditur etiam hoc modo. Virtute prædito conſtans & perpetua voluntas eſt non committendi actiones niſi legi naturali conformes (§. 328), conſequenter cum lex naturæ nos obliget ad actiones intrinſece bonas committendas, intrinſece vero malas omittendas (§. 153), conſtans ipſi ac perpetua voluntas eſt committendi actiones, quas intrinſece bonas agnoſcit, omittendi vero actiones, quas intrinſece malas agnoſcit. Quamprimum adeo cognoſcit, actionem aliquam eſſe intrinſece bonam, eam committit, adeoque ideo quod intrinſece bona eſt; quamprimum vero cognoſcit, actionem aliquam eſſe intrinſece malam, eam non committit ſeu omittit, conſequenter ideo quod intrinſece mala eſt.

Nemo non in ſeipſo experitur, quod, ſi quicquam agendi voluntatem habeat, idem agat, quamprimum agendi occaſio offertur. Quamobrem cum virtute prædito ſit voluntas agendi, quod lex naturæ præcipit; ſi data agendi occaſione agnoſcit, hanc actionem eſſe legi naturali conformem, eam committit ideo, quod eidem conformis eſt. Conformitatem cum lege naturali non cognoſcimus niſi ex intrinſeca actionis bonitate, quoniam ea nonniſi intrinſece bonam præcipit. Atque adeo qui virtute præditus eſt, actionem hanc potius committit, quam omittit, quia intrinſece bona eſt. Eodem modo ſeſe res habet cum actione intrinſece mala. Ceterum tenendum eſt, in caſu particulari intrinſecam bonitatem & malitiam agnoſci, non attentis terminis generalibus. Ita e. gr. actio, qua capitur cibus, bonitatem intrinſecam habet, quatenus eum ideo appetimus, quod ſanitati conſervandæ inſervientem agnoſcimus. Quamobrem ſi quis hunc eligit cibum præ altero, quod illum ſanitati amicum, hunc inimicum noverit; temperantem hunc cibum eligere dicimus, quia hæc electio bonitatem intrinſecam habet, ſeu in numero actionum intrinſece bonarum eſt. Hæc probe perpendenda ſunt iis, qui terminorum generalium vim ac poteſtatem animo minime comprehendunt, conſequenter ad exempla animum advertentes negant ob bonitatem vel malitiam intrinſecam actionis fieri, ut alia committatur, alia omittatur, quod actionem committens, vel omittens ad notionem generalem, quam nunquam diſtincte perpendit, animum minime advertit. Quæ hic de actionum intrinſeca bonitate ac malitia annotantur, de aliis quibuſcunque terminis generalibus tenenda.

§. 337.

Virtute prædito motivis utitur intrinſeca actionum bonitate & malitia & motivis ab attributis Dei deſumtis. Etenim virtute præditus actiones legi na-

Motiva quænam ſint vir-

tute præ-dito. turæ conformes committit, quia intrinſece bonæ, difformes omittit, quia intrinſece malæ (§. 336), cumque adeo per intrinſecam actionum bonitatem & malitiam intelligatur, cur illas velit, has nolit; intrinſeca bonitas eſt ratio ſufficiens volitionis, intrinſeca vero malitia ratio ſufficiens nolitionis (§. 56 *Ontol.*). Quoniam itaque ratio ſufficiens volitionis ac nolitionis motivum eſt (§. 887 *Pſychol. empir.*); virtute præditus motivis utitur intrinſeca actionum bonitate & malitia. *Quod erat unum.*

Jam homo per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligatur ad determinandum actiones liberas per motiva ab attributis divinis deſumta (§. 251) & ad non omittendum iſta motiva in determinatione actionum liberarum (§. 252). Quoniam obligatio naturalis eſt, quæ cum ipſa hominis eſſentia atque natura ponitur (§. 129); obligatio ad utendum motivis ab attributis Dei deſumtis naturalis eſt. Virtute præditus obligationi naturali ſatisfacit (§. 333). Ergo etiam utitur motivis ab attributis Dei deſumtis. *Quod erat alterum.*

Equidem & fieri poteſt, & ſolet, ut motiva ab attributis divinis deſumta non conjungantur cum motivis ab actionum intrinſeca bonitate ac malitia petitis; cum quotidie videamus alios nonniſi motivis uti a Dei voluntate vel aliis attributis ejuſdem deſumtis, alios vero nonniſi motivis ab honeſtate intrinſeca vel turpitudine intrinſeca actionis petitis; non tamen hinc probatur, recte facere, qui hoc faciunt. Virtus imperfecta eſt, quæ motiva ab attributis divinis deſumta ſeparat ab iis, quæ petuntur ab actionum intrinſeca honeſtate ac turpitudine.

§. 338.

Virtus philoſophica quænam dicatur.

Virtus philoſophica a nobis dicitur habitus conformandi actiones legi naturali ob intrinſecam earundem bonitatem ac malitiam.

Hic gradus virtutis infimus eſt. Admittenda hæc virtus etiam ab iis, qui Deum eſſe negant, vel de ejus exiſtentia dubitant, vel eum prorſus ignorant. Exemplo ſunt Sinæ, qui diſtincta Dei cognitione deſtituti virtutem tamen philoſophicam coluerunt, quemadmodum libri eorum claſſici loquuntur, quos Miſſionarius e Societate Jeſu R. P. *Franciſcus Noël* in Latinum vertit, & Pragæ edidit.

§. 339.

Pietas philoſophica quænam dicatur.

Pietas philoſophica vocatur habitus conformandi actiones legi naturæ vi motivorum ab attributis divinis & providentia divina deſumtorum, quatenus lumine rationis innotuerunt.

Pietas philoſophica non modo complectitur officia erga Deum, quæ ſuo loco explicaturi ſumus; ſed ſeſe per omnes virtutes reliquas diffundit, atque ad gradum ſublimiorem evehit. Unde patet, virtutem ad hunc gradum evectam cadere non poſſe in eos, qui Deum ignorant, diſtincta ejus cognitione deſtituti.

§. 340.

Virtus chriſtiana quænam dicatur.

Virtus chriſtiana dicitur habitus conformandi actiones legi naturali ac voluntati divinæ vi motivorum, quæ a veritatibus divinitus revelatis, de opere inprimis redemtionis, deſumuntur. Dicitur etiam *Virtus theologica.*

Monui jam in Notis ad Orationem de Sinarum philoſophia practica *not.* 53, cur virtus chriſtiana ſit opus vere divinum, viribus naturæ ſuperius. Unde liquet Theologi eſſe, non Philoſophi de hac virtute agere.

§. 341.

§. 341.

Qui pietatem cum virtute conjungit, actiones legi naturæ conformes committit, difformes omittit, quia Deus illas committi, has omitti vult, ſeu actionum committendarum & omittendarum motivum a voluntate Dei deſumit. Etenim pietatem colens actiones legi naturæ conformat vi motivorum ab attributis divinis deſumtorum (§. 339). Quamobrem eum Deus velit, ut homo actiones ſuas legi naturæ conformet (§. 281. 284), imo hominem obliget ad legem naturæ ſervandam (§. 276); qui pietatem cum virtute conjungit, motivum actionum committendarum & omittendarum a voluntate Dei deſumit, conſequenter eum ex motivis intelligatur, cur quid potius velimus, quam nolimus, & cur nolimus potius, quam velimus (§. 888 *Pſychol. empir.*), actiones legi naturæ conformes ideo committit, difformesque omittit, quia Deus illas committi, has omitti vult.

Quando motivum actionum a voluntate Dei deſumatur.

Abſolute neceſſarium non eſt, ut motiva ab intrinſeca honeſtate & turpitudine deſumta conjungantur cum motivis a voluntate divina petitis. Unde virtus philoſophica dari poteſt ſine pietate. Cum tamen lege naturali ad motiva inde petenda obligemur (§. 251); virtutem a pietate ſejunctam defectu quodam laborare palam eſt. Dum etiam legi naturali &, quæ ab ea venit, obligationi naturali ſatisfacere vis, non plene ſatisfacis, ubi omittis, ad quod non omittendum obligat lex naturalis. Virtutem adeo qui colit, quicquid agit, id agere debet, ut voluntati Numinis ſatisfaciat: quod ut luculentius conſtet, ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 342.

Virtute præditus actiones bonas committit, malas omittit, ut ſatisfaciat voluntati divinæ. Etenim actiones ſuas legi naturali conformiter dirigit (§. 321). Quamobrem eum lege naturali ad motiva ab attributis divinis deſumenda obligetur (§. 251); pietatem cum virtute conjungit (§. 338. 339). Qui pietatem cum virtute conjungit, actiones legi naturæ conformes committit, difformes omittit ideo, quia Deus illas committi, has omitti vult (§. 341). Virtute præditus itaque actiones bonas committit, malas vero omittit, ut voluntati divinæ ſatisfaciat.

Virtute præditi ſtudium ſatisfaciendi voluntati divinæ.

Quodſi adeo non intendas bene ac recte agendo, ut voluntati divinæ ſatisfacias, defectus quidam in virtute notatur. Et hoc defectu laboravit virtus Sinarum, qui cum diſtinctam Dei cognitionem minime habuerint, nec ejus voluntati ſatisfacere intenderunt, quantocunque ardore ſtudium virtutis ſuerint proſecuti. Hic vero nemo non videt, quam audaces ſint in criminando, qui aliis perſuadere conantur, quod Sinis ſupremum virtutis gradum tribuerimus, cum ne eum quidem iiſdem conceſſerimus, qui a pietate philoſophica venit, nedum eum, quem virtus chriſtiana ſibi proprium agnoſcit (§. 340). Enimvero pietas philoſophica non hoc ſolo influit in omnem virtutem, quatenus efficit, ut, quicquid agitur, ideo fiat, ut ſupremi Numinis voluntati ſatisfiat; ſed per alia adhuc motiva particularia in virtutes particulares influit, quemadmodum ſuo docebitur loco, hic vero doceri nondum poteſt.

§. 343.

Si motiva ab attributis divinis deſumta cum motivis ab intrinſeca actionum bonitate & malitia petitis conjungantur; appetitus & averſatio fit fortior. Cum enim motivum ſit ratio ſufficiens actuum volitionis & nolitionis (§. 887 *Pſychol. empir.*), adeoque poſito motivo ponatur volitio vel nolitio (§. 118 *Ontol.*);

Appetitus & averſatio quomodo fortior fiat.

Ontol); evidens eſt, poſito ſolo motivo ab intrinſeca actionum bonitate & malitia deſumto poni actum volitionis & nolitionis, poſitoque ſolo motivo ab attributis divinis deſumto poni itidem actum volitionis ac nolitionis. Quamobrem ſi motiva ab attributis divinis deſumta ad motiva ab intrinſeca actionum bonitate & malitia petita accedant; neceſſe eſt ut vehementius velis vel appetas, quod appetis, ac vehementius nolis vel averſeris, quod averſaris. Quodſi quid vehementius appetas vel averſeris, haud tam facile te adduci patieris, ut, quod appetis, non appetas, & quod averſaris, non averſeris, conſequenter non tam facile ab appetitione & averſatione te dimoveri patieris. Quoniam itaque appetitus fortior eſt, ſi ab appetitione non facile te dimoveri patiaris, & fortior eſt averſatio, ſi ab averſatione non facile te dimoveri patiaris (§. 911 *Pſychol. empir.*); ſi motiva ab attributis divinis deſumta cum motivis ab intrinſeca actionum bonitate & malitia petitis conjungantur, appetitus & averſatio fit fortior.

Oſtenditur etiam hoc modo. Poſito ſolo motivo ab intrinſeca actionis bonitate ac malitia deſumto ponitur volitio & nolitio, & poſito ſolo motivo ab attributis divinis deſumto ponitur itidem volitio & nolitio *per demonſtrata*. Quamobrem etſi quædam adſit ratio ad te a volitione & nolitione dimovendum ſufficiens, quatenus pendet ab uno motivo; non tamen ideo ab eadem dimoveris, quia adhuc ſubſiſtit vi motivi alterius. Quodſi ergo utraque motiva conjungas, difficilius a volitione vel appetitione, & nolitione vel averſatione te dimoveri pateris, quam ſi alterutro tantum utaris. Unde denuo patet ut ante, ſi motiva ab attributis divinis petita conjungantur cum motivis ab intrinſeca actionum bonitate & malitia deſumtis, appetitum & averſationem fieri fortiorem.

Experientia loquitur, motiva ſola ſufficere, ut actiones bonas appetamus, malas averſemur, quæ ab intrinſeca earum bonitate & malitia deſumuntur, nec minus ſola ſufficere, quæ ab attributis divinis, veluti a voluntate Numinis, petuntur. Illud probat exemplum Sinarum, teſtibus eorum libris claſſicis; hoc liquet exemplo eorum inter nos, qui cum actionum intrinſecam bonitatem & malitiam minime capiant, in voluntate Numinis tanquam motivo acquieſcunt. Quodſi appetitus ſenſitivus pugnet cum rationali; facilius ille hunc vincit, ſi motivum nonniſi unum moveat appetitum rationalem, quam ſi geminum.

§. 344.

Pietatis in virtutem influentis efficacia. Quoniam motiva ab attributis divinis deſumta cum motivis ab intrinſeca actionum bonitate ac malitia petitis conjunguntur, ſi pietas cum virtute conjungatur (§. 338. 339), fortior autem fit appetitus & averſatio, ſi utraque motiva conjungantur (§. 343); evidens eſt, *ſi pietas cum virtute conjungatur, appetitum & averſationem fieri fortiorem*, conſequenter *ſtudium virtutis facilitari*, ſeu *virtutem facilius acquiri, imo & conſervari.*

Nimirum volitio & nolitio facilius conſtans redditur, motivis utriſque conjunctis, atque adeo actus, quibus ſæpius repetitis enaſcitur ille habitus, in quo virtus conſiſtit, facilius eliciuntur, conſequenter is etiam facilius non modo acquiritur, verum etiam, ubi acquiſitus fuerit, conſervatur.

§. 345.

§. 345.

Virtute prædituſ actiones legi naturæ conformes lubenter ac libere committit; actiones eidem diſformes lubenter ac libere omittit. Etenim actiones legi naturæ conformes committit, quia intrinſece bonæ, eidem diſformes omittit quia intrinſece malæ (§. 336), conſequenter cum actiones intrinſece bonæ nos ſtatumque noſtrum perficiant (§. 103), imperfectiores contra nos ſtatumque noſtrum reddant actiones intrinſece malæ (§. 106); illas committit, has vero omittit, quia illas ſe ſtatumque ſuum perficere, has vero ſe ſtatumque ſuum imperfectioni obnoxium reddere agnoſcit. Quoniam itaque ex cognitione intuitiva perfectionis voluptas (§. 511 *Pſychol. empir.*), ex cognitione autem intuitiva imperfectionis tædium ſive moleſtia naſcitur (§. 518 *Pſychol. empir.*); illas committit, has omittit, quia ex illis voluptatem, ex his vero tædium ſeu moleſtiam percipit, conſequenter cum id placeat, ex quo voluptas percipitur, diſpliceat autem, ex quo tædium percipitur (§. 542 *Pſychol. empir.*), quia illæ placent, hæ vero diſplicent. Enimvero lubenter facimus, ſi quod nobis placet, facimus (§. 938 *Pſychol. empir.*). Virtute præditus itaque actiones legi naturæ conformes lubenter committit; eidem diſformes lubenter omittit. *Quod erat unum.* *Virtute præditi libertas in agendo.*

Porro qui ex pluribus poſſibilibus ſponte eligit, quod ipſi placet, libere agit (§. 941 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum ſua ſponte actiones legi naturæ conformes præ diſformibus eligat virtute præditus (*per demonſtrata* & §. 933 *Pſychol. empir.*); quin actiones legi naturæ conformes libere committat, eidem diſformes libere omittat, dubitandum non eſt. *Quod erat alterum.*

Patet itaque virtute præditum eſſe vere liberum, nec repugnante voluntate propria quicquam facere, quatenus voluntatem ſuam alterius voluntati ſubjicere tenetur, cum mallet aliter facere, ſi ſua ſtare daretur voluntate. Et quamvis virtute præditus actiones bonas etiam committat, malas omittat, ut hoc ipſo ſatisfaciat voluntati divinæ (§. 342); voluntati tamen divinæ ſatisfacere ſtudet ob ipſam bonitatem intrinſecam hujus ſtudii, conſequenter id non minus libere ac lubenter facit, quam ipſam actionem voluntati divinæ conformem (§. 342) committit, diſformem vero omittit. Alius prorſus animi ſtatus in eo eſt, qui mallet contrarium agere, ſiquidem alterius voluntati ſuam ſubjicere minime teneretur, quemadmodum voluntate propria repugnante, nec raro abſque indignatione faciunt, quod vult alter, cujus imperio ſubſunt, pœnarum aut alterius mali metu adducti.

§. 346.

Virtute præditus opus non habet pœnis, ut ad actiones legi naturæ conformes committendas, & ad actiones eidem diſformes omittendas compellatur. Etenim actiones committit ob earundem bonitatem intrinſecam, quæ legi naturæ conformes ſunt, & quæ eidem diſformes ſunt, eas omittit ob earundem malitiam intrinſecam (§. 336), conſequenter non habet opus, ut illarum omiſſionem, harum commiſſionem ſibi repræſentet tanquam malam propter pœnam, quæ illam & hanc manet (§. 285). Quoniam igitur metu pœnarum determinetur voluntas in contrarium, pœna opus non eſt; nemo non videt virtute præditum non habere opus pœnis, ut ad actiones legi *Metus pœnarū cur a virtute abſit.*

naturæ

naturæ conformes committendas & ad actiones eidem difformes omittendas compellatur.

§. 347.

Quando actio externa legi naturæ conformis ex habitu virtutis non procedat.

Qui actionem tantummodo externam legi naturæ conformem metu pœnæ, vel ſpe præmii poſitivi edit, virtute præditus non eſt. Etenim quia actio tantummodo externa legi naturæ conformis *per hypoth.* interna eidem non eſt. Quamobrem cum interna actio ſit volitio, vel nolitio externæ reſpondens (*§. 567 part. I. Theol. nat.*); hæc legi naturæ conformis non eſt. Quoniam itaque lex naturæ nos obligat ad actionem intrinſece bonam committendam, intrinſece malam omittendam (§. 153); qui actionem tantummodo externam legi naturæ conformem metu pœnæ, vel ſpe præmii poſitivi edit, actionem committere non vult, quia intrinſece bona, nec aliam omittere vult, quia intrinſece mala. Enimvero qui virtute præditus eſt, actiones legi naturæ conformes committit, quia intrinſece bonæ, & eidem difformes omittit, quia intrinſece malæ (§. 336). Ergo is virtute præditus non eſt, qui ſolum actionem externam legi conformem edit metu pœnæ, vel ſpe præmii poſitivi.

Pœnarum metu vel ſpe præmii qui adducitur ad actionem aliquam committendam, vel omittendam, eandem ſibi tanquam bonam vel malam non repræſentat, niſi quatenus eam habet pro medio evitandi pœnam, vel conſequendi præmium, adeoque non ipſam appetit actionem, vel averſatur, ſed præmium appetit, pœnam averſatur. Unde apparet, manere voluntatem actionem committendi vel omittendi, modo pœnam evitare poſſet, vel præmium accipere valeret, actione licet legi naturæ difformi edita. Abeſt igitur conſtana illa & perpetua voluntas non faciendi niſi quod legi naturæ conforme, ſine qua virtus concipi nequit (§. 328). Sane qui nonniſi metu pœnarum vel ſpe præmii commovetur ad actionem legi naturæ conformem edendam; ille difformem edit, quamprimum pœnam a ſe evitari poſſe ſibi perſuadet, aut præmium a ſe non obtentum iri arbitratur. Hoc enim in caſu nullum amplius remanet actionis edendæ motivum. Atque adeo patet, quam ſit adverſa virtuti eorum ſententia, qui animæ non aliam concedunt libertatem, quam quatenus vel pœnarum metu, vel ſpe præmiorum flecti poteſt voluntas.

§. 348.

Signum veræ virtutis gaudium bene agendi.

Virtute præditus actiones legi naturæ conformes cum gaudio committit: Actiones enim legi naturæ conformes committit, quia intrinſece bonæ (§. 336). Quamobrem cum voluptatem ex eo percipiamus, quod bonum eſſe cognoſcimus (*§. 558 Pſychol. empir.*); ex actione legi naturæ conformi voluptatem percipit. Agit vero ex habitu (§. 338), adeoque prompte, abſque ulla mora (*§. 428 Pſychol. empir.*), & conſtantia voluntatis (§. 328), conſequenter ſe a propoſito agendi nullis rationibus abduci patitur (*§. 1062 part. I. Theol. nat.*). Quamobrem dubitandum non eſt, quin voluptas ex actione legi naturæ conformi percepta prædominetur (*§. 529 Pſychol. empir.*). Quoniam itaque in prædominio voluptatum gaudium conſiſtit (*§. 614 Pſychol. empir.*); quod virtute præditus actiones legi naturæ conformes cum gaudio committat, extra omnem controverſiam poſitum eſt.

Agnovit

Agnovit hoc *Confucius*, qui diſcipulis ſuis ſignum virtutis acquiſitæ commendavit gaudium ex actione bona perceptum, pro certo habens, neminem virtutem ipſam conſecutum, ſed ad eam adhuc contendere, qui nondum gaudet, quando bene agit, quod bene agat. Nec id ab experientia abhorrere, ex ſeipſo diſcet, qui in virtute quadam colenda plurimum ſtudii poſuit. Equidem haud ignoro, eſſe haud paucos, quibus propoſitio præſens experientiæ contraria videtur. Sed lubens concedo, quod propriæ ipſorum experientiæ adverſetur: ſunt enim ex illorum numero, qui nonniſi metu pœnarum vel ſpe præmii agunt, quod legi naturæ conſentaneum, adeoque a vera virtute adhuc alieni (§. 337).

§. 349.

Actio metu pœnarum & ſpe præmii elicita num ſit recta.

Actio recta non eſt, quæ metu pœnarum extorquetur, vel ſpe præmii tantummodo elicitur. Ad actionem enim rectam requiritur notio actionis ſufficienter determinata, judicium verum de actionis bonitate & malitia, determinatio voluntatis per bonitatem, noluntatis per malitiam actionis (§. 80). Enimvero ſi actio tantummodo extorquetur metu pœnarum, vel ſpe præmii elicitur; voluntas per bonitatem, noluntas per malitiam actionis non determinatur, & judicium verum de actionis bonitate & malitia, nec non determinata ejus notio, ſine qua judicium hoc minime datur, deeſt. Patet itaque actionem rectam non eſſe, quæ metu pœnarum extorquetur, vel ſpe præmii tantummodo elicitur.

In caſu particulari veritas propoſitionis admodum manifeſta. Ponamus enim Titium, cui furti committendi animus eſt, a furto abſtinere, propterea quod ſibi metuit a pœna, idem commiſſurus, ſiquidem pœnam evitare poſſet. Nemo non videt, eundem turpitudinem furti intrinſecam minime cognoſcere, nec ob eandem ab eodem abhorrere: quin potius furtum ob utilitatem, quam inde ſperat, bonum judicare, & idem tanquam bonum appetere, nec ſine repugnantia appetitus ſenſitivi, metu pœnarum a propoſito furandi avocari, ne idem exequatur. Ecquis ergo dixerit, cum animus furandi non tollatur, ſed tantummodo actio externa ſuſſlaminetur, abſtinentiam a furto ex virtute proficiſci? Quod pœnarum metui debetur, non tribuendum virtuti. Virtute præditus actionis rectitudinem ſemper curæ cordique habet (§. 334). Recta igitur actio non eſt, quæ metu pœnarum extorquetur. Idem non minus aperte loquuntur in caſu particulari actiones, quæ ſpe præmii unice eliciuntur.

§. 350.

Quando actio non fluat ex virtute.

Ex eo, quod quis metu pœnarum vel ſpe præmii actionem quandam committit, vel omittit, non ſequitur, quod ſit virtuti deditus. Etenim quæ metu pœnarum extorquetur, vel ſpe præmii elicitur actio, recta non eſt (§. 349). Enimvero virtute præditus omnem adhibet curam, ut actio quælibet ſit recta (§. 334). Ex eo igitur, quod quis metu pœnarum vel ſpe præmii actionem quandam committit, vel omittit, non ſequitur, quod ſit virtuti deditus.

Propoſitio hæc probe tenenda, ne fallaci ſigno concludamus, quaſi vel ipſimet aut alii ad virtutem jam perveniſſent. Multi enim ad virtutem perveniſſent, niſi ſe jam eo perveniſſe putaſſent. Præterea ſilentio prætereundum minime eſſe exiſtimo, quod plurimum interſit, ut accurate perſpiciamus, quænam ad actionem requirantur, ut dici poſſit ex virtute procedere: neque enim hinc ſolummodo actionum humanarum imperfectio agnoſcitur, cum earum defectus diſtincte enumerare valeamus; verum etiam Sanctorum Patrum, inprimis *Auguſtini* de virtute Gentilium dicta, haud paucis duriora viſa, rectam habent interpretationem. Sed de hiſce alibi forſan commodior erit dicendi locus.

§. 351.

§. 351.

Amor virtutis ab ea inſeparabilis.

Virtute præditus amat virtutem. Etenim actiones legi naturali conformes cum gaudio edit (§. 348), conſequenter cum gaudium in prædominio voluptatum inſigni conſiſtat (§. 614 *Pſychol. empir.*), inſignem ex iis voluptatem percipit. Quamobrem cum virtus ſit habitus edendi actiones legi naturæ conformes (§. 321); quin ex ea quoque inſignem percipiat voluptatem, dubitandum non eſt. Enimvero ſi in re inanimata quidpiam deprehendimus, quod nobis multam afferat voluptatem, eam amamus (§. 654 *Pſychol. empir.*). Patet itaque hominem virtuti deditum amare virtutem.

Oſtenditur etiam hoc modo. Quoniam virtute præditus committit actiones ad perfectionem ſui aliorumque, Deique gloriam tendentes (§. 330), & perfectio hominis in aptitudine manifeſtandi gloriam divinam conſiſtit (§. 917 *part. I. Theol. nat.*); quin virtus habeat, ex quo voluptas percipitur, dubitandum non eſt (§. 511 *Pſychol. empir.*). Quoniam itaque amor rerum inanimatarum non eſt niſi diſpoſitio animæ ad voluptatem ex ipſis percipiendam (§. 657 *Pſychol. empir.*); evidens eſt virtute præditum amare virtutem.

Atque ita demum intelligitur, quod canit Vates:

Oderunt peccare mali formidine pœnæ:
Oderunt peccare boni virtutis amore.

Prius patet per propoſitionem paulo ante (§. 347) demonſtratam: poſterius liquet per propoſitionem præſentem. Nimis abjecte de virtute ſentiunt, qui eam a metu pœnarum & ſpe præmiorum dependentem faciunt: quaſi vero virtus ſit ſervile quid, ut metu pœnarum indigeat, vel mercenarium quid, ut ſpe præmiorum nitatur. Pulchritudinem virtutis, qua ſeipſam commendat, minime perſpiciunt, qui eam a metu pœnarum & ſpe præmiorum derivant.

§. 352.

Effectus amoris virtutis.

Virtute præditus virtutem, quam adeptus, continuo magis perficere ſtudet: Amat enim virtutem (§. 351). Sed qui rem inanimatam amat, ad perfectionem ejus promovendam pronus eſt (§. 655 *Pſychol. empir.*). Ergo qui virtuti deditus, ad ejus perfectionem promovendam pronus eſt, conſequenter cum continuo ulterioris perfectionis capax ſit, quod a poſteriori ſatis conſtat, eam continuo magis perficere ſtudet, ubi eam adeptus eſt.

Ipſa igitur virtus ſtimulus eſt ad eam perficiendam, ut aliis incitamentis opus non ſit. Accedit quod eadem ſit perfectio, quæ in voluntatem cadit. Quamobrem quatenus ejus nobis conſcii ſumus, perfectionis cujuſdam noſtræ nobis conſcii ſumus. Quoniam itaque inde oritur voluptas (§. 511 *Pſychol. empir.*); ea ipſa nobis ſtimulo eſt, ut eam ſollicite conſervemus, & ad ulteriorem perfectionem deducamus. Etſi itaque initio virtus amor ſit, antequam ejus dulcedo deguſtetur; in progreſſu tamen continuo magis magiſque dulcedine ſua ſeſe commendat.

§. 353.

Præmium virtutis.

Virtus ſibimetipſi præmium eſt, ſeu ipſamet præmium in nos confert. Etenim virtus efficit, ut actiones noſtras legi naturæ conformiter dirigamus (§. 321), conſequenter ut eas edamus actiones, quæ ad noſtri ſtatuſque noſtri perfectio-

fectionem tendunt (§. 330). Quamobrem cum ea, quæ nos ſtatumque noſtrum perficiunt, bona ſint (§. 554 *Pſychol. empir.*); ipſa virtus in nos confert bona ob actiones patratas, etſi nulla ratione fingi poſſit, quod ad ea conferenda nobis obligetur. Quoniam itaque præmium eſt bonum iſtud, quod ob actionem patratam in nos confertur (§. 295); virtus ipſamet præmium in nos confert, ſeu ſibimetipſi præmium eſt.

Patet idem etiam hoc modo. Virtus efficit, ut actiones legi naturæ conformes edamus (§. 321), conſequenter præmia naturalia nos certo manent, utpote ex ipſa actione neceſſario reſultantia (§. 311). Virtus itaque ipſamet præmia in nos confert, ſeu ſibimetipſi præmium eſt.

Ubi ſuo loco oſtendemus, quænam bona ex actionibus noſtris conſequantur; veritas propoſitionis luculentius conſtabit, tumque plenius intelligetur, quod canit Vates: *Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces.* Neque enim negandum eſt, veteres virtutis interiorem rationem rectius perſpexiſſe, quam multos recentiorum, qui nonniſi confuſam ejus notionem habentes eam diffamant, dum laudare conantur, ut adeo non ſit quod miremur, ſi nubem pro Junone amplexi ipſimet ſibi placeant in vitiis ſuis, quæ in virtutum numero ponunt, & veræ ac non fucatæ virtuti adverſentur.

§. 354.

Qui vitio deditus eſt, actiones eas committit, quæ tendunt ad ſui aliorumque ac ſtatus ſui & aliorum imperfectionem, & quæ contrariantur gloriæ divinæ illuſtrationi. Etenim qui vitio deditus eſt actiones eas committit, quæ contrariantur lege naturæ præceptis (§. 322). Quoniam itaque lege naturali obligamur ad committendas actiones, quæ ad noſtri ſtatuſque noſtri (§. 152) & aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem (§. 222. 223) atque gloriæ divinæ manifeſtationem tendunt (§. 254); vitio deditus committat neceſſe eſt actiones, quæ tendunt ad ſui aliorumque ac ſtatus ſui & aliorum imperfectionem, gloriæque divinæ illuſtrationi contrariantur. *Quales actiones committat vitio deditus.*

Hinc patet, unde naſcantur diverſæ vitiorum ſpecies; nimirum a diverſitate imperfectionis noſtræ & aliorum, ſtatuſque noſtri & aliorum, diverſiſque modis contrariandi illuſtrationi gloriæ divinæ. Unde patet, vitium quoque definiri poſſe per habitum ſeu perpetuam & conſtantem voluntatem faciendi ea, quibus quis ſe ſtatumque ſuum imperfectiorem reddit, nec non alios ſtatumque eorundem imperfectiores efficit. Vitia nimirum contraria ſunt virtuti (§. 321. 322). Quamobrem ubi conſtiterit, quænam ſint virtutes, nec vitia iiſdem oppoſita latere poſſunt, cum ex habitu vitiorum profluentes actiones contrariæ ſint actionibus ex habitu virtutis procedentibus.

§. 355.

Vitio deditus actiones ſuas liberas per diverſas rationes finales determinat, quam per quas naturales determinantur. Dirigit enim actiones ſuas contraria ratione, quam lege naturali præſcribuntur (§. 322). Quare cum lege naturali obligemur ad determinandum actiones liberas per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales (§. 154); neceſſe eſt ut vitio deditus eas determinet per rationes ab iis diverſas. *Quomodo eaſdem determinet.*

E. gr. Cum actiones vitales corporis tendant ad ejus conſervationem, qui vitio deditus eſt, cibum ac potum non capit ſanitatis ac vigoris corporis conſervandi gratia; verum ut ſapore grato palatum demulceat, ut aliorum deſiderio ſatisfaciat, ut ſui ſimilium captet favorem, & quæ aliæ ſunt iſtiuſmodi rationes complures.

Digitized by Google

§. 356.

Vitioſus quomodo contrarietur legi naturæ.

Vitio deditus omittit, quæ lex naturæ præcipit; committit, quod prohibet. Qui enim vitio deditus eſt, eas committit actiones, quæ tendunt ad ſui ſtatuſque ſui & aliorum ſtatuſque eorundem imperfectionem & quæ contrariantur illuſtrationi gloriæ divinæ (§. 354), conſequenter eas omittit, quæ tendunt ad ſui ſtatuſque ſui & aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem, gloriæque divinæ illuſtrationem. Enimvero lex naturæ præcipit, ut committamus actiones, quæ ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri (§. 152) & ad aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem (§. 222. 223), ac gloriæ divinæ illuſtrationem tendunt (§. 254); prohibet vero eas, quæ tendunt ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri (§. 168), nec non aliorum ſtatuſque eorundem imperfectionem (§. 231. 163), & quæ illuſtrationi gloriæ divinæ contrariantur (*per demonſtr.* in §. 253). Patet itaque vitio indulgentem omittere, quæ lex naturæ præcipit; committere vero, quod prohibet.

§. 357.

Quinam legem naturæ ſervet, quinam tranſgrediatur.

Virtute præditus legem naturæ ſervat, vitio deditus eandem tranſgreditur. Virtute præditus dirigit actiones ſuas legi naturæ conformiter (§. 321), conſequenter eas juxta eandem determinat. Enimvero qui actiones ſuas juxta legem naturæ determinat, is eam ſervat (§. 138). Quamobrem virtute præditus legem naturæ ſervat. *Quod erat primum.*

Ex adverſo vitio deditus eas actiones omittit, quas lex naturæ præcipit; eas vero committit, quas prohibet (§. 356). Sed qui actiones omittit, quas lex naturæ præcipit, conſequenter quæ juxta eandem committendæ (§. 164), & eas committit, quæ eadem lex prohibet, conſequenter quæ juxta eandem omittendæ (§. 163), legem naturæ tranſgreditur (§. 139). Qui ergo vitio deditus eſt, legem naturæ tranſgreditur. *Quod erat ſecundum.*

Secundum etiam oſtenditur hoc modo. Qui vitio deditus eſt, actiones ſuas contraria ratione determinat, quam lege naturali præſcribitur (§. 322). Enimvero qui actiones contraria ratione determinat, quam juxta legem naturæ determinari debebant, eam tranſgreditur (§ 139). Vitio itaque deditus legem naturæ tranſgreditur.

Si quis vitio tantummodo particulari deditus eſt, non vero omni, is legem quoque naturæ tantummodo tranſgreditur quoad eas actiones, quæ ex iſto vitio proficiſcuntur, non vero neceſſe eſt, ut ceteræ ejus actiones omnes ſint legi naturæ contrariæ. Idem quoque tenendum de eo, qui virtuti particulari deditus, non vero omni: fieri enim poteſt ut committat actiones legi naturæ adverſas, quæ ex illa virtute minime proficiſcuntur. Unde cavendum eſt ne, ſi quis in certo actionum genere contra legem naturæ peccet, vel eidem ſatisfaciat, inde colligatur ſimpliciter, quod naturæ legem ſervet vel tranſgrediatur: nec ex actionibus certi generis legi naturæ conformibus vel difformibus inferatur ſimpliciter, quod ſit virtuti, vel vitio deditus.

§. 358.

§. 358.

Contrarietas actionum ejus, qui vitio deditus.

Vitio dediti actiones ſibi mutuo contrariantur. Qui enim vitio deditus eſt, actiones ſuas contraria ratione dirigit, quam lege naturali præſcribitur (§. 322), conſequenter cum lex naturæ urgeat directionem actionum ad noſtram perfectionem (§. 152), adeoque omnium inter ſe conſenſum (§. 503 *Ontol.*), conſenſum actionum inter ſe non curat. Ejus itaque actiones omnes minime inter ſe conſentiunt, conſequenter ſibi mutuo contrariantur.

Principium conſenſus omnium actionum tam inter ſe, quam cum naturalibus, eſt earundem determinatio per eaſdem rationes finales, per quas naturales determinantur: ita enim actiones liberæ ad eandem tendunt perfectionem, ad quam tendunt naturales. Enimvero vitio qui deditus eſt, actiones ſuas per diverſas rationes finales determinat, quam per quas naturales determinantur (§. 355), adeoque nonniſi caſu præter intentionem agentis fieri poteſt, ut ad eam perfectionem tendant, ad quam tendunt naturales & quæ naturalis dicitur, ceteris tendentibus ad imperfectionem hominis. Unde nec cum naturalibus, nec inter ſe conſentiunt (§. 503 *Ontol.*). Unde patet propoſitionem præſentem poſſe quoque ex eo demonſtrari, quod vitio deditus committat actionem ad imperfectionem ſui tendentem (§. 354), cum imperfectio in diſſenſu, non in conſenſu conſiſtat (§. 504 *Ontol.*). Abunde vero loquitur experientia, quod a virtute alieni in actionibus ſuis ſibimetipſis contrarii ſint, nunc eandem actionem committentes, nunc omittentes, prouti occaſio tulerit.

§. 359.

Judiciũ vitio dediti de actionibus liberis.

Vitio deditus actiones legi naturæ conformes pro malis, eidem difformes pro bonis habet, aut illas ſaltem pro minus bonis, has vero pro magis bonis. Qui vitio deditus eſt, actiones ſuas contraria ratione dirigit, quam lege naturali præſcribitur (§. 322), adeoque actiones, ad quas committendas nos obligat, omittit ſeu committere non vult: eas vero, ad quas omittendas nos obligat, committit, aut eas potius committere vult, quam illas. Enimvero quoties quid volumus, id nobis repræſentamus tanquam bonum, & quoties quid nolumus, id nobis repræſentamus tanquam malum (§. 892 *Pſychol. empir.*), imo eodem modo ſeſe res habet, ſi appetitus ſenſitivus in quid fertur, vel averſatio fuerit ſenſitiva, ubi quid averſamur (§. 893 *Pſychol. empir.*): quoties vero unum alteri præfertur, id quod præfertur cenſetur melius (§. 898 *Pſychol. empir.*). Neceſſe igitur eſt, ut vitio deditus aut actiones legi naturæ contrarias ſibi repræſentet tanquam bonas, eidem conformes tanquam malas, aut illas ſaltem hiſce meliores judicet.

Perverſum adeo eſt hominis vitio dediti de actionibus humanis judicium: cui tanto facilius locus eſt, ſi bonitas & malitia actionum intrinſeca negetur, vel in dubium vocetur, & naturalis obligatio tollatur. Unde haud difficulter perſpicitur, quam parum faveat virtuti hypotheſis illorum, qui ante legem, a ſuperiore latam, nullam admittunt actionum moralitatem, liciti ac illiciti ante eandem nullum agnoſcentes diſcrimen. Nec minus hinc intelligitur, quanta ſit illorum ἀβλεψία, qui, quod ſibi perſuaſere, aliis perſuadere conantur, quaſi doctrina de intrinſeca actionum bonitate ac malitia virtuti ſit inimica, imo quod virtus omnis eadem tollatur.

§. 360.

Quando intrinſecam bo-

Si vitio deditus actiones legi naturæ conformes pro malis, eidem difformes pro bonis habet; actionum bonitatem & malitiam intrinſecam non agnoſcit. Po-

Digitized by Google

nitatem & malitiam actionū non agnoſcat.

namus enim eum agnoſcere bonitatem ac malitiam intrinſceam actionum. Quoniam lex naturæ nos obligat ad actiones intrinſece bonas committendas, intrinſece vero malas omittendas (§. 153), actio autem intrinſece bona per ea, ſine quibus concipi nequit, bona eſt (§. 57), intrinſece vero mala per ea, ſine quibus concipi nequit, mala eſt (§. 59); actionem legi naturæ conformem pro bona, eidem difformem pro mala habeat neceſſe eſt: quod cum hypotheſin evertat, neceſſe eſt ut vitio deditus bonitatem & malitiam intrinſecam actionum non agnoſcat, ſi actiones legi naturæ difformes pro bonis, eidem conformes pro malis habet.

E. gr. Si quis malum eſſe exiſtimet temperanter vivere, bonum vero luxu diffluere; is vel non agnoſcit, temperantiam ad vitam & ſanitatem conſervandam conducere, intemperantiam vero vitæ ac ſanitati inſidias ſtruere, vel non agnoſcit quantum bonum ſit ſanitas. Sane impoſſibile eſt, ut quis temperantiam per rationes intrinſecas concipiat malam, & intemperantiam bonam, conſequenter ſi illam propter extrinſecas quaſdam rationes pro mala, hanc vero pro bona habeat, neceſſe omnino eſt intrinſecam temperantiæ bonitatem, intemperantiæ vero malitiam ignoret. Imo nec deſunt exempla eorum, qui cum intemperantiæ ſint dediti, negant aut ſaltem in dubium vocant, eam ſanitati eſſe adverſam & vitæ ipſi inſidias ſtruere.

§. 361.

Undenā vitioſus bonitatē & malitiā actionis dijudicet.

Vitio deditus actionum bonitatem voluptate ac utilitate; malitiam vero moleſtia & damno, quod inde percipitur, æſtimat. Qui enim vitio deditus eſt, actionem legi naturæ conformem pro mala; eidem difformem pro bona habet, aut hanc illa meliorem judicat (§. 359). Si actionem conformem pro mala, difformem pro bona habet; bonitatem & malitiam intrinſecam ignorat (§. 360), conſequenter alia eſſe debet ratio, cur illam pro mala, hanc pro bona habeat, quam quæ ex ipſa notione actionis deſumitur (§. 57. 59). Quodſi vero quis actionem legi naturæ difformem pro meliori habet, cum ea intrinſece mala ſit (§. 153); non minus alia ipſi eſſe debet ratio, cur eam pro meliori habeat. Quoniam quid bonum judicatur ex eo, quod voluptatem parit (§. 561 *Pſychol. empir.*), malum ex eo, quod nos moleſtia ſive tædio afficit, ſi ſenſuum judicio ſtetur (§. 573 *Pſychol. empir.*), ac vulgo bonum cenſetur, quod utile, malum vero, quod damnoſum, quemadmodum nemo neſcit; alia ratio, cur vitio deditus actionem quandam bonam eſſe exiſtimat, eſſe nequit, quam quod ipſi voluptatem creet, aut utilitatem afferat; nec alia eſſe poteſt ratio, cur actionem judicet malam, quam quod moleſtiam ſive tædium creet, aut damnum afferat. Atque adeo patet, vitio deditum actionum bonitatem voluptate ac utilitate; malitiam vero moleſtia & damno æſtimare.

Actionum bonitatem & malitiam non dijudicat ex rationibus intrinſecis, niſi qui intrinſecam earum bonitatem & malitiam admittit (§. 57. 59). Vitio igitur deditus ad rationes extrinſecas, poſthabitis intrinſecis, recurrere debet. Rationes extrinſecæ non deſumi aliunde poſſunt, quam vel a voluptate & moleſtia, vel ab utilitate & damno. Quemadmodum vero ſua quemque trahit voluptas, nec de utilitate idem eſt omnium judicium; ita quoque rationes extrinſecæ, quibus utuntur vitio dediti, ut actionem quandam bonam vel malam ſibi perſuadeant, plurimum variant.

§. 362.

Digitized by Google

§. 362.

Vitio deditus motivis volitionis utitur a voluptate & utilitate deſumtis; motivis vero nolitionis a tædio ſive moleſtia & damno petitis. Æſtimat enim bonitatem actionum voluptate, quam creant, vel utilitate, quam adferunt, & malitiam earundem moleſtia, qua nos afficiunt, & damno, quod inde in nos redundat (§. 361). Quoniam itaque motiva volitionis ſunt repræſentatio boni, motiva nolitionis repræſentatio mali (§. 890 *Pſychol. empir.*); vitio deditus motiva volitionis petit a voluptate & utilitate, motiva vero nolitionis a tædio ſeu moleſtia atque damno. *Vitio deditus quibuſnã utatur motivis.*

Alia igitur ſunt motiva hominis vitio dediti, quam virtute præditi (§. 337). Quamvis vero ex eo, quod quis utatur motivis ab intrinſeca actionum bonitate & malitia & attributis Dei deſumtis, certo colligatur, quod ſit virtute præditus, quia vitio deditus iisdem non utitur (§. 359. 360); non tamen viciſſim ex eo, quod quis utatur motivis a voluptate vel moleſtia, utilitate vel damno petitis, inferre licet, quod ſit vitio deditus, quia virtuti deditus ſubinde hæc motiva cum ceteris conjungere poteſt. Quamobrem tum demum valet argumentatio; ſi a ſola voluptate vel moleſtia, aut a ſola utilitate vel damno ſolo petatur motivum.

§. 363.

Vitio deditus nonniſi metu pœnarum & ſpe præmiorum adduci poteſt, ut actiones legi naturæ conformes committat, difformes omittat. Vitio enim deditus actiones ſuas contraria ratione dirigit, quam lege naturæ præſcribitur (§. 322), omittens ſcilicet quæ lex naturæ præcipit, committens quod prohibet (§. 356). Quamobrem motiva, quibus nititur naturalis obligatio (§. 118), quæ a lege naturæ venit (§. 141), non ſufficiunt ipſi, ut velit eas committere actiones, quas committendas præcipit lex naturæ, & omittere eas, quas prohibet. Opus igitur eſt obligatione alia, conſequenter cum præter obligationem legis naturalis non detur alia naturalis (§. 144), poſitiva, a voluntate legiſlatoris profecta (§. 290). Enimvero aliter quam ſanctione pœnali & præmiorum promiſſione introduci nequit obligatio poſitiva (§. 301). Vitio igitur deditus ad ſervandam naturæ legem, hoc eſt, ad committendas actiones eidem conformes, omittendas difformes, aliter obligari nequit niſi per pœnas & præmia. Quamobrem cum pœna ſit malum (§. 285), quod a perpetrata actione ſubeundum metuit (§. 822 *Pſychol. empir.*), præmium vero bonum (§. 295), quod ab eadem perpetrata ſperat (§. 796 *Pſychol. empir.*); nonniſi pœnarum metu & ſpe præmiorum adduci poteſt ad actiones legi naturæ conformes committendas, difformes vero omittendas. *Quomodo vitio deditus obligetur ad naturæ legem ſervandam.*

Huc reſpexere veteres, quemadmodum jam ſupra annotavimus (*not.* §. 351), quando affirmarunt, malos eſſe, qui peccare oderunt formidine pœnæ. Idemque ſenſiſſe *Confucium* alibi jam docuimus; qui a virtute metum pœnarum & ſpem præmiorum removit. Quodſi homines rationis ductum ſecuti ſuas determinarent actiones, nullis opus eſſet pœnis, nec opus eſſet præmiis, tanquam motivis, ſine quibus ceſſaret recte agendi voluntas. Eſt enim adhuc alius præmiorum uſus, virtuti minime adverſus, quatenus ſcilicet legiſlatorem tanquam benefactorem commendant, adeoque animum gratum excitant (§. 784 *Pſychol. empir.*), in virtutis ſtudium influentem. Hic vero uſus obtinet, etiamſi ideam legiſlatoris ſeponas, & alium quemcunque benefactorem, præmiis virtute præditus ornantem, in ejus locum ſurroges.

Atque

Atque hæc probe notanda ſunt, ut intelligatur, quomodo præmia ſuis a Chriſto promiſſa influant in ſtudium illibatum chriſtianæ virtutis, ne mercenaria dici poſſit.

§. 364.

Quomodo ad legem naturæ ſervandam obligētur ii, in quibus naturalis obligatio inefficax.

Qui intrinſecam actionum bonitatem & malitiam vel ignorat, vel motivum volitionis ac nolitionis quacunque de cauſa inſufficiens experitur; is nonniſi metu pœnarum & ſpe præmiorum adduci poteſt, ut actiones legi naturæ conformes committat, difformes omittat. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus.

Hanc propoſitionem ideo ſubjungimus præcedenti, ne quis eam convertendo, vitio deditum concludat, qui obligationem naturalem vel rejicit, vel ignorat, aut metu pœnæ ac ſpe præmii noluntatem ac voluntatem determinat in committendis actionibus legi naturæ conformibus & omittendis eidem difformibus.

§. 365.

Cur vitio deditus cum gaudio non agat juxta legem naturæ.

Si vitio deditus edit actionem legi naturæ conformem, vel omittit eidem difformem; id cum gaudio non facit. Etenim ſi vitio deditus agere debet, quod legi naturæ conforme, vel omittere, quod eidem difforme; metu pœnarum & ſpe præmiorum ad id adducendus (§. 363). Quamobrem actionem legi conformem per ſe appetere, legi difformem per ſe averſari nequit, cum alias pœnis & præmiis non eſſet opus ad appetitum determinandum (§. 94. 95). Quoniam itaque ipſi non eſt motivum volitionis & nolitionis, quod ab ipſa actione in ſe ſpectata deſumitur (§. 887 *Pſychol. empir.*); nec actionem legi naturæ conformem in ſe tanquam bonam, eidem vero difformem in ſe tanquam malam ſibi repræſentat (§. 890 *Pſychol. empir.*), conſequenter nec illius commiſſionem, nec hujus omiſſionem pro bona habet. Quamobrem cum ex actione non percipiatur voluptas, niſi quatenus eam bonam cognoſcimus (§. 558 *Pſychol. empir.*); ex actione legi naturæ conformi committenda, eidem difformi omittenda nullam percipit voluptatem, conſequenter quia gaudium in prædominio voluptatum inſigni conſiſtit (§. 614 *Pſychol. empir.*), actiones legi naturæ conformes non committit, nec difformes omittit cum gaudio.

Oſtenditur etiam indirecte hoc modo. Ponamus vitio deditum cum gaudio edere actionem legi naturæ conformem, vel omittere eidem difformem. Quoniam gaudium eſt prædominium inſigne voluptatum (§. 614 *Pſychol. empir.*); ex actione legi naturæ conformi qua committenda, & eidem difformi qua omittenda, voluptatem inſignem percipere debet, conſequenter actionum conformium commiſſio placet, difformium omiſſio placet itidem (§. 542 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum lubenter faciamus, quod placet (§. 938 *Pſychol. empir.*); actionem legi naturæ conformem lubenter committit, eidem difformem lubenter omittit. Non igitur opus eſt, ut demum metu pœnarum vel ſpe præmiorum ad id adducatur. Quod cum ſit abſurdum (§. 363); fieri haud quaquam poteſt, ut vitio deditus edat actionem legi naturæ conformem, vel omittat eidem difformem cum gaudio.

In

Digitized by Google

In actiones humanas adeo multa influunt, ut multo acumine multaque circumſpectione opus ſit, ne in iis, quæ eaſdem concernunt, dijudicandis a vero aberres. Accidit hinc, ut haud raro non ſatis cauti eſſe poſſimus in eloquendo, ne perverſis interpretationibus relinquatur locus: neque enim ſicuti in philoſophia univerſa, ita inprimis in practica adeo facile eſt, quemadmodum in Geometria, id evitare, cum nec in Aſtronomia & aliis Matheſeos applicatæ partibus id ſemper evitetur. Ne igitur propoſitioni præſenti idem accidat, quædam nobis annotanda veniunt. Tenendum itaque, nos in philoſophia practica univerſali ſeponere rationes particulares extrinſecas, quæ ſubinde uni vel alteri eſſe poſſunt, cur quid faciat, a quo alias abhorret, vel omittat, quod alias lubentiſſime agit, imo agere ſuevit, quoniam ex accidente fit, ut commodum aliquod ſequatur actionem legi naturæ conformem, vel omiſſionem actionis eidem difformis, conſequenter ut actionis commiſſio vel omiſſio ſpectetur tanquam medium commodi iſtius obtinendi. Quodſi ergo in hoc caſu non ſine voluptate vel gaudio agat, quod legi naturæ conforme eſt, vel omittat, quod eidem difforme; id propoſitioni præſenti minime adverſatur. Hic enim actiones ſpectamus, quatenus legi naturæ ſunt conformes, vel difformes, non attentis circumſtantiis ſingularibus, ob quas commodum quoddam iis ſuperaccedit, ab iiſdem alias alienum. Neque enim quæritur, niſi quis ſit animi ſtatus homini vitio dedito, quatenus actionem edere debet ob conformitatem cum lege naturæ, vel eandem omittere ob ipſius cum hac difformitatem. Præterea acutiores me tacente perſpicient, quod commodum iſtiuſmodi ob circumſtantias ſingulares actionis commiſſioni vel omiſſioni ſuperaccedens ſpectari debeat tanquam præmium divinum (§. 310). Unde liquet, eum ſpe præmii tantummodo agere, qui ejus conſequendi gratia agit.

§. 366.

Cur vitio deditus non ſine tædio & triſtitia faciat, quod legi naturæ conforme.

Si vitio deditus metu pœnæ committit actionem legi naturæ conformem, vel eidem difformem omittit, quarum illam alias omittere, hanc vero committere mallet; id non ſine tædio, imo ſubinde non ſine triſtitia facit. Etenim ſi actionem, quam metu pœnæ committit, omittere mallet; neceſſe eſt, ut commiſſionem ſibi repræſentet tanquam malam (§. 893 *Pſychol. empir.*): & ex adverſo ſi actionem, quam metu pœnæ omittit, committere mallet; ejus commiſſionem ſibi tanquam bonam (*§. cit.*), conſequenter omiſſionem tanquam malam ſibi repræſentare debet. Enimvero ſi malum agnoſcere nobis videmur, tædium ex eo percipimus (§. 570 *Pſychol. empir.*), quod tanto majus eſſe debere patet, quanto majus videtur malum (§. 613 *Pſychol. empir.*). Qui adeo metu pœnæ actionem legi naturæ conformem committit, vel eidem difformem omittit, quarum illam omittere, hanc committere mallet, ex illius commiſſione, hujus vero omiſſione tædium percipit, conſequenter non ſine tædio illam committit, hanc omittit. Quodſi ergo tædium hoc fuerit inſigne, ut prædominetur (§. 529 *Pſychol. empir.*), cum in prædominio tædii triſtitia conſiſtat (§. 619 *Pſychol. empir.*); dubium nullum ſupereſt, quin ſubinde non ſine triſtitia utrumque faciat.

A poſteriori idem ſatis ſuperque patet: videmus enim, quantam moleſtiam percipiant pueri ac adoleſcentes, ſi a parentibus vel iis, qui ipſis præficiuntur, adigantur, ut faciant, quod omittere, vel omittant, quod facere mallent. Imprecantur haud raro iis, quibus voluntatem ſuam ſubmittere tenentur. Imo nemo eſt, qui neſciat, quod nihil moleſtius accidat hominibus ex ſuo genio vivere volentibus, quam aliorum regi voluntate. Sunt mihi exempla recentis memoriæ, ut ad ea tanto ſecurius provocare liceat.

§. 367.

Quando id faciat abſque

Si vitio deditus ex actione quadam legi naturæ conformi voluptatem percipit, vel utilitatem quandam ſperat, aut ex ejus omiſſione tædium percipit, vel

damnum

metu pœnæ.

damnum metuit; abſque metu pœnarum eam committit. Similiter loquendum de actione privativa ſeu omiſſione actionis legi naturæ difformis. Etenim vitio deditus utitur motivis volitionis a voluptate & utilitate, motivis nolitionis a moleſtia & damno petitis (§. 362). Porro ſi ex actione quadam legi naturæ conformi quacunque de cauſa voluptatem percipit, vel utilitatem ſperat, aut ex ejus omiſſione tædium percipit, vel damnum metuit; adeſt motivum volitionis. Et ſimiliter ſi ex omiſſione actionis legi naturæ difformis voluptatem percipit, vel utilitatem ſperat, aut ex ejus commiſſione tædium percipit, vel damnum metuit; adeſt motivum nolitionis. Quoniam itaque motiva ſunt ratio ſufficiens actuum volitionis ac nolitionis (§. 887 *Pſychol. empir.*), cum iis poſitis & hi ponantur (§. 118 *Ontol.*); metu pœnarum minime opus eſt. Atque adeo patet, abſque pœnarum metu vitio deditum committere actionem legi naturæ conformem, ſi ex ea voluptatem percipit, vel utilitatem quandam ſperat, aut ex ejus omiſſione tædium quoddam percipit, aut damnum metuit: nec non omittere actionem legi naturæ difformem, ſi ex ejus omiſſione voluptatem percipit, vel utilitatem ſperat, aut ex ejus commiſſione percipit tædium, vel damnum metuit.

Si vitio deditus actiones naturæ legi conformes edit; rationes tantummodo dantur extrinſecæ, quæ conſtantes non ſunt, adeoque nec legi, nec virtuti, ſed vitio tribuendum, quod hoc agat, vel non agat, actione externa nonniſi per accidens cum lege conſentiente. Unde etiam eſt, quod alio tempore non faciat, quod nunc facit, ceſſante nempe lucro, quod nunc ſperat, vel damno, quod jam metuit, aut voluptate vel tædio abſente, quod nunc ex accidente ad actionem accedit. Deficit adeo voluntas illa perpetua, quam ad virtutem requiri ſupra demonſtravimus (§. 328). Imo nec conſtantia adeſt voluntatis, cum majori lucro vel voluptate, vel etiam damno ac tædio ad contrariam actionem adducatur. Ceterum hinc intelligitur, quod ſuperius jam demonſtravimus (§. 363), nonniſi pœnæ metu ac ſpe præmii adduci poſſe vitio deditum ad actiones legi naturæ conformandas: pœnæ enim ac præmia ſola motivum conſtans præbent, cui ſcilicet in omni caſu locus eſt, ceteris nonniſi in caſu particulari obtinentibus.

§. 368.

Odium vitii virtuti proprium.

Virtute præditus vitium odit. Etenim actiones legi naturæ difformes omittit ob earundem malitiam intrinſecam (§. 336). Quamobrem cum ex eo tædium percipiamus, quod malum cognoſcimus (§. 569 *Pſychol. empir.*); ex actionibus legi naturæ difformibus tædium percipit, conſequenter, quia vitium habitus eſt actiones legi naturæ difformes patrandi (§. 322), ex vitio quoque tædium percipit. Enimvero rem inanimatam odimus, ſi in ea deprehendimus, unde tædium percipimus (§. 679 *Pſychol. empir.*). Virtute itaque præditus vitium odit.

Supra oſtendimus, quod virtutem amet (§. 351). Unde apparet, *amorem virtutis cum odio vitii eſſe conjunctum*, nec a ſe invicem ſeparari poſſe. Sane *Confucius* diſcipulis ſuis odium vitii ſignum virtutis acquiſitæ eſſe voluit, iiſdem inculcans, quod eam nondum ſit conſecutus, qui vitium nondum odit, conſequenter ex actionibus malis tædium minime percipit (§. 679 *Pſychol. empir.*).

§. 369.

Impotẽtia naturalis

Impotentia naturalis vocatur, cui tollendæ pro rerum noſtrarum ſtatu non ſufficimus.

Ita

Ita impotentiæ naturali tribuitur, quod homo inter urſos educatus vitamque degens, nullam de Deo ac virtute habuerit cogitationem (§. 220). Inter urſos enim conſequi non potuit, quod nonniſi hominum conſortio utentibus conſequi datur. Neque enim in eo, quo fuit ſtatu, ſe ab ignorantia Numinis ac virtutis liberare potuit. Unde porro impotentiæ quoque naturali tribuendum, quod Deum colere & actiones ſuas ad normam legis naturæ componere minime potuerit. Naturæ nimirum tribuitur, quod nullo modo a nobis dependet, quemadmodum educatio inter urſos & ipſorum conſuetudo minime dependebat a voluntate ejus, qui fortuna adverſa uſus tales acceperat educatores vitæque ſocios. Quamobrem quæcunque agendi impotentia ab hoc ſtatu dependebat, ea pro naturali habenda. Probe autem notanda venit impotentiæ naturalis notio, ne ad eam referamus, quæ ab eadem minime pendent: quemadmodum haud raro fieri ſolet ab iis, qui omnem culpam a ſe amovere ſtudent. Ceterum cum nemine litigabimus, qui impotentiam hanc agendi arctioribus limitibus circumſcribere voluerit, ut pro naturali non habeatur, niſi quæ in ipſa hominis natura rationem ſufficientem agnoſcit, qualis e. gr. eſt impotentia elevandi pondus 100 librarum in eo, qui nonniſi 50 elevare poteſt, vel impotentia addiſcendi Matheſin in eo, qui ſtupiditate laborat. Utile autem eſt in moralibus ſignificatum amplificari. Atque id ſufficit, ut hoc faciamus, ubi veritates inter ſe connexas proponimus. In conſtituendo vocabulorum ſignificatu etymologiæ ut habeatur ratio neceſſe non eſt. *quænam dicatur.*

§. 370.

Infirmitas naturalis eſt impotentia naturalis actiones ſuas juxta legem naturæ dirigendi. *Infirmitas naturalis quid ſit.*

Iſtiuſmodi infirmitas naturalis erat homini inter urſos educato vitamque degenti quoad omnes omnino actiones. Neque enim fieri poterat, ut in eo, quo vivebat, ſtatu legis naturalis cognitionem ſibi acquireret. Is autem ſummus infirmitatis naturalis gradus eſt, a quo longo adhuc intervallo diſtant, qui inter homines educati eorum conſuetudine utuntur. Abſit itaque, ut de eodem ſolo eandem interpreteris. Dantur caſus infiniti pro diverſitate ſubjectorum & objecti, circa quod verſantur. Ne autem infirmitati humanæ tribuas, quod ab ea minime proficiſcitur; vi notionis impotentiæ naturalis cavetur, quam abunde explicavimus.

§. 371.

Quæ ex ignorantia invincibili proficiſcuntur circa actionum humanarum directionem legi naturali conformiter determinandam; infirmitati naturali tribuenda. Cum enim ignorantia invincibilis a nobis evitari non poſſit, vel potuerit (§. 28); quæ ab eadem proficiſcuntur, ea, quo minus fierent, impedire haud quaquam potuimus. Quoniam itaque impotentia naturalis eſt, quæ pro rerum noſtrarum ſtatu tolli a nobis haud quaquam poteſt (§. 369); impotentia naturali laborat impediendi ea, quæ ab ignorantia invincibili proficiſcuntur, qui hac laborat. Unde ſi ex ignorantia invincibili circa actionum humanarum directionem legi naturali conformiter determinandam quædam proficiſcuntur; ea impediendi impotentia naturalis adeſt. Enimvero impotentia naturalis in directione actionum ſuarum juxta legem naturæ, tanquam normam, infirmitas naturalis eſt (§. 370). Infirmitati adeo naturali tribuendum, quod circa actionum humanarum legi naturali conformiter inſtituendam directionem ab ignorantia invincibili proficiſcitur. *Actionū directio juxta legem naturæ quando infirmitati naturali obnoxia.*

Quamobrem qui, cum habeant animum actiones ſuas juxta legem naturæ determinandi, ex ignorantia invincibili eas aliter determinant; ex infirmitate naturali peccant. Priſcis temporibus multa legi naturali contraria, ab ea prohibita eſſe agnitum minime fuit, ut ab iis faciendis nec abhorruerint, qui virtuti alias ſedulam navarunt operam. Sed erat illis

temporibus ignorantia iſta invincibilis, conſequenter actiones iſtæ legi naturæ contrariæ ex infirmitate naturali committebantur.

§. 372.

Alia ejus rei cauſa.

Quæ ex errore invincibili circa actionum humanarum directionem proficiſcuntur; infirmitati naturali tribuenda. Quoniam error invincibilis a nobis evitari non poteſt, vel non potuit (§. 30); propoſitio præſens eodem prorſus modo demonſtratur, quo præcedentem demonſtravimus.

Multi dantur errores in jure naturæ, qui priſcis temporibus agnoſci minime potuerunt. Actiones igitur ex iiſdem profectæ infirmitati naturali tribuendæ. Probe nimirum notandum eſt, errores, qui uno tempore invincibiles ſunt, non eſſe tales alio tempore. Ita noſtro ævo, ubi doctrina juris naturalis magis exculta, & uberior lux in ſcientiis affulſit, quam illis temporibus, quibus errorum iſtorum origo adſcribenda, non amplius invincibiles ſunt.

§. 373.

Quænā infirmitati naturali perperā tribuantur.

Quæ ex ignorantia vel errore vincibili circa actionum humanarum directionem proficiſcuntur; infirmitati naturali tribui nequeunt. Quæ enim ex ignorantia & errore vincibili proficiſcuntur, ea a nobis evitari poterant (§. 28. 30). Quoniam itaque ex impotentia naturali non fiunt (§. 369); nec infirmitati naturali tribui poſſunt (§. 370). Atque adeo patet, quæ circa actionum humanarum directionem ex ignorantia vel errore vincibili proficiſcuntur, infirmitati naturali tribui minime poſſe.

Haud raro homines infirmitatem naturalem accuſant, quando ex ignorantia ac errore vincibili peccant. Quamobrem ne prætextu infirmitatis naturalis vel male agamus, vel aliorum malas actiones excuſemus; propoſitio præſens probe notanda venit. Equidem infirmitas naturalis non modo in facultate cognoſcitiva, verum etiam in appetitiva ſecum habet; quatenus tamen ab hac pendet, hic loci commode explicari nequit.

§. 374.

Summū bonum ſeu beatitudo quid ſit.

Beatitudo philoſophica ſeu *ſummum bonum* hominis eſt non impeditus progreſſus ad majores continuo perfectiones.

Multum omni tempore de ſummo bono in philoſophia morali inter ſe diſceptarunt philoſophi, quorum diverſas de eo recenſere ſententias, nimis prolixum foret. Cur nos ſummum hominis bonum definiamus per progreſſum non impeditum ad majores continuo perfectiones, ex ipſa notione boni liquet. Etenim bonum eſt, quod nos ſtatumque noſtrum perficit (§. 554 *Pſychol. empir.*). Unde bonum abſolute ſummum eſſemus conſecuti, ſiquidem perfectionem abſolute ſummam acquiſiviſſemus. Enimvero homo tanquam enti finito ſumma perfectio communicari nequit, atque adeo ſummum ejus bonum dici non poteſt, quod ipſum reddit abſolute perfectiſſimum. Conſtat tamen experientia, hominem indies majores perfectiones acquirere poſſe. Docui id exemplo *Confucii* in Oratione de Sinarum philoſophia practica & Notis eidem adjectis, qui a decimo quinto ætatis anno uſque ad ſeptuageſimum omnem movit lapidem, ut ſeſe continuo perficeret, & quantum in ſe perficiendo ſingulis decenniis progreſſus fuerit, ingenue diſcipulos docuit. Quamobrem majus homini obtingere nequit bonum, quam progreſſus haud quaquam impeditus ad majores continuo perfectiones. Unde merito eundem dicimus ſummum hominis bonum. Bonum hominis quærendum eſt in ipſo, non extra ipſum. Hinc rejiciuntur honor, divitiæ, amicitia, quæ cum ad ſtatum externum pertineant, ad bona externa referuntur, minime autem ad interna. Bonum internum mentem inprimis perficere debet. Quamobrem nec Deus dici poteſt ſummum hominis bonum, ubi quæritur de bono, quod homini inhæret, aut, ſi mavis, quod in ſe poſſidet. Quodſi quis de ſummo bono aliter ſentiat, ei litem non movebimus. Libet nobis vocabulum in hoc accipere ſignificatu, quod nobis utique conceſſum; nec aliud quid in poſterum intelligemus, quam non impeditum ad majores continuo perfectiones progreſſum, quoties poſthac de ſummo bono verba faciemus. Sufficit in dubium

revocari

revocari minime poſſe, quod detur hoc ſenſu bonum ſummum, quodque idem ſit in poteſtate hominis.

§. 375.

Summũ malum quid ſit.

Ex adverſo itaque ***Summum malum*** hominis eſt continuus progreſſus ad majores indies imperfectiones.

Malum opponitur bono, adeoque ſummum malum ſummo bono. Quamobrem cum ſummum bonum dicitur non impeditus progreſſus ad majores indies perfectiones; ſummum utique malum dicendum eſt continuus progreſſus ad majores indies imperfectiones. Dicendum autem eſt vi ipſius notionis mali. Etenim cum malum nos imperfectiores reddat (§. 557 *Pſychol. empir.*); ſummum malum dicendum erit, quod hominem maximæ imperfectioni obnoxium reddit. Quamobrem majus malum de homine concipi nequit, quam continuus progreſſus ad majores indies imperfectiones. Nimirum & hic quæritur de malo interno, quod ipſi homini ineſt; non de externo, quod extra eum datur.

§. 376.

Quomodo ſummum bonum obtineatur.

Summum bonum acquiritur cuſtodia legis naturalis. Etenim cum lex naturæ nos obliget ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt, & ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 152), cuſtodia autem legis naturalis in determinatione actionum noſtrarum juxta eandem conſiſtat (§. 138); cuſtodia legis naturalis progredimur continuo ad majores perfectiones. Quoniam itaque in hoc progreſſu ſummum bonum hominis conſiſtit (§. 374); cuſtodia legis naturalis ſummum bonum acquiritur.

Is igitur demum beatus dici poteſt, qui legem naturæ ſervat, atque omnem adhibet curam, ne eam tranſgrediatur. Conveniunt cum hiſce, quæ dicit Pſaltes *Pſalm. I.* dum beatitudinem hominis deprædicat. Et ex eo agnoſcitur, utrum quis ſit beatus, nec ne, ſi inquirimus, num in lege naturæ adimplenda ſit aſſiduus, & ab ejus tranſgreſſione procul remotus.

§. 377.

Quomodo in ſummum malum incidamus.

Tranſgreſſione legis naturalis in ſummum malum incidimus. Etenim qui legem naturæ tranſgreditur, eas committit actiones, quas illa prohibet, eas autem omittit actiones, quas præcipit (§. 139). Quamobrem cum lex naturæ nos obliget ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt, & ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 152); ad imperfectionem ſuam continuo contendit. Enimvero qui continuo progreditur ad majores imperfectiones, in ſummum malum incidit (§. 375). Quare naturæ legis tranſgreſſione in ſummum malum incidimus.

Facile intelligitur, non ſermonem hic eſſe de uno actu, quo legem naturæ quis tranſgreditur, ſed de continuo, quemadmodum in propoſitione præcedente non erat ſermo de uno actu, quo lex naturæ ſervatur, ſed de continuo. Hinc ſummi mali participem eſſe intelligimus, quem continuo actiones legi naturæ contrarias edere obſervamus. Quemadmodum vero experientia loquitur, quod, qui in ſervanda lege naturæ aſſiduus eſt, is continuo fiat perfectior; ita eadem docet, quod, qui in tranſgredienda lege naturæ continuus eſt, idem quoque continuo evadat imperfectior. A tranſgreſſione legis naturæ ſibi cavere debet, qui ſummum malum evitare voluerit; ſicuti & ex adverſo cuſtodiæ legis naturalis aſſiduam operam navare tenetur, qui ſummi boni particeps fieri deſideraverit.

§. 378.

Medium unicum conſequendi beatitudinem quodnā ſit.

Sine cuſtodia legis naturalis ſummum bonum homo conſequi nequit. Etenim ſi legem naturæ non cuſtodit, ſeu non ſervat; actiones eas non committit, quas lex naturæ committendas eſſe præcipit (§. 138), conſequenter cum ea nos obliget ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 152), actiones ſuas non dirigit ad ſui perfectionem. Fieri adeo nequit, ut ſine cuſtodia legis naturalis quis continuo progrediatur ad majores perfectiones. Quoniam itaque non impeditus progreſſus ad majores indies perfectiones eſt ſummum hominis bonum (§. 374); ideo evidens eſt hominem ſummum bonum conſequi non poſſe ſine cuſtodia legis naturalis.

Atque adeo patet, cuſtodiam legis naturalis eſſe medium unicum beatitudinem, quam philoſophicam diximus (§. 374), ſeu ſummum bonum conſequendi. Etenim acquiritur legis naturalis cuſtodia (§. 376), nec ſine ea acquiri poteſt *per præſentem*. Eſt adeo medium unicum acquirendi cuſtodia legis naturalis.

§. 379.

Summū bonum quomodo conſervetur.

Summum bonum conſervatur cuſtodia legis naturalis, nec ſine ea conſervari poteſt. Cum enim cuſtodia legis naturalis in determinatione actionum juxta legem naturæ conſiſtat (§. 138), quamdiu ea cuſtoditur ſeu ſervatur, actiones juxta legem naturæ determinantur, conſequenter ea facimus, quibus nos perficimus (§. 152). Progredimur adeo tamdiu ad majores perfectiones, quamdiu cuſtodia legis naturalis durat. Patet itaque ſummum bonum, quod in illo progreſſu non impedito conſiſtere novimus (§. 374), cuſtodia legis naturalis conſervari. *Quod erat unum.*

Ponamus vero eum, qui aliquandiu ſervandæ legi naturali ſtuduit, a cuſtodia ejus recedere. Non igitur amplius ipſi curæ erit, ut actiones ſuas juxta legem naturæ determinet (§. 138), conſequenter ut eas committat actiones, quæ ad perfectionem ſui tendunt (§. 152). Neque adeo amplius ſeſe perficere ſtudet, conſequenter non amplius progreditur ad perfectiones majores. Quamobrem cum in hoc progreſſu ſummum bonum conſiſtat (§. 374); id ipſum minime conſervat. Atque adeo patet, ſine cuſtodia legis naturæ ſummum bonum conſervari minime poſſe.

Summi boni poſſeſſio finis eſt; medium idem conſequendi unicum legis naturalis cuſtodia (*not.* §. 378). Eſt autem ſummum bonum ex eorum numero, quæ in perenni fluxu conſiſtunt, atque adeo tamdiu durat poſſeſſio ejus, quamdiu ejus acquirendi medio utimur.

§. 380.

Quomodo ſummum bonū amittatur.

Tranſgreſſione legis naturalis ſummum bonum amittitur. Etenim legis naturæ tranſgreſſione in ſummum malum incidimus (§. 377), conſequenter continuo ad majores indies imperfectiones progredimur (§. 375). Quamobrem cum progreſſus ad majores indies imperfectiones cum progreſſu ad majores indies perfectiones minime conſiſtat, progreſſus autem haud quaquam impeditus ad majores indies perfectiones ſit ſummum hominis bonum (§. 374); ſummum bonum cum ſummo malo conſiſtere nequit. Tranſgreſſione itaque legis naturæ ſummum bonum amittitur.

Non

Digitized by Google

Non eſt, quod dicas, ceſſante cuſtodia legis naturalis jam amitti ſummum bonum, adeoque non opus eſſe tranſgreſſione legis, ut amittatur; haud difficilis eſt reſponſio. Homo actiones ſuas aut juxta legem naturæ, aut contra eandem determinare debet. Quodſi eas non determinet juxta legem naturæ, ceſſat cuſtodia ejus (§. 138); ſi eas determinat contra eandem, eam tranſgreditur (§. 139). Cuſtodiæ igitur legis naturæ neglectus cum tranſgreſſione ejuſdem conjungitur. Præterea ex ſpeciali tractatione abunde conſtabit, quod hic operoſe adſtruere nolumus, cum obvia quoque experientia confirmetur perfectiones, ſemel acquiſitas, ab homine iterum amitti, niſi continuatis actionibus, quibus fuere acquiſitæ, conſerventur, tantoque amitti facilius, ſi actibus contrariis imperfectiones oppoſitæ acquirantur.

§. 381.

Beatitudo a virtute non ſeparanda.

Virtute præditus ſummo bono fruitur, ſeu beatus eſt, nec ſine virtute beatus quis eſſe poteſt. Etenim virtute præditus actiones legi naturæ conformes perpetuo (§. 328) & cum gaudio edit (§. 348), conſequenter legem naturæ ſollicite ſervat ſeu cuſtodit (§. 138). Quamobrem cum ſummum bonum cuſtodia legis naturæ acquiratur (§. 376) & conſervetur (§. 379), quin virtute præditus eodem fruatur dubitari nequit, conſequenter beatus eſt (§. 374). *Quod erat unum.*

Ponamus aliquem virtute non eſſe præditum. Quoniam virtus eſt habitus actiones ſuas legi naturæ conformiter determinandi (§. 321); eodem deſtitutus actiones ſuas juxta naturæ legem prompte non determinat (§. 428 *Pſychol. empir.*), adeoque nec cuſtodia legis naturæ ipſi curæ cordique eſt (§. 138). Quamobrem cum ſine ea ſummum bonum nec conſequamur (§. 378), nec ſemel acquiſitum conſervare valeamus (§. 379); qui virtute præditus non eſt, ſummi boni particeps eſſe nequit, conſequenter beatus eſſe non poteſt (§. 374). Patet itaque ſine virtute beatum eſſe non poſſe hominem. *Quod erat alterum.*

Indivulſus nexus ſummi boni cum virtute, & quia iiſdem actibus ſummum bonum atque virtus acquiritur & conſervatur, in cauſa fuit, ut quidam virtutem pro ſummo hominis bono habuerint, errore multo tolerabiliori, quam aliorum, qui vel divitias, vel honores, vel voluptates corporis ſummum hominis bonum dixere. Quoniam tamen habitus edendi actiones, quibus nos ſtatumque noſtrum perficimus, & progreſſus non impeditus ad majores indies perfectiones non ſunt unum idemque, ſed omnino a ſe invicem differunt; pro eodem haberi nequeunt, ſi ab omni errore immunis eſſe velis (§. 631 *Log.*).

§. 382.

Vitio deditus cur beatus eſſe nequeat.

Vitio deditus beatus eſſe nequit. Cum virtute præditus actiones ſuas juxta legem naturæ (§. 321), vitio deditus contra eandem eas determinet (§. 322); qui virtute præditus eſt, idem vitio deditus eſſe nequit, ſeu virtus & vitium in eodem ſubjecto ſimul eſſe nequeunt. Enimvero ſine virtute nemo beatus eſſe poteſt (§. 381). Ergo vitio deditus beatus eſſe nequit.

Oſtenditur etiam hoc modo. Vitio deditus eas committit actiones, quæ tendunt ad ſui imperfectionem (§. 354), conſequenter continuo progredi nequit ad majores indies perfectiones. Quamobrem cum beatus non ſit, qui non continuo progreditur ad majores perfectiones (§. 374); vitio deditus beatus eſſe nequit.

Sicuti

Si uti virtus & beatitudo indivulſo nexu cohærent, ut hæc ab illa ſeparari minime poſſit, ita ex adverſo vitium beatitudini repugnat, ut hæc cum illo conſiſtere minime queat. Sequuntur hæc ex notionibus virtutis, vitii & beatitudinis. Quemadmodum vero haud facile quiſquam adeo a virtute alienus eſt, ut totus vitio ſit deditus, nec facile ullus hominum virtuti adeo deditus, ut nullo prorſus vitio laboret; ideo circumſpectione opus eſt, ne quæ de beatitudine hominis philoſophica, quæ in his terris in eundem cadit, oſtendimus, cum experientia committantur, & difficultatibus intricentur, quæ in ſe plana ſunt.

§. 383.

Voluptas nocua quænam ſit.

Voluptas nocua eſt, quæ tædium ſive moleſtiam parit, vel etiam in tædium degenerat. *Degenerat in tædium*, ſi ex eodem objecto, ex quo ante voluptatem perceperamus, nunc tædium percipimus. *Parit tædium*, ſi ex eo, unde voluptatem perceperamus, quidpiam ſequitur, ex quo tædium percipimus.

E. gr. Ponamus Titium voluptatem percipere ex cibo, qui ſanitati ejus nocet. Ponamus cibum iſtum, cujus ſapore delectabatur, excitare tormina ventris: non ſine moleſtia percipietur dolor. Cum adeo cibus, quem non ſine voluptate comedebat, & ad quem comedendum ipſa hæc voluptas eum invitabat, ſit cauſa torminorum ventris, unde non ſine moleſtia dolorem percipit; voluptas antea percepta tædium parit. Porro quatenus pœnitet, quod grato cibi ſapore allectus eum comederit, ſibique indignatur, quod minus cautum ac prudentem ſeſe præbuerit, nec monitis aliorum aurem præbere voluerit, cum exigui momenti levem voluptatem tanto dolore luere cogatur; voluptas in tædium degenerat, actione, quæ præſens ipſum voluptate perſuderat, nunc tædium creante. Quoniam itaque voluptas ex cibo ſanitati adverſo percepta non modo tædium parit, verum etiam in tædium degenerat; maxime nocua eſt. Sufficit exemplum, ut ideam voluptatis nocuæ animo comprehendamus. Idem quoque clariſſime docet differentiam, quæ inter tædium, quod parit voluptas, & inter tædium, in quod degenerat, intercedit. Utile autem eſt noſſe, quidnam ſit parere tædium & quidnam ſit degenerare in tædium, ut acumen excitetur, ad nocumentum omne detegendum. Non contemnendæ ſunt ſubtilitates, quæ uſum indiſpenſabilem in praxi utiliſſima habent.

§. 384.

Voluptas innocua quænam ſit.

Voluptas innocua eſt, quæ nec in tædium degenerat, nec tædium ſive moleſtiam parit.

Ex ſapientia voluptatem percipit ſapiens, quotieſcunque ejus ſibi conſcius eſt, nec fieri unquam poteſt, ut ex eadem tædium ullum percipiat. Unde ea voluptas in tædium nunquam degenerat. Similiter fieri non poteſt, ut ſapientia ſit cauſa ejus, unde tædium percipitur, etſi occaſionem dare poſſit iis, quæ tædio nos afficiunt, veluti dum invidi ob ſapientiæ ſpecimina luculenta nos odio proſequentes tædia creare ſtudent. Quamobrem nec tædium parit. Eſt adeo voluptas ex ſapientia percepta innocua. Ex grato ſapore cibi ſalubris ac modice ſumti ſi percipitur voluptas; ea nec tædium parit, nec in tædium degenerat, quemadmodum paulo ante vidimus, quod utrumque valeat de voluptate ex grato cibi inſalubris ſapore percepta. Erit adeo voluptas illa innocua.

§. 385.

Voluptas tranſitoria quænam ſit.

Tranſitoria dicitur *voluptas*, quæ nonniſi exiguo temporis ſpatio durat, nunquam reditura.

Iſtiuſmodi voluptates ſunt, quas corporis dicimus & quæ ex rebus ſenſu perceptis ortum trahunt, veluti quæ percipiuntur ex odore ac ſapore grato, ex concentu muſico, ex tactu venereo. Ecquis enim eſt, qui neſciat, eas brevi durare tempore, imo ſæpius unico momento coerceri, nec ubi præteriere, redire unquam, cum cauſam habeant caducam? Plurimum intereſt in Moralibus, ut voluptates tranſitoriæ probe perpendantur, præſertim ubi nocuæ fuerint.

§. 386.

Digitized by Google

§. 386.

Tædium quodnã innocuũ ſit.

Tædium dicitur *innocuum* vel *Moleſtia innocua*, ſi voluptatem veram parit, vel etiam in eandem degenerat. Dici etiam poterat *proficuum*.

E. gr. Puero moleſta eſt diligentia, quam adhibere debet, ut legere vel ſcribere diſcat. Enimvero ubi habitum legendi ac ſcribendi acquiſivit; ex eo voluptatem percipit veram, quoties commoda inde in eum redundantia experitur. Degenerat itaque moleſtia in voluptatem, eamque haud uno in caſu parit. Dicetur adeo tædium hoc innocuum, aut, ſi mavis, proficuum.

§. 387.

Tranſitorium quodnã ſit.

Tædium tranſitorium eſt, quod nonniſi brevi temporis ſpatio durat, nunquam poſthac rediturum.

Ita tædium puerorum, quod modo innocuum diximus, etiam tranſitorium eſt.

§. 388.

Cur voluptas vera innocua.

Voluptas vera in ſe innocua eſt. Voluptas vera conſtans eſt tum in ſe ſpectata, tum reſpectu ſubjecti, a quo agnoſcitur (§. 515 *Pſychol. empir.*). Quamobrem fieri nequit, ut aliquando in tædium degeneret, vel etiam tædium pariat, modo agnoſcatur. Quoniam itaque innocua eſt voluptas, quæ nec in tædium degenerat, nec tædium parit (§. 384); voluptas vera in ſe innocua eſt.

Quodſi quis veram eſſe voluptatem, qua fruitur, non agnoſcat, fieri poteſt, ut judicium de rei, unde eandem perceperat, perfectione mutet, & in numerum imperfectionum referens, quod ante in perfectionum numerum referebat, jam tædium ex eo percipiat, quod ipſum antea voluptate perfundebat (§. 534 *Pſychol. empir.*). Enimvero tum voluptas non degenerat in tædium, ſed hoc potius ortum ſuum trahit ex errore ejus, qui eodem afficitur. Voluptas adeo in ſe innocua eſt. Quodſi vero obſcurum adhuc videatur, an non ex eo, quod voluptate vera animum perfundit, ſequi poſſint, quæ tædium creant, conſequenter vera voluptas hoc modo tædium pariat; perpendendum eſt, veram voluptatem oriri ex intuitu perfectionis veræ (§. 514 *Pſychol. empir.*), tædium autem verum ex intuitu imperfectionis veræ (§. 518 *Pſychol. empir.*), conſequenter cum bonum verum ſit, quod vere nos perficit (§. 557 *Pſychol. empir.*), malum autem verum, quod revera nos imperfectiores reddit (§. 568 *Pſychol. empir.*), ſi ex eo, quod veram nobis affert voluptatem, ſequi deberet, unde verum percipitur tædium; ex vero bono verum malum ſequi, conſequenter verum bonum veri mali cauſam eſſe deberet: id quod nemo ſanus admittet. Sed ut hoc rectius intelligatur, ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 389.

Quando vera voluptas non pariat tædium, etſi parere videtur.

Si occaſione ejus, ex quo vera voluptas percipitur, aliquid accidat, unde tædium percipitur, illud tamen hujus cauſa non ſit; voluptas vera tædium non parit. Etenim ſi occaſione ejus, ex quo vera voluptas percipitur, aliquid accidat, unde tædium percipitur, illud tamen hujus cauſa non ſit; hoc, unde tædium percipitur, minime ſequitur ex eo, ex quo voluptatem percipiebamus. Quamobrem cum voluptas tædium non pariat, niſi id, unde tædium percipitur, ſequatur ex eo, unde voluptas percipiebatur (§. 383); voluptas quoque vera non parit tædium, ſi occaſione ejus, ex quo vera voluptas percipitur, aliquid accidat, unde tædium percipitur, illud tamen hujus cauſa non ſit.

Conſtat virtutem invidia premi. Quodſi ergo Titius virtute præditus ab invidis vexatur; virtus occaſionem dat vexis, non vero earum cauſa eſt. Quodſi ergo is ex vexis tædia percipit, cum ex virtute ante voluptatem percepiſſet inſignem; dici minime poteſt,

volupta-

Digitized by Google

voluptatem veram, qua eum virtus perfuderat, peperiſſe hæc tædia. Etenim voluptate adhuc demulcet animum ejus, vel inter mille vexas, ſit ita, quod ſubinde impatiens tædiorum cauſam accuſet virtutem.

§. 390.

Quali voluptate fruatur, qui felix eſt.

Qui felix eſt, voluptate innocua fruitur. Etenim qui felix eſt, voluptate fruitur vera (§. 636 *Pſychol. empir.*). Sed voluptas vera in ſe innocua eſt (§. 388). Ergo qui felix eſt, innocua fruitur voluptate.

Nemo hominum eſt, qui non felicem ſeſe exiſtimet, ſi voluptate fruatur tædiis nullis interrupta, atque hunc ſtatum appetunt, in quo voluptas perennat, quotquot felices eſſe cupiunt. Quemadmodum vero ſua unumquemque trahit voluptas; ita quoque non eadem cauſa eſt, ob quam felices ſeſe arbitrantur homines. Hinc videas pleroſque ea appetentes, unde voluptatem percipiunt nocuam, mox infelices futuri, ubi ſe quam maxime felices arbitrantur. Quamobrem probe notandum eſt, quænam ſit ea voluptas, qua felicitas hominis continetur.

§. 391.

A quo metu liber ſit, qui felix eſt.

Felici verendum non eſt, ne voluptas, qua fruitur, in tædium degeneret, ac tædium ſive moleſtiam pariat. Etenim qui felix eſt, voluptate fruitur innocua (§. 390). Sed innocua eſt voluptas, quæ in tædium minime degenerat, nec tædium parit (§. 384). Voluptas igitur, qua fruitur, qui felix eſt, nunquam in tædium degenerat, nec unquam tædium parit. Quod nunquam accidit, idem ne fiat verendum non eſt. Felici adeo verendum non eſt, ne voluptas, qua fruitur, in tædium degeneret, ac tædium pariat.

Patet adeo, eum, qui felix eſt, certum eſſe poſſe, quod voluptati, qua fruitur, nunquam daturus ſit pœnas, conſequenter gaudium ipſius nullo perturbari metu. Quæ aſſerto obſtare videntur, ea jam removimus paulo ante (*not.* §. 388 & §. 389). Auget autem felicitatem cogitatio certitudinis, quod fieri nequeat, ut voluptatem præſentem tædio futuro luere cogamur, cum nova inde percipiatur voluptas, ut de felicitate noſtra conſtanter gaudeamus.

§. 392.

Quinam felices videantur, cum non ſint.

Qui voluptate nocua fruitur, felix non eſt; ſed videtur. Voluptas enim cum nocua ſit, quæ tædium parit & in tædium degenerat (§. 383); qui voluptate nocua fruitur, ejus voluptas in tædium tandem degenerat tædiumque parit, conſequenter non perdurat. Enimvero cum is demum felix ſit, cujus voluptas perdurat (§. 636 *Pſychol. empir.*); qui nocua voluptate fruitur, felix non eſt.

Quoniam tamen ex voluptate, qua quis fruitur, conſtat, utrum felix ſit, nec ne (§. cit. *Pſychol. empir.*), qui voluptatis nocumentum futurum minime prævident, pro felici habent eum, qui nocua fruitur voluptate, adeoque felix videtur.

Prius etiam oſtenditur hoc modo per indirectum. Ponamus, ſi fieri poteſt, felicem eſſe, qui voluptate nocua fruitur. Quoniam voluptas nocua tædium parit & in tædium degenerat (§. 383); felici metuendum eſt, ne aliquando voluptas præſens in tædium abeat vel tædium pariat. Quod cum ſit abſurdum (§. 391); qui voluptate nocua fruitur, felix eſſe nequit.

Maxima

Maxima pars hominum fallitur, & alios fallit, quod nocua voluptate felicitatem æſtimet & eam, quæ innocua eſt, vel ignorat, vel non curat, felix aliquo temporis ſpatio errore ſuo, non ſine irreparabili damno demum detegendo.

§. 393.

Nexus voluptatis & ſummi boni.

Summum hominis bonum cum vera voluptate conſtanter conjungitur. Eſt enim non impeditus progreſſus ad majores continuo perfectiones (§. 374). Idem adeo conſecutus continuo progreditur ad majores perfectiones, conſequenter perfectionis ſuæ ſibimet conſcius eſt. Enimvero qui perfectionis ſuæ ſibi conſcius eſt, voluptate perfunditur (§. 511 *Pſychol. empir.*), tanto quidem majore, quo major illa fuerit (§. 516 *Pſychol. empir.*). Voluptas adeo cum ſummo hominis bono conſtanter conjungitur. Enimvero per ſe patet, progreſſum ad majores perfectiones, in quo ſummum hominis bonum conſiſtit (§. 374), intelligi de perfectionibus veris. Quamobrem cum vera ſit voluptas, quæ ex perfectione vera oritur (§. 514 *Pſychol. empir.*); voluptas, cum qua conjungitur ſummum bonum, utique vera eſt. Atque hoc modo liquet, ſummum hominis bonum cum vera voluptate conſtanter conjungi.

Inde omnino eſt, quod quidam ipſum ſummum bonum in voluptate conſiſtere exiſtimaverint: quam fuiſſe ſententiam *Epicuri* docuit *Gaſſendus*, quamvis vulgo eidem tribuatur noxia omnino opinio, quaſi ſummum bonum in voluptate corporis conſiſtat. Voluptas enim corporis nocua eſſe ſolet, quando propter ſeipſam appetitur, nec eam, quatenus nocua eſt, fert ſummum bonum.

§. 394.

Nexus ſummi boni & gaudii.

Summum hominis bonum cum gaudio conſtanter conjungitur. Quoniam ſummum hominis bonum cum vera voluptate conſtanter conjungitur (§. 393), vera autem voluptas innocua eſt (§. 388), conſequenter nunquam in tædium degenerat, vel tædium parit (§. 384); ſummum bonum conſecutus non modo conſtanter voluptate perfunditur vera, verum etiam certus eſt, ſibi metuendum non eſſe, ne aliquando eam, qua nunc fruitur, voluptatem tædiis luat. Quin igitur tanta ſit ipſius voluptas, ut tædio locum non relinquat, dubitandum non eſt. Enimvero prædominatur voluptas, ſi tanta fuerit, ut tædium, ſi vel maxime quod adfuerit, non appercipiatur (§. 529 *Pſychol. empir.*). Ubi igitur ſummum bonum fuerit acquiſitum, voluptas prædominatur. Quamobrem cum in prædominio voluptatum gaudium conſiſtat (§. 614 *Pſychol. empir.*), tanto quidem majus, quo magis prædominatur; gaudium cum ſummo bono conſtanter conjunctum eſſe in dubium revocari nequit.

Teſtatur experientia gaudere homines de profectu in virtute & virtutis eſſe cum gaudio edere actiones legi naturæ conformes, omittere difformes. Quamobrem cum virtute præditus ſummo bono fruatur (§. 381); cum hoc gaudium indivulſo nexu cohærere debere, & rationi conſentaneum eſt, & experientia confirmatur.

§. 395.

Quinam felix ſit.

Qui ſummum bonum conſequitur felix eſt. Etenim ſummum bonum cum vera voluptate (§. 393) atque gaudio conſtanter conjungitur (§. 394).

Digitized by Google

Quamobrem qui ipſum conſequitur, in eo eſt ſtatu, quo voluptas vera perdurat. Enimvero felix eſt, qui eo eſt in ſtatu (§. 636 *Pſychol. empir.*). Ergo felix eſt, qui ſummum bonum conſequitur.

Summum adeo bonum ſeu beatitudo (quam philoſophicam diximus (§. 374), ne confundatur cum beatitudine, quæ ſuis a Chriſto promiſſa), & felicitas vera indivulſo nexu cohærent. Unde non eſt, quod mireris felicitatem ac beatitudinem haud raro confundi ab iis, qui in iis, quæ diverſa ſunt, diſtinguendis ſufficiente acumine non utuntur. Nemo tamen negare auſit, ſtatum, qui ex alio præſuppoſito reſultat, diverſum eſſe ab eo, ex quo reſultat.

§. 396.

Felicitas quomodo obtineatur.

Felicitatem legis naturalis cuſtodia conſequimur. Qui enim ſummum bonum conſequitur, felix eſt (§. 395), conſequenter felicitatem una cum ſummo bono conſequimur. Enimvero ſummum bonum cuſtodia legis naturalis acquiritur (§. 376). Ergo felicitatem quoque legis naturalis cuſtodia acquirimus, ſeu conſequimur.

Felicitas eſt ſummi boni indivulſa comes (*not.* §. 395). Quamobrem fieri nequit, ut ſummum bonum ſine felicitate, vel felicitatem ſine ſummo bono conſequamur. Medium adeo conſequendi ſummum bonum & felicitatem eſt unum idemque, nimirum legis naturalis cuſtodia (§. 376).

§. 397.

Quomodo conſervetur.

Felicitas cuſtodia legis naturalis conſervatur, nec ſine ea conſervari poteſt: Etenim ſummum bonum cum vera voluptate (§. 393) & gaudio conſtanter conjungitur (§. 394), conſequenter cum felicitas ſit ſtatus, in quo voluptas vera perdurat (§. 636 *Pſychol. empir.*), ſummum bonum atque felicitas conſtanter conjunguntur. Enimvero ſummum bonum cuſtodia legis naturalis conſervatur, nec ſine ea conſervari poteſt (§. 379). Quare & felicitas cuſtodia legis naturalis conſervatur, nec ſine ea conſervari poteſt.

Ex ipſa notione cuſtodiæ legis naturalis deduci poterat, felicitatem eadem acquiri & conſervari, nec ſine ea acquiri & conſervari poſſe, independenter a ſummo bono. Enimvero cum ex ea notione de ſummo bono ſeu beatitudine idem oſtenderimus (§. 376. 378. 379); qui ad demonſtrationes ſuperiores animum advertit, eas huc abſque difficultate transferet, ſi ita viſum fuerit, ut veritas propoſitionum evadat lucidior: id quod in Moralibus haud raro neceſſarium.

§. 398.

Medium unicum conſequendi felicitatem.

Sine cuſtodia legis naturalis felicitas acquiri non poteſt. Conſtat ex demonſtratione propoſitionis præcedentis, ſummum bonum & felicitatem indivulſo nexu cohærere, conſequenter eodem acquiri modo felicitatem, quo ſummum bonum acquiritur. Enimvero ſummum bonum acquiri nequit ſine cuſtodia legis naturalis (§. 378). Ergo nec felicitas ſine cuſtodia legis naturalis acquiri poteſt.

§. 399.

Neceſſitas cuſtodiæ legis naturalis ad felicitatem.

Sine cuſtodia legis naturalis nemo felix eſſe poteſt. Etenim ſine cuſtodia legis naturalis nec acquiri (§. 398), nec conſervari poteſt felicitas (§. 397). Per ſe autem patet, felicitate frui, conſequenter felicem eſſe non poſſe, qui felicitatem nec acquirere, nec conſervare valet. Quamobrem fieri non poteſt, ut ſine cuſtodia legis naturalis quis felix eſſe queat.

Non eſt, quod objicias, experientiam reclamare toto die, quippe quæ aperte loquatur, homines omni vitio deditos, conſequenter a cuſtodia legis naturalis maxime alienos (§. 138.

(§. 138. 322), eſſe omnium feliciſſimos, ita ut etiam in proverbium abierit apud noſtrates, quod quo quis ſcelcratior, eo ſit fortunatior, & homines impios continuis voluptatibus frui, ita ut malis bene, bonis male ſit: etenim fortuna ſecunda non confundenda eſt cum felicitate, nec fortuna adverſa cum infelicitate, nec voluptas nocua cum innocua. Qui fortunatus eſt, non ideo felix eſt: neque enim bona fortunæ, unde hominum fortuna æſtimatur, per ſe hominem reddunt felicem, nec qui nocua, ſed qui innocua fruitur voluptate, felix eſt (§. 390). Patet hinc, quam ſit neceſſe diſtinctas tradi in Moralibus notiones ne, quæ diverſa ſunt, in damnum generis humani certiſſimum confundantur.

§. 400.

Sine virtute nemo felix eſſe poteſt, nec felicitas a virtute ſejungi poteſt. Etenim qui virtuti deditus non eſt, actiones ſuas legi naturæ convenienter minime determinat (§. 321), conſequenter cum cuſtodia legis naturalis ſit determinatio actionum liberarum juxta legem naturæ (§. 138), legem naturæ minime cuſtodit. Enimvero ſine cuſtodia legis naturalis nemo felix eſſe poteſt (§. 399). Ergo nec ſine virtute felix quis eſſe poteſt. *Quod erat unum.* *Felicitas virtutis individua comes.*

Porro virtus eſt habitus actiones ſuas legi naturæ convenienter determinandi (§. 321), conſequenter cum determinatio actionum liberarum juxta legem naturæ ſit cuſtodia legis naturalis (§. 138); legis naturalis cuſtodia a virtute ſeparari nequit. Enimvero felicitas cuſtodia legis naturalis acquiritur & conſervatur (§. 396. 397), adeoque felicitas ab eadem ſeparari nequit. Patet itaque felicitatem a virtute ſejungi minime poſſe. *Quod erat alterum.*

Nimirum ſupponamus virtuti deditum non eſſe felicem, neceſſe eſt ut cuſtodia legis naturalis felicitas non acquiratur: quod ſane idem eſt, ac poſito medio ad finem conſequendum ſufficiente, imo cum cuſtodia legis naturalis ſit medium unicum conſequendæ felicitatis (§. 398), poſito medio unico non poni finem. Hoc vero abſurdum nemo non fatebitur, qui notionem medii ac finis diſtinctam animo comprehenſam tenet (§. 937. 942 *Ontol.*). Quæ a poſteriori objici poterant, ea jam ſuſtulimus ad propoſitionem præcedentem (*not.* §. 399). Hinc vero luculenter admodum conſtat, quod ſuperius jam evicimus, virtutem ſibimetipſi præmium eſſe (§. 353), ſeu, ut habet Poeta, pulcherrimam mercedem (*not.* §. *cit.*), ut adeo præmiis aliis non indigeat. Loquimur autem de iſtiuſmodi præmiis, quæ homini in hac vita obtingere poſſe recto rationis uſu, agnoſcitur, ſepoſitis jam iis, quæ Chriſtus ſuis promittit, & ad forum Theologorum ſpectant. Imo de præmiis non alio reſpectu hic ſermo eſt, quam quatenus per ea demum introducenda obligatio ad virtutem colendam (§. 298).

§. 401.

Felicitas amittitur transgreſſione legis naturalis. Etenim felicitas conſervari nequit ſine cuſtodia legis naturalis (§. 397), conſequenter amittitur, ſi quis legem naturæ non amplius cuſtodit. Cuſtodia legis naturæ conſiſtit in determinatione actionum liberarum juxta legem naturæ (§. 138). Amittitur igitur felicitas, actionibus liberis juxta legem naturæ minime determinatis. Enimvero determinatio actionum liberarum contra legem naturæ transgreſſio legis naturæ eſt (§. 139). Felicitas adeo transgreſſione legis naturæ amittitur. *Felicitas quomodo amittatur.*

Tamdiu igitur homo felix eſt, quamdiu actiones ſuas juxta legem naturæ tanquam normam componit. Quamprimum vero eas contraria ratione determinat, fieri non poteſt, ut ſit amplius felix. Ceſſat nimirum cauſa voluptatis veræ, qua fruitur qui virtuti deditus eſt

Digitized by Google

& ſine qua felicitas concipi nequit (§. 636 *Pſychol. empir.*), conſequenter & ipſa voluptas. Ponitur cauſa voluptatis nocuæ, quæ nonniſi apparenti ſufficit felicitati, utpote in tædium degeneratura, vel tædium procreatura, quod infelicitatis eſt (§. 637 *Pſychol. empir.*).

§. 402.

Quænam bona hominem felicem reddant.

Bona vera reddunt hominem felicem, non autem apparentia. Ex bono enim vero, quando idem cognoſcimus, veram percipimus voluptatem (§. 559 *Pſychol. empir.*). Quamobrem eum ad felicitatem hominis quidpiam conferat, quicquid voluptatem veram eidem creat (§. 638 *Pſychol. empir.*); quin bona vera felicitatem hominis producant, dubitandum non eſt. Reddunt itaque hominem felicem. *Quod erat primum.*

Enimvero ex bono apparente, quæ percipitur voluptas, vera non eſt, ſed tantummodo apparens (§. 559 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum ad felicitatem tantummodo quidpiam conferre videatur, revera autem nil conferat, quod voluptatem apparentem homini creat (§. 638 *Pſychol. empir.*); bona apparentia ad felicitatem hominis nil conferunt, etſi quidpiam conferre videantur. Hominem itaque felicem non reddunt. *Quod erat alterum.*

Felicitatem veram cum apparente confundunt, qui bona apparentia appetunt, ut fiot felices, ſuo tempore experturi, quod vana ſpecie fuerint deluſi.

§. 403.

Cur vitio deditus felix non ſit.

Vitio deditus felix eſſe nequit. Vitio enim deditus legem naturæ tranſgreditur (§. 357), adeoque eam non ſervat (§. 140), ſeu cuſtodit (§. 138). Enimvero ſine cuſtodia legis naturalis nemo felix eſſe poteſt (§. 399). Ergo vitio deditus felix eſſe nequit.

Vitium & felicitas ſibi e diametro adverſantur, ut una in eodem ſubjecto locum minime reperiant. Quando igitur vitio dediti voluptate apparente fruuntur, felices videntur, non ſunt. Qui autem a ratione alieni ſunt, ut quod videtur ab eo, quod eſt, minime diſtinguant, illorum felicitatem prædicant, quam ratione pollentes minime deſiderant.

§. 404.

Vitii effectus noxius.

Vitium hominem ſummo malo obnoxium reddit. Vitium enim habitus eſt actiones ſuas contraria ratione dirigendi, quam lege naturali præſcribitur (§. 322). Quamobrem cum naturæ legis tranſgreſſio ſit determinatio actionum eidem contraria (§. 139); vitium in tranſgreſſione legis naturæ conſiſtit. Enimvero tranſgreſſione legis naturæ in ſummum malum incidit ur (§. 377). Ergo vitio in ſummum malum inciditur, conſequenter vitium hominem ſummo malo obnoxium reddit.

Quemadmodum qui virtuti deditus eſt, ſummo bono fruitur (§. 381); ita ex adverſo qui vitio deditus eſt, ſummo malo obnoxius fit. Sicuti virtuti vitium, ita ſummum malum ſummo bono opponitur (§. 374. 375). Gradibus virtutis reſpondent gradus beatitudinis ſeu ſummi boni acquiſiti; gradibus vitii vero gradus ſummi mali.

§. 405.

Infelicitatis cauſa.

Tranſgreſſione legis naturalis homo fit infelix. Qui enim legem naturæ tranſgreditur, actiones committit, quæ juxta eandem erant omittendæ (§. 139). Quamobrem cum lex naturæ nos obliget ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 152),

Digitized by Google

(§. 152); qui naturæ legem tranſgreditur, eas committit actiones, quæ per ſe ad imperfectionem ſuam ſtatuſque ſui tendunt. Quoniam itaque tædium ex imperfectione ortum trahit, verum ex vera (*§.* 518 *Pſychol. empir.*); ſtatus iſte, in quo tædia, eaque vera perdurant, ex tranſgreſſione legis naturæ reſultat. Enimvero ſtatus, in quo tædia perdurant, infelicitas eſt (*§.* 637 *Pſychol. empir.*). Infelicitas itaque ex tranſgreſſione legis naturalis reſultat, conſequenter eadem homo fit infelix.

Videmus adeo, quænam ſit infelicitatis cauſa. Nimirum ſi homines actiones ſuas juxta naturæ legem determinarent, felices forent (§. 396); aſt cum legem naturæ tranſgrediantur, infelices ſe reddunt *per præſentem*. Legem naturæ tranſgrediuntur, quod eam eſſe felicitatis conſequendæ medium non agnoſcant; ſed noxio errore ſibi perſuadeant, quaſi felicitati noſtræ obicem ponat. Veritates igitur, quas hic demonſtramus, maximi momenti ſunt, & animo firmiter imprimendæ.

§. 406.

Vitium hominem reddit infelicem, ſeu vitio deditus infelix eſt. Qui enim vitio deditus eſt, legem naturæ tranſgreditur (*§.* 357). Sed tranſgreſſione legis naturæ homo fit infelix (§. 405). Ergo homo fit infelix, quia vitio deditus, conſequenter vitium ipſum reddit infelicem & infelix eſt, qui vitio deditus.

Infelicitas vitii comes.

Infelicitas adeo vitio indivulſo nexu cohæret, quemadmodum felicitas virtuti (§. 400), cum vitio deditus felix eſſe nequeat (§. 403), ſed ideo, quia vitio deditus, infelix reddatur, *vi præſentis*. Turpi ac noxio errore ſibi imponunt, qui ſeſe felices exiſtimant, ubi vitiis indulgere datur.

§. 407.

Infelicitas a ſummo malo ſeparari nequit. Etenim tranſgreſſione legis naturæ homo incidit in ſummum malum (§. 377) & eadem infelix redditur (§. 405), conſequenter poſita tranſgreſſione legis naturalis, una ponuntur ſummum malum & infelicitas. Fieri adeo nequit, ut ſummum malum ſit abſque infelicitate, vel infelicitas abſque ſummo malo, conſequenter infelicitas a ſummo malo ſeparari nequit.

Infelicitatis & ſummi mali coexiſtentia.

Inde eſt, quod nonnulli infelicitatem & ſummum malum inter ſe confuderint.

§. 408.

Infirmitate naturali homo fit infelix, ſeu infirmitas naturalis eum infelicem reddit. Cum enim infirmitas naturalis ſit impotentia naturalis actiones ſuas juxta naturæ legem dirigendi (§. 370); qui infirmitate naturali laborat, actiones ſuas contraria ratione determinat, quam juxta legem naturæ determinari debebant. Quamobrem cum legem naturæ tranſgrediatur, qui actiones contraria ratione determinat, quam juxta naturæ legem determinari debebant (§. 139); qui infirmitate naturali laborat legem naturæ tranſgreditur. Sed tranſgreſſione legis naturæ homo fit infelix (*§.* 405). Ergo qui infirmitate naturali laborat, infelix fit, conſequenter infirmitas naturalis hominem infelicem reddit.

Infelicitas infirmitatis naturalis comes.

Non eſt quod miremur, infirmitatis naturalis eundem, quem vitii eſſe vidimus (§. 406), eſſe effectum. Etenim infelicitas hominis a tranſgreſſione legis naturæ ortum trahit (§. 405). Qui legem naturæ tranſgreditur, infelicem ſeſe reddit, quacunque de cauſa hoc fiat. Quam-

obrem

Digitized by Google

obrem cum non minus qui infirmitate naturali laborat, quam qui vitio deditus eſt, legem naturæ tranſgrediatur; uterque eam experiatur neceſſe eſt infelicitatem, quam legis naturalis tranſgreſſio poſt ſe trahit. Etſi adeo excuſatius peccet, qui ex infirmitate naturali naturæ legem tranſgreditur, quam qui vitio indulget; non tamen ideo ab infelicitate liberatur. Unde intelligitur, quam ſit neceſſe, ut non minus ab infirmitate naturali alios, quantum datur, liberare, quam a vitio revocare ſtudeamus.

§. 409.

Fortunatus quinam ſit.

Fortunatus dicitur, qui bonorum fortunæ ſit particeps. *Quo igitur magis fortunæ bonis quis abundat, eo fortunatior.*

Manifeſta igitur eſt differentia, quæ inter fortunatum & felicem intercedit. Etenim felix voluptate vera, adeoque innocua (§. 388), conſtanter fruitur (§. 636 *Pſychol. empir.*). Fortunatus bonorum fortunæ, veluti divitiarum, honoris, amicorum, ſit particeps. Ecquis vero aſſeverare auſit, vera voluptate conſtanter frui & bonis fortunæ mactari eſſe unum idemque, cum vel experientia loquatur, multos fortunæ bonis abundare, & hoc tamen non obſtante continuis tædiis angi? Hanc vero differentiam, a plurimis vulgo non animadverſam, probe notandam eſſe, ſuperius jam data occaſione monuimus (*not.* §. 399).

§. 410.

Fortunæ bona per ſe num hominem felicem reddant.

Fortunæ bona per ſe hominem felicem non reddunt, ſeu nemo ideo felix eſt, quia bonorum fortunæ particeps. Bona enim fortunæ ad ſtatum noſtrum externum ſpectant (§. 556 *Pſychol. empir.*), adeoque iis continentur, quæ extra nos ſunt etſi noſtra (§. 706 *Ontol.*), veluti opes, honor, amici. Enimvero abſque probatione ſumitur, quod quis ideo actiones ſuas ad ſui perfectionem minime dirigat, conſequenter juxta naturæ legem non determinet (§. 152), quia bonis fortunæ, veluti divitiis, honore, amicis abundat. Quamobrem cum legis naturalis cuſtodia ſit actionum liberarum juxta legem naturæ determinatio (§. 138); cuſtodiam legis naturalis cum bonis fortunæ non neceſſario conjungi, quin potius a poſſeſſione bonorum fortunæ abeſſe poſſe, nemo non videt. Quoniam itaque abſque cuſtodia legis naturalis nemo felix eſſe poteſt (§. 399); ulterius liquet, non ideo hominem eſſe felicem, quod bonorum fortunæ ſit particeps, conſequenter fortunæ bona per ſe hominem non reddere felicem.

In caſu particulari multo clarius patet, bona fortunæ non continere rationem ſufficientem cuſtodiæ legis naturalis, conſequenter hanc cum illis una minime poni (§. 118 *Ontol.*). Etenim ponamus Crœſum abundare divitiis ac multos numerare amicos. Ecquis inde inferri poſſe contendet, quod idem ſit temperans, quod ſit juſtus, quod ſit verax? Quin potius bene multis divitias & amicorum numerum eſſe cauſam intemperantiæ ac injuſtitiæ quotidie experimur: nec inſolens eſt, ut divites ſint mendaces. Quoniam itaque fortunæ bona non continent rationem ſufficientem cuſtodiæ legis naturalis, nec rationem ſufficientem felicitatis continere poſſunt, nonniſi legis naturalis cuſtodia acquirendæ (§. 396. 398) ac conſervandæ (§. 397).

§. 411.

Bona corporis num per ſe hominem felicem reddant.

Bona corporis per ſe hominem felicem non reddunt, ſeu nemo ideo felix eſt, quia bonorum corporis particeps. Oſtenditur ex ipſa notione bonorum corporis eodem modo, quo in propoſitione præcedente de bonis fortunæ idem evicimus.

In caſu particulari veritas propoſitionis præſentis multo clarior eſt. Etenim ponamus Narciſſum forma corporis præſtare. Ecquis inferre auſit: Formoſus eſt. Ergo temperans, ergo juſtus, ergo verax? Ita arguentem redarguet experientia, quæ monſtrat formoſos intemperantes, injuſtos, mendaces. Si adeo experientiam audimus, bona corporis rationem

Digitized by Google

nem ſufficientem cuſtodiæ legis naturalis, conſequenter felicitatis (§. 396 & *ſeqq.*), minime continent.

§. 412.

Felicitatis a fortuna ſecunda ſeparabilitas.

Neceſſe non eſt fortunatum eſſe felicem, ſeu, ***qui fortunatus eſt, non ideo felix eſt***, aut, ***nemo ideo felix eſt, quia fortunatus eſt***. Nemo enim ideo felix eſt, quia bonorum fortunæ particeps eſt (§. 410). Qui bonorum fortunæ particeps eſt, fortunatus eſt (§. 409). Patet itaque neminem ideo eſſe felicem, quia fortunatus eſt, conſequenter neceſſe non eſt fortunatum eſſe felicem.

Poteramus etiam ita idem oſtendere. Qui fortunatus eſt, ideo bonorum fortunæ particeps eſt (§. 409). Sed qui bonorum fortunæ particeps eſt, non ideo felix eſt (§. 410). Ergo qui fortunatus eſt, non ideo felix eſt, adeoque neceſſe non eſt fortunatum eſſe felicem.

Cave igitur, quod vulgo fieri ſolet, ne felicitatem fortuna ſecunda æſtimes, ab hac ad illam argumentatus: quod probe tenendum, ne ex aliorum fortuna proſpera tuam arguas felicitatem.

§. 413.

Felicitatis & bonorum fortunæ compoſſibilitas.

Bona fortunæ non obſtant, quo minus quis felix eſſe poſſit. Etenim fortunæ bona ſunt, quæ ſtatum hominis externum perfectiorem reddunt (§. 556 *Pſychol. empir.*). Enimvero ea, quæ ſtatum hominis externum perficiunt, minime obſtant, quo minus quis ſeipſum perficiat, cum utrumque ſimul fieri poſſe experiamur, hinc ad utrumque obligati ſimus (§. 152). Quamobrem patet fortunæ bona minime obſtare, quo quis ſeipſum perficiat. Qui ſeipſum perficit, actiones ſuas juxta naturæ legem determinat (*§. cit.*), conſequenter cum in hac determinatione cuſtodia legis naturalis conſiſtat (§. 138), legis naturæ cuſtodiam curæ cordique habet. Bona adeo fortunæ minime obſtant, quo minus nobis legis naturalis cuſtodia curæ cordique ſit. Quoniam itaque felicitas legis naturalis cuſtodia acquiritur (§. 396) & conſervatur (§. 397); bona fortunæ minime obſtant, quo minus quis felicitatem acquirat atque conſervet, conſequenter quo minus ſit felix.

Experientia veritatem propoſitionis præſentis abunde confirmat. Neque enim deſunt exempla eorum, qui felicitate vera fruuntur atque bonis fortunæ abundant. Sed hæc manifeſtiora evadent, ubi oſtenſuri ſumus, quomodo bonis fortunæ ſit utendum ad felicitatem amplificandam.

§. 414.

Felicitas fortunæ ſecundæ minime repugnans.

Neceſſe non eſt, fortunatum non eſſe felicem, ſeu ***non repugnat, ut, qui fortunatus eſt, idem ſit felix***. Qui fortunatus eſt, bonorum fortunæ particeps eſt (§. 409). Enimvero bona fortunæ minime obſtant, quo minus quis ſit felix (§. 413), conſequenter eorum particeps non neceſſario felicitate caret. Patet adeo non repugnare, ut, qui fortunatus eſt, idem ſit felix, ſeu neceſſe non eſſe, ut fortunatus non ſit felix.

Oſtenditur etiam indirecte hoc modo. Ponamus repugnare, ut, qui fortunatus eſt, idem ſit felix. Quoniam fortunatus eſt, qui bonorum fortunæ particeps (§. 409); neceſſe eſt bona fortunæ obſtare, quo minus

quis

Digitized by Google

quis ſit felix. Quod cum ſit abſurdum (§. 413), neceſſe non eſt fortunatum non eſſe felicem.

Aliæ ſunt fortunæ bonorum, aliæ felicitatis cauſæ. Quodſi concurrant, qui fortunatus eſt, idem quoque felix eſt. Sin non concurrant, qui fortunatus eſt, felix non eſt.

§. 415.

Felicitatis & bonorum corporis compoſſibilitas.

Bona corporis non obſtant, quo minus quis felix ſit. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo paulo ante (§. 413) oſtendimus bona fortunæ non obſtare, quo minus quis felix ſit.

Experientia veritatem propoſitionis præſentis abunde confirmat. Neque enim deſunt exempla eorum, quibus bona corporis cum felicitate vera obtingunt.

§. 416.

Quod bona corporis & fortunæ abſque virtute hominem reddant felicem.

Bona corporis & fortunæ hominem abſque virtute non reddunt felicem. Pone enim, ſi fieri poteſt, bona corporis & fortunæ abſque virtute hominem reddere felicem. Non igitur repugnat, ut quis abſque virtute ſit felix, & felicitas a virtute ſejungi poteſt. Enimvero ſine virtute nemo felix eſſe poteſt, nec felicitas a virtute ſejungi poteſt (§. 400). Quamobrem nec fieri poteſt, ut bona corporis & fortunæ abſque virtute hominem felicem reddant.

Nimirum qui virtute deſtituitur, bonis corporis ac fortunæ non utitur, quemadmodum debet: quin potius abutitur. Quodſi vero iiſdem rite utatur, ex habitu virtutis agit. Unde recto uſui iſtorum bonorum, minime vero nudæ poſſeſſioni tribuendum, quod ſit felix. Sed hæc ſuo loco evidentius demonſtrabuntur.

CAPUT V.

De Conſcientia.

§. 417.

Conſcientia quid ſit.

Facultas judicandi de moralitate actionum noſtrarum utrum ſcilicet ſint bonæ, an malæ; utrum committendæ, an omittendæ, dicitur *Conſcientia*. Nonnulli conſcientiam vocant ipſum actum judicandi, ſeu judicium de actionum moralitate, utrum bonæ ſint, an malæ; utrum committendæ, an omittendæ. Unde homini tribuitur conſcientia, quatenus experimur iſtiuſmodi facultatem ipſi competere.

Quoniam judicium de actionum moralitate multis modis variat; multæ etiam dantur conſcientiæ diviſiones, quas ſcrupuloſe inquiri conſultum ducimus, ſiquidem conſcientiæ in determinandis actionibus rationem habere voluerimus: id quod apprime neceſſarium, ubi felicitate vera indeſinenter frui velimus.

§. 418.

Judicii theoretici & practici diſtinctio.

Judicium theoreticum vocatur, quo actionem vel bonam vel malam eſſe affirmatur. Aſt *practicum* appellatur, quo affirmatur, actionem eſſe vel committendam, vel omittendam.

Ad theoreticum referri quoque judicium, quo negatur actionem eſſe bonam vel malam, ad practicum vero judicium, quo negatur eam eſſe committendam, vel omittendam, per ſe patet. Etenim negare actionem eſſe bonam idem eſt ac affirmare, quod ſit mala vel

indiffe-

indifferens: negare actionem eſſe malam, idem eſt ac affirmare, quod ſit bona vel indifferens. Similiter negare, quod actio ſit committenda, idem eſt ac affirmare, quod ſit omittenda, & negare, quod ſit omittenda, idem eſt ac affirmare, quod ſit committenda.

§. 419.

Quodſi judicium de actione tam theoreticum, quam practicum fuerit verum; *Conſcientia* dicitur *recta*; ſin falſum, *Conſcientia erronea* nuncupatur. *Conſcientia vera & erronea.*

E. gr. Si quis judicet, amorem inimicorum eſſe moraliter bonum ſeu lege naturali præceptum, aut rationi ac voluntati divinæ conformem; is conſcientiam habet rectam, quoad amorem ſcilicet inimicorum: demonſtrabimus enim ſuo loco eundem eſſe intrinſece bonum, ac ideo lege naturæ præceptum. Quodſi vero ex adverſo judicet, odium inimicorum eſſe moraliter bonum, aut lege naturæ ſi non præceptum, ſaltem permiſſum; is conſcientiam habet erroneam: oſtendemus enim ſuo loco, odium inimicorum eſſe in ſe turpe, ac legi naturæ, rationi ac voluntati divinæ adverſum. Hinc patet, conſcientiam rectam eſſe ei, qui judicat, inimicos eſſe amandos; erroneam vero iſti, qui judicat, inimicos eſſe odio habendos.

§. 420.

Si de veritate judicii ſive theoretici, ſive practici, quod de actione ferimus, fuerimus convicti; *Conſcientia certa* eſt. Si ſaltem ejuſdem probabiles habuerimus rationes, *Conſcientia probabilis* eſt. Si dubitemus, utrum judicium noſtrum de actione ſit verum, an falſum; *Conſcientia dubia* eſt. *Conſcientia certa, probabilis, dubia.*

Qui demonſtrare valet, inimicos eſſe diligendos; is de veritate judicii ſui convictus eſt (§. 990 *Log.*), adeoque certam habet de amore inimicorum conſcientiam. Si quis idem demonſtrare non noverit, conſultius tamen videtur amare inimicum, quam eundem odio proſequi, ne irritetur; ei conſcientia nonniſi probabilis eſt. Quodſi cui conſultius quidem videatur amare inimicum, quam odiſſe, ne lædendi anſam ſuppeditemus; durum tamen, imo abſurdum putetur, amare eum, qui nos oderit, & bonum pro malo rependere, atque adeo dubium ſit, num inimicus ſit amandus, an odio proſequendus, ita ut ignoret, in quamnam contradictionis partem aſſenſum determinare debeat; is conſcientiam dubiam habet. Differt adeo conſcientia dubia a probabili, quod in probabili adſint rationes, quæ aſſenſum in alterutram contradictionis partem trahunt, ut una potius videatur vera, quam altera; aſt in dubia proſtent rationes in utramque contradictionis partem, quæ judicanti videntur æquivalentes, minimum tales, ut ipſe dignoſcere non valeat, quænam ceteris ſint fortiores, ita ut ignoret, cuinam contradictionis parti aſſenſum præbere debeat.

§. 421.

Rationes in contrariam contradictionis partem occurrentes, ob quas ſcilicet veremur, ne actio a nobis patrata vel patranda ſit mala, *Scrupuli conſcientiæ* appellantur. *Scrupuli conſcientiæ quid ſint.*

Vocabulum metaphoricum vi definitionis proprium ſortitur ſignificatum (§. 148 *Log.*), nec habenda hic eſt ratio ſignificatus improprii, quemadmodum nec etymologiæ ratio habetur in condendis definitionibus (§. 154 *Log.*). Ceterum ex accidente eſt, quod ſignificatus proprius improprio hic conſentiat. Significatus improprius conſtituitur per ſimilitudinem rei in doctrina de conſcientia vocabulo denotatæ cum altera, cui indigitandæ idem jam ante deſtinabatur. Nimirum ſcrupulus proprie denotat lapillum, qui in calceum incidens pedi dolorem creat, adeoque in doctrina de conſcientia aſſimilatur ei, quod propter actionem patratam vel patrandam animum angit. Angitur vero animus, quod veremur, ne actio patrata vel patranda ſit mala. Ut vero vereamur, ne ea mala ſit, ratio aliqua adſit neceſſe eſt, vi cujus mala videtur (§. 70 *Ontol.*). Quare cum angor iſte animi ponatur, poſita iſta ratione (§. 118 *Ontol.*), quemadmodum dolor pedis ponitur, lapillo in calceum incidente; ratio iſta lapillo aſſimilatur, quatenus animo moleſtiam, ſicuti lapillus pedi dolorem, creat. In ſignificatu adeo translato non habetur ratio molis lapilli, ſed effectus. Atque adeo patet, ſignificatum proprium, quem in doctrina de conſcientia vi uſus loquendi obtinet vocabulum, cum trans-

lato bene convenire. Sed hæc levioris ſunt momenti: demus potius exemplum. Quodſi quis verba Chriſti, quod omnino non ſit jurandum, ita interpretetur, quaſi juramentum omne ſimpliciter ſit prohibitum, & teſtis in judicium vocatus jurare recuſat veritus, ne faciat quod a Chriſto prohibitum; ei ſcrupulum conſcientiæ eſſe dicimus: qui adeo in falſa verborum Chriſti interpretatione conſiſtit, quatenus moleſtiam creat animo a jurando alieno, dum a judice ad jurandum adigitur.

§. 422.

Conſcientia antecedens & conſequens.

Quodſi de actione feratur judicium ante actionem patratam, ſeu de actione patranda, hoc eſt, vel committenda, vel omittenda, *Conſcientia* dicitur *antecedens*. Si vero judicium fertur de actione jam perpetrata, hoc eſt, vel commiſſa, vel omiſſa, *Conſcientia conſequens* appellatur.

Non ſine ratione Conſcientia in antecedentem & conſequentem dividitur: neque enim idem eſt hominum de actione patranda & patrata judicium. Plurimum autem refert, quemadmodum deinceps patebit, judicium eſſe idem, non diverſum.

§. 423.

Conſcientia theoretica & practica.

Si judicium de actione fuerit theoreticum, *Conſcientia* vocatur *theoretica*: ſi vero practicum, *practica*.

Duplex nimirum eſt de actione judicium, ſcilicet num ſit bona, an mala, & num ſit committenda, an omittenda. In caſu priori judicium theoreticum eſt; in poſteriori practicum (§. 418). Quamobrem conſcientia theoretica eſt, quando judicamus, actionem eſſe bonam, vel malam, ſive intrinſece talem, ſive moraliter, quatenus nimirum lege vel præcepta vel prohibita, aut indifferentem, quatenus lege permiſſa ſive perfecte, ſive tantummodo tacite: quæ ſingula per antecedentia ſatis intelliguntur. Aſt conſcientia practica eſt, quando judicamus hanc actionem eſſe committendam, vel omittendam, aut per legem nobis integrum eſſe eam committere, vel omittere, prout viſum fuerit. Ita conſcientia theoretica eſt, quando judicamus cibum, qui nobis offertur, eſſe ſalubrem, nec legi repugnare, ſi eodem veſcamur. Practica vero eſt conſcientia, quando judicamus, quod nobis liceat hoc cibo veſci. Similiter in caſu oppoſito theoretica eſt conſcientia, ubi judicamus, cibum, qui nobis offertur, eſſe inſalubrem, adeoque illicitum eodem veſci: practica vero, quando judicamus, a cibo hoc nobis eſſe abſtinendum.

§. 424.

Conſcientia theoretice practica & practice practica.

Quando judicium de actione committenda vel omittenda fertur, vel animum ad ſingulares circumſtantias in caſu dato obvias advertimus; vel ad eas non reſpicimus. Quodſi judicium practicum feratur, nondum ſpectatis circumſtantiis particularibus, *Conſcientia* dicitur *theoretice practica*: ſi vero ſpectatis circumſtantiis particularibus, *Conſcientia practice practica* appellatur.

Ita conſcientia theoretice practica eſt, quando judicamus, die dominica ædem ſacram eſſe frequentandam: practice vero practica, ſi judicamus, quod hac die dominica, qua catarrho laboramus & aerem inclementem experimur, licitum nobis ſit, cultui divino non intereſſe. Unde apparet, conſcientiam practice practicam a theoretice practica poſſe eſſe diverſam; nec repugnare, ut utraque ſit recta. Non adeo ſine utilitate fingitur diſtinctio. Retinemus autem terminos conſuetos in philoſophiam & theologiam introductos, etſi barbaros, uti in patrio ſermone uſi ſimus vocabulis genio linguæ convenientibus, propterea quod nulli adhuc termini erant recepti. Ceterum vel me tacente intelligitur, conſcientiam plerumque theoretice practicam eſſe, ſi judicium fertur, dum agendi occaſio nulla adeſt, aut ſaltem particulares caſus præſentis circumſtantiæ nobis nondum innotuere; practice vero practicam, quando judicamus occaſione agendi oblata & circumſtantiis particularibus jamjam perſpectis.

§. 425.

§. 425.

Conſcientia completa & incompleta.

Conſcientiam practice practicam nos porro ſubdividimus in completam & incompletam. Nimirum ſi in dato caſu ſingulari de actione committenda vel omittenda judicium laturi omnium circumſtantiarum ſingularium vel particularium habetur ratio, *Conſcientiam* vocamus *completam*; ſi vero nonniſi quarundam, *incompletam*.

Qui ſubtilitates ſcholaſticorum in diviſione conſcientiæ accuſant; multo magis improbaturi ſunt, quod eam ulterius ſubdividamus. Enimvero acutiores perſpicient, non fingi differentiam, quæ non adſit. Ecquis enim eſt, qui neſciat, nobis non ſemper omnes circumſtantias in caſu dato obvias perſpectas eſſe, quarum tamen habenda eſt ratio, ſi notio actionis, de qua judicandum, determinata eſſe debet, nec, ſi perſpectæ ſint, conſtare ſemper, quod earum in ferendo judicio habenda ſit ratio? Ita in exemplo paulo ante dato (*not.* §. 424), præter eas circumſtantias, quas commemoravimus, ſcilicet quod catarrho laboremus, aeremque inclementem experiamur, vel adſunt nullæ, quarum haberi debeat ratio, atque tum conſcientia practice practica completa eſt: vel dantur præterea aliæ, veluti quod inceſſus per plateam ob glaciem, qua lapides obducuntur, ſit admodum periculoſus, & quænam aliæ præterea locum habere poſſunt. Hæ igitur ſi negliguntur, conſcientia practice practica incompleta eſt. Neque etiam ſupervacaneum exiſtimari debet, quod hanc differentiam perpendamus. Ecquis enim eſt, qui neſciat, mutari judicium, novis emergentibus circumſtantiis, ad quas minime reſpiciebamus, dum judicium de omittenda, vel committenda actione ferebamus, ita ut faciamus, quod non facere firmiter nobis propoſueramus, vel non faciamus, quod facere decreveramus, cum jam in eo eſſemus, ut faceremus? Multo plura hinc pendent non levis momenti in praxi morali, quæ ſuo loco manifeſta evadent.

§. 426.

Conſcientia libera & ſerva.

Denique ſi judicium de actione committenda, vel omittenda fertur, dum appetitu ſenſitivo vel averſatione ſenſitiva in contrariam partem trahimur, vel affectuum impetu in eandem abripimur, *Conſcientiam* vocamus *ſervam*; ſi vero extra hunc ſtatum conſtituti judicamus, *Conſcientiam liberam* nuncupamus.

Conſcientia antecedens plerumque libera eſt, quando nulla adhuc agendi occaſio adeſt; aſt ſerva, quando agendi occaſio offertur: unde contingit, eam in caſu poſteriori eſſe erroneam, cum in priori ſit recta. Aſt conſequens ut plurimum libera eſt, ut adeo damnentur facta, quæ nondum facta probantur. Diſtinctio igitur conſcientiæ in liberam atque ſervam maximi momenti eſt in praxi. Si conſcientia fuerit ſerva, appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva influunt in judicium: id quod metuendum non eſt, ubi fuerit libera. Sed hæc in philoſophia morali clariora evadent, etſi per principia pſychologica ſatis manifeſta & communi experientia comprobata.

§. 427.

Conſcientia quando ab altero dependeat.

Si quis ſumit, actionem aliquam eſſe bonam, vel malam, propter auctoritatem dicentis; ejus conſcientia ab altero dependet. Quoniam enim ſumit actionem aliquam eſſe bonam, vel malam propter auctoritatem dicentis; ideo eam bonam vel malam eſſe admittit, quia alter dicit eſſe eam bonam vel malam, adeoque alterius auctoritas ipſi loco rationis eſt (§. 56 *Ontol.*). Quoniam adeo ratio aſſenſus, quem propoſitioni præbet, in altero quærenda; judicium de actionis bonitate, vel malitia, conſequenter conſcientia (§. 417), ab altero dependet (§. 851 *Ontol.*).

Digitized by Google

Non omnium actionum bonitas vel malitia adeo manifeſta, ut quilibet eandem perſpicere poſſit. Quamobrem fieri haud quaquam aliter poteſt, quin fidem habeant aliis ſe perſpicacioribus, qui per ſe bonum a malo diſcernere nequeunt. In eo autem caſu conſcientia nititur fide, quam habent aliorum dictis, atque adeo eorum conſcientia dependet ab aliis & in aliorum auctoritatem reſolvitur.

§. 428.

Cur conſcientia ab altero pendens ſit probabilis.

Si quis ſumit, actionem aliquam eſſe bonam vel malam propter auctoritatem dicentis; ejus conſcientia nonniſi probabilis eſt. Etenim ſi quis ſumit actionem aliquam eſſe bonam, vel malam propter auctoritatem dicentis; is credit eam eſſe bonam, vel malam (§. 611 *Log.*), quia ſibi perſuadet, quod veritas alteri ſit perſpecta, ſeu, quod is certo norit, eam eſſe bonam vel malam (§. 613 *Log.*): id quod nonniſi ob rationes probabiles fieri, nemo in dubium vocat. Enimvero ſi probabiliter ſaltem noverimus, quod alteri veritas ejus, quod narrat, fuerit perſpecta; ejus fides nonniſi probabilis eſt (§. 614 *Log.*). Qui ergo ſumit actionem aliquam eſſe bonam, vel malam, propter auctoritatem dicentis; is nonniſi probabiliter novit eam eſſe bonam, vel malam, conſequenter ipſius de actione judicium ratione probabili nititur. Quare cum conſcientia probabilis ſit, ſi judicii de actione patranda, vel patrata nonniſi rationes probabiles habeamus (§. 420); ſi quis ſumit actionem aliquam eſſe bonam, vel malam propter auctoritatem dicentis, ei conſcientia nonniſi probabilis eſt.

Non eſt, quod excipias, poſſe aliquem eſſe certum, quod alter certo norit actionem, de qua ſermo eſt, eſſe bonam vel malam. Etenim alter convinci nequit de veritate aſſerti niſi per demonſtrationem, conſequenter ſi certus eſſe volueris, alterum non errare, neceſſe eſt ut demonſtratio, qua nititur aſſenſus alterius, tibi ſit perſpecta, ut judicare valeas, num ſingulæ præmiſſæ ſint veræ, & forma demonſtrationis ſit genuina (§. 569 *Log.*). Enimvero tum non admittis veritatem aſſerti propter auctoritatem dicentis, ſed vi demonſtrationis, contra hypotheſin. Atque adeo patet, qualeſcunque tandem fuerint rationes, cur alteri fidem habeas; eas nonniſi probabiles eſſe poſſe. Fieri adeo nequit, ut certam habeat conſcientiam, qui ſuum de actione patranda vel patrata judicium in auctoritatem aliorum reſolvit. Quotieſcunque itaque conſcientia ab alio dependet; ea certa non eſt, ſed probabilis.

§. 429.

Legis notitia ſuppoſita a conſcientia.

Conſcientia ſupponit notitiam legis præſertim naturalis. Etenim conſcientiam habemus, quatenus judicamus, actionem, cujus edendæ occaſio offertur, vel cujus a nobis patratæ recordamur, eſſe bonam vel malam in ſe, ſeu moraliter talem, & illam eſſe vel fuiſſe committendam, hanc vero omittendam (§. 417). Enimvero lex eſt regula, juxta quam actiones noſtras dirigere obligamur (§. 131), & præceptiva quidem obligat ad actiones committendas (§. 164), prohibitiva ad omittendas (§. 163), permiſſiva ad actionem committendam vel omittendam jus dat (§. 165), aut lex tacite permittit, utrum actionem committere, an omittere velimus (§. 166). Quamobrem ex lege nobis innoteſcit, quænam actiones ſint committendæ, vel omittendæ, & quænam a nobis committi, vel omitti potuerint. Et quoniam lex naturæ nos obligat ad actiones intrinſece bonas committendas, intrinſece vero malas omittendas (§. 153), & actio-

nes

nes moraliter bonæ cenſentur, quatenus legi conformes ſunt, moraliter malæ autem putantur, quatenus eidem difformes ſunt (§. 244); ex lege naturali innoteſcit, utrum actio aliqua ſit intrinſece bona vel mala, & ex lege in genere, utrum ſit moraliter bona vel mala. Patet itaque conſcientiam ſupponere notitiam legis tam naturalis, quam poſitivæ (§. 148).

Quoniam vero obligatio, quæ a lege naturæ venit, neceſſaria & immutabilis eſt, ipſaque lex naturæ neceſſaria ac immutabilis (§. 142), & lex poſitiva nos obligare nequit ad ea, quæ legi naturali repugnant (§. 151); ex lege potiſſimum naturæ intelligitur, num actio, quæ dijudicanda venit, ſit bona, an mala, & num committenda, an omittenda. Unde porro patet, conſcientiam ſupponere inprimis legis naturalis notitiam.

Si nulla eſſet lex, nulla quoque eſſet obligatio ad actiones quaſdam committendas, vel omittendas. Quamobrem unuſquiſque ageret, quod ipſi luberet, neque inquireret, utrum actio, cujus patranda occaſio offertur, ſit bona, an mala, utrum committenda, an omittenda. Nulla igitur daretur conſcientia. Enimvero quia lex naturæ ponitur, poſita hominis rerumque natura atque eſſentia (§. 136); conſcientia datur, quia lex datur naturalis. Unde ad legem naturæ inprimis reſpicimus, quando de conſcientia nobis ſermo eſt, præſertim in philoſophia. Si cui adeo nulla eſt legis naturalis, vel cujuſcunque alterius notitia; ei nec conſcientia eſt actu quidem ſecundo, quemadmodum ſcholæ loquuntur: id quod patet exemplo ejus, quem inter urſos educatum & cum iis vitam tranſigentem ſupra commemoravimus (§. 220).

§. 430.

Judicium de actione, cujus patrandæ occaſio offertur, vel cujus a nobis patratæ recordamur, utrum ſcilicet bona ſit, an mala, utrum committenda ſit, vel fuerit, an omittenda, eſt diſcurſivum. Etenim occaſio agendi, quæ nobis offertur, notionem actionis animo inſinuat, ad quam eundem advertentes judicamus, qualis ea ſit (§. 39 *Log.*). Et idem eodem modo ſeſe habet, quoties actionis præteritæ recordamur. Quodſi ergo judicandum, utrum actio iſta ſit bona, an mala, utrum committenda, vel omittenda ſit vel fuerit, neceſſe eſt, ut nobis conſtet, actionem iſtiuſmodi ſeu iſtius generis vel ſpeciei eſſe bonam, vel malam & nos ad eam committendam, vel omittendam obligari, ut hinc colligamus, actionem noſtram eſſe bonam, vel malam, committendam vel omittendam. Quoniam itaque ratiocinamur, ſi ex duabus propoſitionibus terminum communem habentibus elicimus tertiam (§. 50 *Log.*), judicium autem diſcurſivum eſt, quod per ratiocinium elicitur (§. 51 *Log.*); judicium de actione, cujus patrandæ occaſio offertur, vel cujus a nobis patratæ recordamur, utrum bona ſit, an mala, utrum committenda, vel omittenda ſit vel fuerit, diſcurſivum eſt.

Quale ſit judicium, quod de actionibus noſtris fertur.

Judicia omnia vel intuitiva ſunt, vel diſcurſiva. In judiciis intuitivis ſubjecto non tribuimus prædicatum, niſi quod in idea ejus contineri deprehendimus (§. 51 *Log.*). Enimvero actionis bonitatem intrinſecam vel malitiam, conformitatem vel difformitatem cum lege ſive naturali, ſive poſitiva, & obligationem ad eam committendam vel omittendam non intuemur in idea actionis, quam vel ſenſui offert agendi occaſio data, vel præteritæ memoria ſuggerit. E. gr. Idea coitus cum uxore alterius celebrandi, ad quam alliciebatur Joſephus,

ſephus, non continebat in ſe repugnantiam cum voluntate divina, ut ad illum animum advertenti pateret. Atque adeo patet judicium Joſephi, quod coitus iſte ſit voluntati divinæ adverſus, minime intuitivum fuiſſe. Erat itaque diſcurſivum, ſupponens quippe hoc principium generale: *coitus cum uxore alterius, ſeu adulterium, voluntati divinæ adverſatur*. Unde ſimul liquet, quod ſuppoſuerit notitiam legis divinæ, aut, quod perinde eſt, legis naturalis ad ejus auctorem Deum relatæ, quemadmodum vult propoſitio præcedens.

§. 431.

Actus conſcientiæ quomodo diſtincte explicetur.

Actus conſcientiæ in dato quolibet caſu explicabilis eſt per ſyllogiſmum, cujus propoſitio minor eſt factum, ſeu actio patranda, vel patrata, major lex naturalis, ſive divina, aut poſitiva, concluſio judicium de actionis bonitate vel malitia morali & obligatione ad eandem committendam vel omittendam. Conſcientiæ actus eſt judicium de actione patranda, vel patrata, quo enuntiatur, utrum ſit bona, an mala, utrum committenda, vel omittenda (§. 417). Enimvero judicium hoc diſcurſivum eſt (§. 430), conſequenter cum judicium diſcurſivum per ratiocinium eliciatur (§. 51 *Log.*), per ratiocinium elicitur. Ratiocinando ex duabus propoſitionibus terminum communem habentibus formamus tertiam combinando terminos in utraque diverſos (§. 50 *Log.*). Quamobrem judicium de actione noſtra vel patranda, vel non patranda, quod ſcilicet ſit bona, vel mala, committenda, vel omittenda, inferendum eſt ex duabus propoſitionibus terminum quendam communem habentibus, in quibus actio data &, quod ſit bona, vel mala, committenda, vel omittenda præter iſtum terminum communem continentur. Quoniam itaque concluſio eſt: actio hæc eſt bona, adeoque committenda, ſeu mala, adeoque omittenda; propoſitiones, ex quibus elicitur, erunt ſequentes: actio hæc eſt talis & talis actio eſt bona, vel mala, committenda, vel omittenda. Priorem eſſe minorem, poſteriorem majorem patet (§. 340 *Log.*). Nec minus liquet, propoſitionem majorem eſſe legem, cujus notitiam conſcientia ſupponit. Quoniam itaque ſyllogiſmo ratiocinium diſtincte proponitur (§. 332 *Log.*); actus conſcientiæ in dato quolibet caſu explicabilis eſt per ſyllogiſmum, cujus major eſt lex naturalis aut alia quædam, minor factum ſeu actio vel patranda, vel patrata; concluſio denique judicium de bonitate vel malitia actionis morali & obligatione ad eam committendam vel omittendam.

E. gr. Joſephus ad coitum cum uxore Potipharis heri ſui invitatus judicabat, eum eſſe voluntati divinæ adverſum, ſeu peccatum in Deum. Judicium hoc diſcurſivum erat explicabile per hunc ſyllogiſmum: Coitus, ad quem invitor, eſt coitus cum uxore alterius. Sed coitus cum uxore alterius voluntati divinæ adverſus, ſeu peccatum in Deum. Ergo coitus, ad quem invitor, eſt voluntati divinæ adverſus, ſeu peccatum in Deum. Unde apparet, conſcientiam non minus ſupponere legem divinam de non committendo adulterio, ſeu non celebrando coitu cum uxore alterius, quam notionem actionis, cujus edendæ occaſio offertur. Imo ponamus, Joſephum ob injuſtas accuſationes fœminæ mendacis in carcerem conjectum de omiſſione facti judicium tuliſſe, utrum recte id omiſerit, nec ne: eodem adhuc ſyllogiſmo idem explicari poteſt, imo debet. Nihil hic aſſerimus, niſi quod dudum alibi (§. 393. 394 *Pſychol. empir.*) ſufficienter fuit explicatum, quomodo ſcilicet continuatio ſeriei perceptionum explicabilis per ſyllogiſmum. Quæ igitur ibidem annotavimus ad tollendas difficultates, quæ nonnullis ſuboriri poterant; ea relegenda ſunt. Relegenti autem patebit, cur non dixerimus actum conſcientiæ eſſe iſtiuſmodi ſyllogiſmum, qualem in propoſitione

poſitione indigitavimus; ſed tantummodo, eum explicabilem eſſe per ſyllogiſmum, ubi diſtincte ſtatui mentis quænam diverſa inſint, intelligere volueris. Ceterum hic probe notandum eſt, ad ſyllogiſmum iſtum definitivum ſæpius a notione data non perveniri, niſi præviis aliis pluribus inter ſe concatenatis, quemadmodum ex iis intelligitur exemplis, quibus alias (*loc. cit.*) a poſteriori confirmavimus modum continuationis ſeriei perceptionum, ut adeo hæc fuſius in præſenti perſequi non ſit noſtri inſtituti. Propoſitio itaque præſens tantummodo agit de ultimo actu conſcientiæ, quem potiſſimum eidem tribuimus (§. 417), inſuper habitis aliis præviis ad eundem ducentibus, ſi qui dantur, ſive nunc demum eliciantur, ſive jam antea diverſis licet temporibus eliciti per modum tamen ſtatuum præteritorum in præſentem influant: quæ Pſychologiæ peritis minime obſcura ſunt. Qui in Philoſophia practica inoffenſo pede progredi voluerit, principiis pſychologicis probe imbutum ad eam afferre debet animum: neque enim ſufficienter intelliguntur, quæ nonniſi in eſſentia & natura animæ rationem ſufficientem agnoſcunt, niſi hanc habueris perſpectam ſaltem a poſteriori, ne ignorentur, quæ per eſſentiam & naturam animæ inſunt. Occurrent ſuo tempore plura, quibus idem abunde confirmabitur. Suam igitur oſcitantiam, non noſtram obſcuritatem accuſent, ſi qui, cum adhuc hoſpites ac peregrini in Pſychologia omni fuerint, ad Philoſophiam practicam animum appellentes ſæpiſſime hæreant in iis, quæ demonſtrantur.

§. 432.

Conſenſus conſcientiæ theoreticæ, & theoretice practicæ.

Conſcientia theoretice practica cum theoretica ſemper conſentit, ſeu nunquam eidem repugnat. Conſcientia theoretica judicat actionem eſſe bonam vel malam (§. 423); theoretice practica vero actionem nondum ſpectatis circumſtantiis ſingularibus eſſe committendam vel omittendam (§. 424). Quoniam hic actionem conſideramus tanquam moraliter bonam vel malam, & actionem tanquam committendam vel omittendam ſpectamus, quatenus ad eam committendam vel omittendam nos obligatos agnoſcimus, quemadmodum ex anterioribus abunde intelligitur; ſi actionem judicamus bonam vel malam, eam legi conformem, vel difformem eſſe pronuntiamus (§. 244). Quodſi enim eam intrinſece bonam vel malam eſſe exiſtimamus; eam legi naturæ conformem, vel difformem eſſe affirmamus (§. 153). Atat lex regula eſt, juxta quam actiones noſtras dirigere obligamur (§. 131). Qui itaque judicat actionem eſſe legi conformem, is judicat ſe ad eam patrandam eſſe obligatum, ſeu eam eſſe committendam. Et qui judicat actionem eſſe legi difformem, is judicat ſe ad eam non patrandam eſſe obligatum, ſeu eam eſſe omittendam. Quamobrem cum judicium practicum conſentiat cum theoretico, ſi actio committenda declaratur, quæ pro bona venditatur, vel ſi actio omittenda ſtatuitur, quæ pro mala habetur, cum appetamus naturaliter quod bonum cognoſcimus, averſemur quod malum eſſe arbitramur (§. 891. 892 *Pſychol. empir.*); ideo evidens eſt, conſcientiam theoretice practicam cum theoretica ſemper conſentire, ſeu nunquam eidem repugnare.

Propoſitio præſens non aliud inſinuat, quam quod actionem ſpectemus tanquam eam, ad quam patrandam nos ſumus obligati, quando eam conſideramus tanquam lege præceptam: & ex adverſo quod actionem ſpectemus tanquam eam, ad quam omittendam obligati ſumus, quando eam conſideramus tanquam lege prohibitam. Conformis enim legi actio eſt, quæ eadem præcipitur; difformis, quæ prohibetur. Quamobrem propoſitionis præſentis veritatem abſque ulteriori probatione admittet, qui notionem legis præceptivæ & prohibitivæ animo comprehenſam tenet (§. 164. 163).

§. 433.

§. 433.

Quando homo cō-tra con-ſcientiã theoreti-cam & theoreti-ce pra-cticam agat.

Si ob rationes a circumſtantiis ſingularibus deſumtas bonum videatur, quod iis non ſpectatis judicabatur malum, vel contra malum, quod bonum habebatur; aut ſaltem melius non fieri, quod antea faciendum judicabatur & contra; homo agit contra conſcientiam theoreticam & theoretice practicam. Etenim ſi ob rationes a circumſtantiis ſingularibus deſumtas agendi occaſione oblata bonum videatur, quod antea judicabatur malum, vel contra malum, quod bonum habebatur; judicium noſtrum de actione nunc patranda mutatur (§.290 *Ontol.*). Enimvero quoniam quid appetimus, quamprimum id nobis repræſentamus tanquam bonum (§.589. 891 *Pſychol. empir.*), averſamur vero, quamprimum id nobis repræſentamus tanquam malum (§.590 *Pſychol. empir.*); quod antea averſabamur, nunc appetimus; quod appetebamus, nunc averſamur, adeoque committimus actionem, quam alias judicaveramus malam, & omittimus actionem, quam alias judicaveramus bonam. Et ſimiliter quia præferimus, quod judicatur melius (§.898 *Pſychol. empir.*); ſi ob circumſtantias ſingulares non faciendum judicamus, quod antea faciendum judicaveramus & contra, denuo omittimus actionem, quam non ſpectatis circumſtantiis, bonam judicaveramus, & committimus actionem, quam judicaveramus malam (§.892 *Pſychol. empir.*). Enimvero conſcientia theoretica eſt, quæ actionem bonam, vel malam eſſe judicat (§.423). Patet itaque nos agere contra conſcientiam theoreticam, ſi ob rationes a circumſtantiis ſingularibus deſumtas malum judicetur, quod antea judicabatur bonum & contra, vel ſi melius judicetur non fieri, quod ante faciendum eſſe judicaveramus & contra. *Quod erat primum.*

Enimvero conſcientia theoretice practica cum theoretica ſemper conſentit (§. 432), adeoque qui contra conſcientiam theoreticam agit, etiam contra theoretice practicam agit. Quamobrem cum contra conſcientiam theoreticam agat, qui ob rationes a circumſtantiis ſingularibus deſumtas bonum judicat, quod antea judicaverat malum & contra, vel qui ob eaſdem rationes judicat melius non fieri, quod alias faciendum eſſe agnoverat & contra, *per demonſtrata*; quin idem contra conſcientiam theoretice practicam agat, dubitandum non eſt. *Quod erat alterum.*

Nimirum ob circumſtantias ſingulares pro bono habemus, quod malum alias judicaveramus, propterea quod per eas ex actione conſequuntur, quæ nobis utilia ſunt vel voluptatem creant, aut conſequi ſaltem putantur (§. 561 *Pſychol. empir.*). Et viciſſim ob circumſtantias ſingulares pro malo habemus, quod alias bonum judicaveramus, propterea quod per eas ex actione conſequuntur, quæ nobis damno ſunt vel quomodocunque moleſtiam creant, aut conſequi ſaltem putantur (§. 573 *Pſychol. empir.*). Imo quamvis cognoſcamus, actionem, cujus edendæ occaſio offertur, eſſe bonam & eam committere velimus; ſpes tamen lucri, vel metus damni ac tædii efficit, ut eam omittamus. Et viciſſim utut certi ſimus, actionem, cujus patrandæ occaſio adeſt, eſſe malam eamque omittere velimus; ſpes tamen lucri, vel damni evitandi ac tædii effugiendi nos promovet, ut eam committamus (§.§. *cit.*). Videmus meliora probamuſque, ſed deteriora ſequimur. Unde liquet, quod homo non modo contra conſcientiam, theoreticam ſcilicet ac theoretice practicam, agat; verum etiam patet ratio, cur contra eandem agat. Simul hinc intelligitur, non nudam legum

noti-

Digitized by Google

notitiam ſufficere, ut actiones eidem conformes committas, difformes omittas. Acutiores vero perſpiciunt, eam tanto minus ſufficere, ſiquidem actionum intrinſecam bonitatem & malitiam non inſpicias. Unde porro ſua ſponte ſequitur, quam ſit neceſſe actionum intrinſecam bonitatem & malitiam intimius perſpici, & quidem tempeſtive, antequam male agendi conſuetudinem contraxeris, vel ſaltem rationibus extrinſecis moveri conſueveris. Non igitur eſt, quod miremur eos, qui de actionum bonitate ac malitia morali pulchre diſſerere & bonarum commiſſionem, malarum omiſſionem graviter urgere ſolent, ipſi tamen agunt, quod improbant & in aliis maxime vituperant, nec ferre volunt. Qui contra conſcientiam theoreticam & theoretice practicam agit, quid bonum ſit, quid malum agnoſcit (§. 418. 423), quod bonum eſt laudat & aliis commendat, imo amat & agendum decernit, quod vero malum eſt damnat & ab eo alios dehortatur, imo odit, & non agendum decernit (§. §. cit.); hoc tamen non obſtante agendi occaſione oblata ſibimetipſi contrarius, omittit, quæ committere ſibi propoſuerat, & ex adverſo committit, quæ omittere ſancte decreverat. Mox vero patebit, alias adhuc concurrere cauſas, quæ animum bene diſpoſitum in tranſverſum abripiunt.

§. 434.

Quando contra conſcientiā practice practicam incompletā agamus.

Si ſpectatis omnibus circumſtantiis ſingularibus pro malo habemus, quod bonum judicaveramus ſpectatis quibusdam, vel contra pro bono, quod malum judicaveramus, vel ſi ob circumſtantias omnes ſingulares melius videatur, omitti actionem, quam nondum ſpectatis omnibus committendam judicaveramus & contra; contra conſcientiam practice practicam incompletam agimus. Eodem modo, quo in propoſitione præcedente, patet, ſi ſpectatis omnibus circumſtantiis ſingularibus pro malo habemus, quod nondum ſpectatis omnibus pro bono declaraveramus, vel contra pro bono habemus, quod malum judicaveramus; nos omittere, quod ante committendum eſſe judicaveramus, & committere, quod omittere decreveramus. Et idem ſimiliter patet, ſi ob circumſtantias omnes ſingulares melius videatur omitti actionem, quam nondum ſpectatis omnibus committendam judicaveramus & contra. Enimvero conſcientia practice practica eſt, quæ fert judicium de actione committenda & omittenda ſpectatis circumſtantiis particularibus, aut, ſi mavis, ſingularibus (§. 424); ſed incompleta, ſi non ſpectentur omnes (§. 425). Quamobrem patet nos contra conſcientiam practice practicam agere, ſed incompletam; ſi ſpectatis omnibus circumſtantiis ſingularibus mutetur judicium, quod de actione omittenda vel committenda tuleramus, nondum ſpectatis omnibus, ſed quibuſdam.

Quamdiu fieri poteſt, ut homo judicium de actione committenda, vel omittenda mutet; tamdiu quoque fieri poteſt, ut contra judicium anterius agat, ſecutus poſterius, a quo ut recedat ratio nulla adeſt. Enimvero tamdiu fieri poteſt, ut quis judicium ſuum de actione committenda vel omittenda mutet, quamdiu novæ emergunt rationes, ob quas habeatur pro malo, quod alias bonum habebatur, vel pro bono, quod alias malum exiſtimabatur, vel ob quas melius eſſe putatur omitti actionem, quam alias committendam eſſe ſtatueramus & contra. Unde mirum non eſt, quod contra conſcientiam practice practicam incompletam agere poſſimus. Nimirum etſi ſpectatis quibuſdam circumſtantiis particularibus ſeu ſingularibus, imo iis, per quas determinanda eſt in caſu dato moralitas actionis, legi naturali conformis vel difformis agnoſcatur actio, ob circumſtantias tamen quaſdam ſingulares conſultius videri poteſt agere contra legem, quam ſecundum eandem: unde contra conſcientiam practice practicam incompletam agit, qui rationibus iſtis cedit. Obiter vero monemus, quod in præſenti doctrina probe tenendum, conformitatem cum lege naturali agnoſci, ſi actionis bonitatem intrinſecam & neceſſitatem moralem eam committendi agno-

ſcimus, etſi de lege naturali expreſſe non cogitemus. Et idem tenendum eſt de actionum difformitate cum lege naturali. Neque enim terminorum, ſed rerum iis denotatarum habenda eſt ratio. Unde videas in praxi vim moralitatis intrinſecæ etiam ſeſe exerere in iis, qui eandem rejiciunt. Præterea probe animo recolenda ſunt, quæ de legum colliſione ſuperius demonſtrata ſunt (§. 210 & *ſeqq.*). Conſcientia enim practice practica pendet a legum colliſione. Huic itaque doctrinæ multam affundet lucem theoria juris naturalis, ubi haud infrequens erit colliſio legum: tum etiam philoſophia moralis, quæ ad eam in praxi haud raro reſpicit.

§. 435.

Quando contra conſcientiã theoreticam, & practice practicã completam agamus.

Si conſcientia fuerit ſerva, contra conſcientiam non modo theoreticam, verum etiam practice practicam completam agimus. Etenim ſi conſcientia fuerit ſerva, judicium de actione committenda, vel omittenda fertur, dum appetitu ſenſitivo vel averſatione ſenſitiva in contrariam partem trahimur, vel affectuum impetu in eandem abripimur (§. 426). Quamobrem patet etſi alias agnoſcamus, actionem aliquam eſſe bonam vel malam, adeoque committendam vel omittendam, imo etſi in dubium minime vocemus, quod ſub hiſce etiam circumſtantiis ſingularibus committenda vel omittenda ſit; quatenus tamen animum advertimus ad appetitum ſenſitivum atque affectus, id faciendum judicamus, ad quod eodem trahimur & affectuum impetu abripimur, conſequenter contrarium ejus facimus, quod faciendum eſſe alias judicaveramus, committentes quod omittendum & omittentes quod committendum etiam ſub circumſtantiis ſingularibus præſentibus agnoveramus. Quoniam itaque conſcientia theoretica judicium fert de bonitate vel malitia morali actionis (§. 423) & practice practica completa de eadem committenda vel omittenda ſub circumſtantiis ſingularibus omnibus (§. 424. 425); contra conſcientiam theoreticam, & conſcientiam practice practicam completam agimus, ſi ea fuerit ſerva.

Appetitui ſenſitivo ac in eodem reſidentibus affectibus jucundis, itemque averſationi ſenſitivæ ac ad eam pertinentibus affectibus moleſtis potiſſimum tribuendum, quod contra conſcientiam agant homines. Quando vero agitur contra conſcientiam practice practicam completam; contra iſtud judicium agitur, quod juri naturali inprimis conſentaneum exiſtimamus etiam ſpectatis omnibus circumſtantiis ſingularibus, ſeu non pluribus attentionem noſtram in ſe trahentibus, ſive verum ſit iſtud judicium, ſive falſum. Agit enim etiam contra conſcientiam, qui contra erroneam agit. V. gr. Si quis exiſtimet (quæ nonnullorum eſt opinio), hodie chriſtianis interdictum eſſe veſci carne animalium ſuffocatorum, quin ejus conſcientia ſit erronea (§. 419), extra dubitationis aleam poſitum exiſtimamus. Quodſi tamen is carnem iſtiuſmodi comedat, contra conſcientiam utique agit non minus ac ille, qui vindictæ cupidine abreptus damnum infert ei, a quo ſe læſum arbitratur, etſi in dubium non vocet, vindictam omnem legi naturali ac præcepto Chriſti eſſe adverſam, nec adeſſe cauſas ſingulares, quæ ipſi vindictam permittant, ut jure damnum inferre poſſit lædenti.

§. 436.

Quando contra conſcientiam homo agere nequeat.

Contra conſcientiam practice practicam completam homo agere nequit, ſi fuerit libera. Etenim ſi conſcientia practice practica fuerit completa, judicium de actione committenda vel omittenda in dato ſingulari caſu fertur, ratione habita circumſtantiarum omnium ſingularium (§. 425), adeoque nulla ex hac parte emergere poteſt ratio, ob quam judicium mutetur. Quodſi ergo etiam fuerit libera, nec appetitu ſenſitivo in partem contra-

riam

riam trahimur, neque affectuum impetu in eandem abripimur (§. 426). Nulla igitur etiam ex parte appetitus ſenſitivi ſubeſt ratio, cur a rationali ſecedamus. Quamobrem cum ſine ratione ſufficiente nil quicquam fiat (§. 70 *Ontol.*); nec fieri poteſt, ut contra conſcientiam practice practicam completam homo agat, ſi libera fuerit.

Nemo non videt, conſcientiam incompletam haberi pro completa, ſi plures circumſtantiæ ſingulares a nobis detegi nequeant, utut plures dentur. Unde in hoc caſu contra conſcientiam practice practicam incompletam, ſed liberam homo agere nequit. Ex hactenus demonſtratis abunde patet, quandonam homo contra conſcientiam agere poſſit, & quandonam contra eandem agere nequeat. Ex deciſione autem hujus quæſtionis eluceſcit, diſtinctiones conſcientiæ paulo ante allatas non eſſe nullius utilitatis: etenim abſque hiſce diſtinctionibus non liquet, quid ad eam quæſtionem ſit reſpondendum: num homo contra conſcientiam agere queat? cum neque affirmative, neque negative ad eandem reſponderi poſſit.

§. 437.

Quinam conſcientioſus, quinam nullius conſcientiæ.

Qui contra conſcientiam agere ſuevit practice practicam, etiam completam, quia ſerva; *homo nullius conſcientiæ* dicitur. Aſt qui contra conſcientiam agere nunquam vult, *Conſcientioſus* vocatur.

Facile intelligitur ex præmiſſis, quænam differentia inter hominem conſcientioſum & minime conſcientioſum intercedat. Etenim qui conſcientioſus eſt, actionem omittere non vult, quam in ſe bonam, vel voluntati divinæ aut legi naturæ, aut etiam poſitivæ conformem agnoſcit; nec vult committere actionem, quam in ſe malam, vel voluntati divinæ, aut legi naturali, aut etiam poſitivæ repugnare exiſtimat, quacunque tandem jucunditatis vel utilitatis ſpecie blandiatur actio oppoſita, vel quodcunque tandem periculum adeſſe videatur, ſi actionem eam committat, quam legi conformem, eam vero omittat, quam eidem difformem reputat. Eſt igitur conſcientioſi conſtans & perpetua voluntas nil quicquam contra conſcientiam agendi (§. 1062 *part. I. Theol. nat.*). Alius vero eſt animus illius, qui minime conſcientioſus eſt. Etſi is agnoſcat, actionem eſſe moraliter bonam, ſeu legi naturali, aut voluntati divinæ, vel poſitivæ legi conformem, adeoque ſe obligatum ad eam committendam; ſpe tamen lucri aut voluptatis cujuſdam percipiendæ, vel metu mali, aut moleſtiæ alicujus ſe adduci patitur, ut eam omittat. Similiter etſi certus ſit, ſeu ſibi eſſe videatur, actionem aliquam voluntati divinæ, vel legi naturali aut poſitivæ repugnare, adeoque ſe obligatum eſſe ad eam omittendam; eadem tamen, qua ante, de cauſa ſe ad eam committendam adduci patitur. Cedit refragante conſcientia cupiditatum illecebris aliorumque affectuum impetui. Ad modo dicta qui animum advertit, conſcientioſos a minime conſcientioſis facile diſtinguet, nec conſcientiam ſtatim denegabit ei, qui contra conſcientiam theoreticam vel theoretice practicam agit.

§. 438.

Quando conſcientioſus contra conſcientiã agere videatur.

Qui agit ſecundum conſcientiam practice practicam, etſi contrariam theoretice practicæ; is non deſinit eſſe conſcientioſus. Etenim ſi conſcientia practice practica theoretice practicæ contraria fuerit; ſub circumſtantiis ſingularibus committi poſſe videtur, quod alias lege prohibetur, & ex adverſo omittendum cenſetur, quod alias lege præcipitur (§. 424). Qui igitur ſecundum conſcientiam practice practicam theoretice practicæ contrariam agit; ei non deeſt animus non agendi contra conſcientiam, transgrediendo legem utilitatis cujuſdam vel jucunditatis gratia. Quamobrem cum conſcientioſus eſſe non deſinat, qui non mutat mentem non agendi contra conſcientiam (§. 437); qui ſecundum conſcientiam practice practicam theoretice practicæ contrariam agit, is ideo non deſinit eſſe conſcientioſus.

Digitized by Google

Facile videmus, contra conſcientiam potius acturum eum, qui mallet agere, quod non ſpectatis ſingularibus circumſtantiis, agendum eſſe agnoverat, quam quod ſub hiſce agendum eſſe certus eſt. Etenim conſcientia dictitat ſub hiſce circumſtantiis hoc eſſe agendum. Qui igitur dictamen conſcientiæ audire vult, hoc agere debet. Aliter vero ſeſe res habet, ſi rationes a circumſtantiis ſingularibus deſumtæ ſuadeant agere contra conſcientiam: quæ cum eo in caſu ſerva ſit (§. 426), caſus hic non ſub propoſitione præſente, ſed anteriore (§. 435) continetur.

§. 439.

Quando conſcientioſus transgrediatur legē.

Si conſcientioſus agit ſecundum conſcientiam erroneam intuitu legis præceptivæ vel probibitivæ; legem transgreditur, etſi ſervandi animo. Etenim ſi quis conſcientiam habet erroneam; ejus de bonitate vel malitia morali judicium theoreticum, & de ea committenda vel omittenda practicum, falſum eſt (§. 419). Quam igitur actionem legi conformem, adeoque committendam judicat, ea eidem difformis, adeoque omittenda eſt, & viciſſim quam actionem legi difformem, adeoque omittendam judicat, ea eidem conformis eſt, adeoque committenda (§. 505 *Log.* & §. 163. 164 *Philol. pract. univ.*). Quamobrem ſi ſecundum conſcientiam agit, actionem committit, quæ vi legis erat omittenda, & viciſſim eam omittit, quæ vi legis erat committenda, conſequenter actiones ſuas contraria ratione determinat, quam juxta legem determinari debebant. Enimvero qui actiones ſuas contraria ratione determinat, quam juxta legem determinari debebant, legem tranſgreditur (§. 139). Tranſgreditur adeo legem conſcientioſus, ſi ſecundum conſcientiam erroneam intuitu legis præceptivæ, vel prohibitivæ agit. *Quod erat unum.*

Enimvero qui ſecundum conſcientiam erroneam agit, ideo actionem committit vel omittit, quod ſibi perſuadeat, vi legis eam eſſe committendam, vel omittendam, conſequenter animum habet actiones ſuas juxta legem determinandi. Enimvero qui juxta legem actiones ſuas determinat, eam ſervat (§. 138). Quare qui ſecundum conſcientiam erroneam agit, animum habet ſervandi legem. Eam vero transgreditur conſcientioſus, ſi ſecundum conſcientiam erroneam intuitu legis præceptivæ, vel prohibitivæ agit *per demonſtrata.* Patet itaque conſcientioſum, ſi juxta conſcientiam erroneam agit intuitu legis præceptivæ vel prohibitivæ, legem tranſgredi animo eam ſervandi. *Quod erat alterum.*

Non adeo ſufficit eſſe conſcientioſum, ſed curandum eſt ut conſcientia ſit recta & certa. Falluntur plurimum, qui ſibi perſuadent, ſe recte agere, ſi ſecundum conſcientiam agant, ut bonum ac rectum reputent, quod eidem conforme. Haud raro contingit, ut homines conſcientioſi magis noceant, quam qui nullius ſunt conſcientiæ, ubi erronea utuntur conſcientia, ſiquidem potentes fuerint vel penes potentes auctoritate polleant. Videant itaque, quam noxia ſit eorum doctrina, qui rationis imperio conſcientiam ſubeſſe nolunt.

§. 440.

Peccatū quid ſit.

Peccatum dicitur actio, ſive poſitiva ſive privativa fuerit, legi naturæ ac divinæ contraria.

Nimirum actio dicitur peccatum in relatione ad legem naturæ, quam eſſe divinam ſupra oſtendimus (§. 277), & ad divinam poſitivam, verbo ad legem, cui reſpondens obligatio Deum habet auctorem. Unde *peccatum committitur adverſus legem poſitivam humanam,*

quatenus

quatenus ad eam ſervandam lege naturali vel divina obligamur: id quod ſuo loco oſtendetur, hic tamen præmonendum fuit, ne definitio peccati in abuſum trahatur. In genere dici nequit, actionem legi contrariam eſſe peccatum. Dantur enim leges humanæ, quæ naturali repugnant, ac ideo nullam obligandi vim habent (§. 151), ut, qui contra eas agit, non peccet, peccet vero, qui ſecundum eaſdem agit.

§. 441.

Quando ſecundũ conſcientiã agens peccet.

Conſcientioſus ſecundum conſcientiam erroneam intuitu legis præceptivæ & prohibitivæ agens, & in genere qui ſecundum conſcientiam erroneam agit, peccat. Etenim conſcientioſus ſecundum conſcientiam erroneam agens intuitu legis præceptivæ, vel prohibitivæ, legem transgreditur (§. 439), & in genere eodem, quo idem, modo patet, quod legem transgrediatur qui ſecundum conſcientiam erroneam in dato caſu agit. Enimvero qui legem tranſgreditur actionem ſuam contraria ratione determinat, quam juxta legem determinari debebat (§. 139), conſequenter cum in doctrina de conſcientia legis naturæ vel divinæ potiſſimum habeatur ratio (§. 429. 431), actio ejus legi naturali vel divinæ contraria. Quoniam itaque peccat, qui actionem legi naturali vel divinæ contrariam patrat (§. 440); conſcientioſus ſecundum conſcientiam erroneam agens intuitu legis præceptivæ vel prohibitivæ, & in genere qui ſecundum conſcientiam erroneam agit, peccar.

Apparet adeo, quam ſit neceſſe, ſi quis a peccato immunem ſervare velit animum, ut rationem excolat, ne quæ ſint legis naturæ, ignoret, & facta rite diſcernens in applicanda lege naturali a vero minime aberret (§. 431). Omittimus hic, ut in aliis, quæ ex Scriptura Sacra docent Theologi. Philoſophi enim non eſt committere *μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος*, ac importune ſeſe ingerere iis, quæ lumini rationis impervia ſunt. Ubi Philoſophus deſinit, ibi incipit Theologus ſuperaddens ea, quæ in Philoſophia deſiderantur. Diſcrimen hoc inculcat *D. Thomas, primæ ſecundæ quæſt. 71. art. 6. concl. 6* dicens: peccata a Theologis conſiderari ut offenſa Dei, a Philoſopho ut ſunt contra rationem: qui idem *loc. cit. concl. 5* ex *Auguſtino* definit peccatum per dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam.

§. 442.

Cur peccatum ſit contra rationem.

Peccatum contrariatur rationi. Contrariatur enim legi naturæ (§. 440). Enimvero cum lex naturæ per rationem nobis innoteſcat (§. 259); quod illi contrariatur, huic etiam contrarium eſt. Peccatum igitur rationi contrariatur.

Nimirum unum idemque eſt, ſive dicas peccatum eſſe contra legem naturæ, ſive contra rationem. Philoſophus ex principiis rationis demonſtrat, quænam actiones ſint legis naturalis, conſequenter quænam rationi conformes, quænam eidem difformes ſeu contrariæ. Et hinc patet, cur *D. Thomas* dixerit, Philoſophum conſiderare peccata ut ſunt contra rationem.

§. 443.

Cur peccata voluntati divinæ contraria.

Peccatum contrariatur voluntati divinæ. Contrariatur enim legi naturæ (§. 440). Enimvero quoniam lex naturæ voluntati divinæ conveniens (§. 284); quod illi contrariatur, huic quoque contrarium eſt. Peccatum igitur voluntati divinæ contrarium eſt.

Nimirum unum idemque eſt, ſive dicas peccatum eſſe contra legem naturæ, ſive contra voluntatem divinam, niſi quod voluntas divina latius pateat, quatenus etiam complectitur voluntatem revelatam, Philoſopho qua tali ignotam. Unde quæ a voluntate revelata pendent, ea explicare Theologorum eſt.

§. 444.

§. 444.

An peccare velle ſit peccatum.

Volitio peccati peccatum eſt, ſeu peccare velle peccatum eſt. Etenim qui vult peccatum, vult actionem legi naturali vel divinæ contrariam (§.440). Lex nos obligat ad committendas vel omittendas actiones (§. 152), conſequenter cum neceſſe ſit actionem, quæ committenda, committere velimus, & eam, quæ omittenda, omittere velimus, quod per ſe patet, etiam nos obligat ad volendum actionum commiſſionem, vel omiſſionem. Quoniam itaque volitio actionis legi contrariæ, eidem contrariatur, actio autem legi contraria peccatum eſt (§. 440); volitio etiam actionis legi contrariæ, adeoque peccati, peccatum eſt, conſequenter peccare velle peccatum eſt.

Nemo miretur, quod volitionem actionis legi contrariæ peccatum dicamus; etenim peccatum primario inhæret voluntati, nec imputatur peccatum homini, niſi quatenus a libera voluntate proficiſcitur, quemadmodum deinceps videbimus. Unde homicidium non imputatur furioſo, qui rationis uſu deſtitutus non libere agit, ſed brutorum inſtar appetitu ſenſitivo impellitur ad actiones ſuas. Lex naturæ nos obligat ad actionum rectitudinem (§. 189). In rectitudine actionis ratio etiam habenda eſt actus volitionis (§. 73). Unde ſi actio legi contraria eſſe non debet, nec actus volitionis eidem contrarietur neceſſe eſt.

§. 445.

Quando legi conformiter agens peccet.

Qui actionem legi naturæ vel divinæ contrariam judicat, quæ eidem convenit, vel ſaltem non repugnat, & hoc non obſtante eandem committit; peccat. Etenim qui actionem legi naturæ vel divinæ contrariam judicat, etiamſi non ſit; eam pro peccato habet (§. 440). Quare ſi eam hoc non obſtante committit, peccatum committere vult. Enimvero peccare velle peccatum eſt (§. 444). Qui igitur actionem eidem conformem committit, quam eidem contrariam eſſe judicat, peccat.

Nimirum ex parte agentis perinde eſt, ſive actio, quam committit, legi revera repugnet, an ſaltem repugnare videatur, cum eandem committeret, etiamſi certo ſciret eam legi eſſe adverſam. Eſt adeo ipſi contra legem agendi conſtans voluntas, quæ quod ſit peccaminoſa, quis dubitet?

§. 446.

Cur contra conſcientiã erroneã agens peccet.

Qui contra conſcientiam erroneam agit, peccat. Etenim qui conſcientiam erroneam habet, is judicat, actionem eſſe legi naturæ vel divinæ contrariam, quæ non eſt (§. 419). Quodſi ergo contra conſcientiam erroneam agit, eam actionem committit, quam legi naturæ vel divinæ contrariam judicat, etſi eidem conveniat, vel ſaltem non repugnet. Enimvero qui actionem legi naturæ vel divinæ contrariam judicat, quæ eidem convenit, vel ſaltem non repugnat, & hoc non obſtante eandem committit, peccat (§. 445). Quare qui contra conſcientiam erroneam agit, peccat.

Qui contra conſcientiam erroneam agit, ſemper peccat, quia ſemper agit animo peccandi, & nonniſi ex accidente eſt, quod actus externus non ſit contra legem. Aſt non ſemper actus externus peccaminoſus eſt, ſi quis ſecundum conſcientiam erroneam agit, quia actio aliqua poteſt eſſe lege permiſſa, quam eidem conformem vel difformem judicat, ut adeo ipſi liberum ſit committere vel omittere actionem, quam ideo committit vel omittit, quod ad eam committendam vel omittendam ſe obligatum exiſtimat. Unde ſuperius peccatum ſecundum conſcientiam agentis erroneam reſtrinximus ad legem prohibitivam & præceptivam (§. 439. 441). Nimirum qui ſecundum conſcientiam erroneam agit, is non peccandi animo agit (§. 439). Quamobrem etſi exiſtimet, ſe ad actionem omittendam vel committen-

mittendam eſſe obligatum, quæ lege naturali permiſſa eſt; error in praxin minime influit, ut adeo nec actus externus a rectitudine deficiat.

§. 447.

Conſcientia dubia agentis periculum.

Qui conſcientia dubia agit, periculo legem transgrediendi ſeſe committit. Etenim qui conſcientia dubia agit, is dubitat, utrum actio legi ſit contraria, an eidem conveniat (§. 420), adeoque ignorat, num eidem contraria ſit, an conveniat (§. 417 *part. II. Theol. nat.*). Quodſi ergo conſcientia dubia agit, tam facile accidere poteſt, ut actionem legi contrariam, quam eidem conformem committat, ſeu ut actionem ſuam contra naturæ legem, quam juxta eandem determinet. Quamobrem cum legem transgrediatur, qui actiones ſuas contraria ratione determinat, quam juxta legem determinari debebant (§. 139); evidens eſt, quod legem tranſgrediendi periculo ſeſe committat, qui conſcientia dubia agit.

Quemadmodum periculo errandi ſeſe committit, qui aſſenſum præbet propoſitioni, de qua dubitat, utrum vera, an falſa ſit; ita periculo quoque legem tranſgrediendi ſeſe exponit, qui actionem committit, de qua adhuc dubitat, utrum vi legis naturalis vel divinæ ſit committenda, vel omittenda. Unde apparet, actionem juxta conſcientiam dubiam ſeſe habere ad voluntatem, quemadmodum aſſenſus dubius ad intellectum.

§. 448.

An conſcientia dubia agens peccet.

Qui conſcientia dubia agit, peccat. Etenim qui conſcientiam dubiam habet, de veritate judicii ſui, quod fert de actione committenda vel omittenda, adhuc dubitat (§. 420), conſequenter ignorat, an actio ea ſit committenda, quam committere vult, vel cujus committendæ occaſio offertur, vel num actio ſit omittenda, quam omittendam eſſe v. gr. ſuadent alii (§. 417 *part. II. Theol. nat.*). Quodſi igitur hoc non obſtante agit, actionem committit, quæ ne vi legis naturæ vel divinæ omittenda ſit adhuc veretur, vel eam omittit, quæ ne committenda ſit metuit, conſequenter actionem edere vult, etiamſi contingat eam eſſe legi contrariam. Quoniam itaque actio iſtiusmodi peccatum eſt (§. 440); neceſſe eſt ut peccatum velit, periculo legem transgrediendi ſe libere exponens (§. 447). Enimvero velle peccare peccatum eſt (§. 444). Quamobrem qui conſcientia dubia agit, peccat.

Non eſt quod excipias tunc demum peccari, ubi contingit conſcientiam dubiam eſſe erroneam, cum tum demum edatur actio legi contraria, ſive privativa fuerit, ſive poſitiva. Neque enim hic actus externi habetur ratio, ſed voluntatis & noluntatis, in qua hæret malum morale, quod actionem efficit peccatum. Quando officia erga Deum demonſtraturi ſumus, tum clariſſime patebit, ſemper peccari in Deum, quoties contra conſcientiam erroneam & conſcientia dubia agitur, violato officio erga Deum. Hoc peccatum in Deum cum ſit ab actione, quæ contra conſcientiam erroneam vel conſcientia dubia editur, inſeparabile; actionem alias legi convenientem inficit, ut in peccatum degeneret.

§. 449.

An conſcientioſus ſit, qui dubia agit

Qui conſcientia dubia agit, conſcientioſus non eſt. Pone enim conſcientia dubia agentem eſſe conſcientioſum. Quoniam qui conſcientiam dubiam habet, dubitat, num actio ſit committenda, an omittenda (§. 420), conſequenter ignorat, an actio ſit legi conformis (§. 417 *part. II. Theol. nat.*); in

Digitized by Google

conſcientia. in agendo non ſequitur ſuum de actionis conformitate cum lege judicium, conſequenter ſecundum conſcientiam minime agit (§. 417). Quamobrem cum conſcientioſus contra conſcientiam nunquam agere velit (§. 437), adeoque nonniſi ſecundum eandem agat; qui conſcientia dubia agit, conſcientioſus non eſt.

Conſcientioſus motivo utitur conformitate actionis cum lege, nec aliis motivis determinat voluntatem vel noluntatem, alias enim in agendo non rationem haberet conſcientiæ. Qui dubiam habet conſcientiam, conformitatem illam ignorat (§. 420 *Phil. pract. univ.* & §. 417 *part. II. Theol. nat.*), conſequenter per eam voluntatem & noluntatem determinare nequit, ſed per alias rationes extrinſecas eandem determinet neceſſe eſt (§. 889 *Pſychol. empir.*). In agendo igitur conſcientiæ rationem habet nullam. Ecquis igitur affirmaverit, eum eſſe conſcientioſum?

§. 450.

Qualis ſit conſcientia conſcientioſi. *Conſcientioſus conſcientia fruitur libera.* Ponamus enim conſcientiam hominis conſcientioſi non eſſe liberam. Quoniam conſcientia libera eſt, quæ non eſt ſerva (§. 426); conſcientioſus habebit conſcientiam ſervam. Enimvero ſerva eſt conſcientia, ubi appetitus & averſatio ſenſitiva judicantem de actione, utrum committenda, vel omittenda, in partem contrariam trahit, imo affectuum impetus in eandem rapit (*§. cit.*). Conſcientioſus itaque, dum actionem vi legis committendam, vel omittendam eſſe judicat, vi appetitus ſenſitivi vel averſationis ſenſitivæ in partem contrariam trahitur, imo affectuum impetu in eam rapitur, conſequenter actionem omittit, quam animum ad legem advertens committendam judicaverat, vel committit actionem, quam judicaverat omittendam, adeoque contra conſcientiam agit: quod cum ſit abſurdum (§. 437), conſcientioſum libera frui conſcientia opus eſt.

Oſtenditur etiam hoc modo. Ponamus homini conſcientioſo non eſſe conſcientiam liberam, ſed ſervam (§. 426). Aget igitur contra conſcientiam non modo theoreticam, verum etiam practice practicam, eamque completam (§. 435). Quare cum conſcientioſus contra conſcientiam agere nunquam velit (§. 437), nec fieri poteſt, ut conſcientia ejus ſit ſerva. Fruetur adeo libera (§. 426).

Non nego eſſe bene multos, qui cum conſcientioſi eſſe velint, ſe contra conſcientiam agere non putent, ubi faciunt, ad quod appetitu ſenſitivo trahuntur & affectuum impetu abripiuntur. Enimvero hi ſunt, qui ſibi videntur eſſe, qui non ſunt, adeoque pro licito habent, quod appetitus ſenſitivus & affectus ipſis commendat. Tanta nimirum eſt de rectitudine voluntatis perſuaſio, ut eam non ferri niſi in id, quod legi divinæ conforme eſt, exiſtiment, & ob imbecillitatem judicii appetitum ſenſitivum a voluntate, affectus a fervore agendi, quod voluntati divinæ conforme, non diſtinguunt. Unde apparet, quam ſit neceſſe, ut Pſychologiæ operam ſedulam naves, ſiquidem conſcientiam intemeratam ſervare velis, nec tibi videri conſcientioſus, cum non ſis.

§. 451.

Cur dubia conſcientia nil agat. *Conſcientioſus conſcientia dubia nil agit.* Etenim conſcientioſus contra conſcientiam nunquam agere vult (§. 437). Quamobrem cum conſcientia judicet, utrum vi legis naturalis vel divinæ actio ſit committenda, an omittenda (§. 417), non vult committere actionem, niſi legi naturali conformem,

mem, conſequenter non vult aliter determinare actionem ſuam, quam juxta legem naturæ vel divinam, adeoque legem naturæ vel divinam transgredi non vult (§. 139). Enimvero qui conſcientia dubia agit, periculo legem tranſgrediendi ſeſe exponit (§. 447). Fieri adeo nequit, ut conſcientioſus conſcientia dubia quicquam agat.

Conſtans illa & perpetua voluntas, quæ eſt homini conſcientioſo, non agendi contra conſcientiam, haud quaquam permittit, ut conſcientia dubia agat. Quamdiu enim ignorat, utrum actio, cujus edendæ occaſio offertur, ſit contra conſcientiam, nec ne, agendi voluntatem habere nequit, quoniam voluntas agendi, quamdiu dubia eſt, includit voluntatem agendi contra conſcientiam, cum contra legem agere velle & contra conſcientiam agere ſit unum idemque.

§. 452.

Conſcientiæ dependentia a ratione.

Conſcientia ſupponit rationem, nec actus ejus elicitur niſi uſu rationis. Conſcientia ſupponit notitiam legis naturalis (§. 429). Quamobrem cum lex naturæ nobis innoteſcat per rationem (§. 259); quin conſcientia rationem ſupponat dubitari nequit. *Quod erat unum.*

Actus conſcientiæ explicabilis eſt per ſyllogiſmum (§. 431), adeoque ratiocinando abſolvitur (§. 332 *Log.*). Quoniam itaque ratiocinando ſeſe exerit uſus rationis (§. 455 *Pſychol. rat.*); actus conſcientiæ non elicitur niſi uſu rationis. *Quod erat alterum.*

Hinc intelligitur, cur juvenis a nativitate ſurdus & mutus, cum caſu fortuito auditum & poſthac ſermonis uſum acquiſiviſſet, & a Theologis examinaretur, nullam de moralitate actionum notionem haberet, quemadmodum ex Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſinæ alibi retulimus (§. 461 *Pſychol. rat.*). Carebat enim uſu rationis, quamdiu ſurdus & mutus ſermonis uſu deſtituebatur, neque diſtincta de iis, quæ ſub ſenſum cadebant, judicia formabat, multo minus de iis ratiocinabatur. Fieri adeo non poterat, ut actus conſcientiæ elicerentur (§. 431).

§. 453.

Cur Bruta conſcientia careant.

Bruta conſcientia carent. Carent enim ratione (§. 762 *Pſychol. rat.*). Quamobrem cum conſcientia ſupponat rationem (§. 452), neque adeo cadat in ens ratione deſtitutum; bruta conſcientia carent.

Nimirum bruta agunt, ad quæ appetitu ſenſitivo trahuntur & affectuum impetu abripiuntur, nec ad actiones ſuas animum advertunt judicaturi, num bonæ ſint, an malæ, cognitione univerſalium, judicio & ratiocinio deſtituta (§. 760 *Pſychol. rat.*). Actus adeo conſcientiæ nullus in iiſdem elici poteſt (§. 431). Atque adeo nec conſcientioſi, nec nullius conſcientiæ dici poſſunt (§. 437).

§. 454.

Cur in infantibus non elicianitur actus conſcientiæ.

In infantibus actus conſcientiæ elici nequeunt. Infantes deſtituuntur uſu rationis (§. 459 *Pſychol. rat.*). Quoniam itaque conſcientiæ actus non elicitur niſi uſu rationis (§. 452); in infantibus actus conſcientiæ elici nequeunt.

Nimirum ſtatus infantis non differt a ſtatu hominis illius a nativitate ſurdi ac muti, ad quem modo provocavimus (*not.* §. 452). Quamobrem ſi eundem agnoſcere velimus, non alia re opus eſt, quam ut hunc meditemur relectis iis, quæ de eodem narrantur alibi (§. 461 *Pſychol. rat.*). Hinc autem facile intelligitur, quod infantes nec ſecundum conſcientiam, nec contra eandem agant. Quando autem uſus rationis ſeſe exerit, conſcientia quoque vim ſuam exerere incipit. Quæ de infantibus diximus, ea eodem modo de furioſis intelliguntur, quippe quos rationis uſu in furore deſtitui nemo ignorat.

Digitized by Google

§. 455.

Demonſtrabilitas legũ naturæ.

Leges naturæ directe demonſtrari poſſunt. Innoteſcunt enim nobis per rationem (§. 259). Quamobrem cum ex aliis propoſitionibus atque definitionibus, quæ antea nobis innotuere, colligatur, quod beneficio rationis cognoſcitur (§. 494 *Pſychol. empir.*); ex definitionibus ac propoſitionibus aliis, quæ nobis antea innotuere, colliguntur. Enimvero quæ hoc modo colliguntur, directe demonſtrantur (§. 551. 552 *Log.*). Atque adeo patet leges naturæ demonſtrari directe poſſe.

Dabimus fidem oculatam ſuo loco. Quemadmodum enim in ſuperioribus principia legum naturalium demonſtravimus, ita in ſpeciali tractatione leges quoque naturales demonſtraturi ſumus. Tumque dilucide conſtabit, leges naturales omnes indivulſo nexu inter ſe cohærere.

§. 456.

Legum naturæ cum ratione cõformitas.

Leges naturæ rationi conformes ſunt. Etenim directe demonſtrari poſſunt (§. 455). Enimvero quod directe demonſtrari poteſt, rationi conforme eſt (§. 486 *Pſychol. empir.*). Leges adeo naturæ rationi conformes ſunt.

Inde eſt, quod lex naturæ dictamen rationis appellari ſoleat. Additur equidem vulgo, quod ſit dictamen rectæ rationis; ſed per modum pleonaſmi: ratio enim non eſt, quæ recta non eſt.

§. 457.

Conformitas conſcientiæ rectæ cum ratione.

Conſcientia recta eſt rationi conformis. Si enim conſcientia recta eſt, noſtrum de actione committenda, vel omittenda judicium verum eſt (§. 419). Quamobrem cum inferatur tanquam concluſio ex lege naturali (§. 431), lex autem naturæ rationi conformis ſit (§. 456); quin judicium iſtud, conſequenter conſcientia recta (§. 417), rationi conformis ſit, dubitari nequit.

Non eſt, quod urgeas, legem naturæ veram eſſe debere, ſi quidem actus conſcientiæ rationi conformis eſſe debeat. Quæ enim pro lege naturæ habetur, non eſt, & actus conſcientiæ erroneæ, non rectæ erit, qui ſumit tanquam legem naturæ propoſitionem per errorem.

§. 458.

Unde conſtet, quinam conſcientiam rectam habeat.

Si demonſtrari poteſt noſtrum de actione omittenda, vel committenda judicium; conſcientiam rectam habemus. Etenim ſi demonſtrari poteſt noſtrum de actione omittenda vel committenda judicium, verum eſt (§. 544 *Log.*). Enimvero ſi noſtrum de actione committenda vel omittenda judicium verum eſt, conſcientia recta eſt (§. 419). Ergo ſi noſtrum de actione committenda vel omittenda judicium demonſtrari poteſt, conſcientia recta eſt.

Patet adeo, quomodo dirimi poſſit controverſia, quinam habeat conſcientiam rectam. Eſt nimirum demonſtratio medium, quo certe detegere licet, num recta ſit conſcientia: ut adeo a vero aberrent, qui ſibi aliiſque perſuadere conantur, quaſi impoſſibile ſit determinare, quinam diſſentientium recta utatur conſcientia. Equidem non nego id haud raro difficile eſſe, cum adeo facile non ſit demonſtrare, quæ affirmantur vel negantur: difficilia vero non ſunt impoſſibilia. Sane qui pro impoſſibili venditat conſcientiam rectam ab erronea diſcernere in caſu dato ſingulari; is affirmare tenetur, verum a falſo nunquam certo diſtingui poſſe. Hinc vero intelligitur, quam ſit neceſſe leges naturæ demonſtrativa methodo in ſyſtema veri nominis redigi. Alias enim legum naturalium veritatem nonniſi in obviis cognoſcere dabitur & in plurimis certo eandem agnoſcere non licebit, conſequenter nec certa

erit

erit conſcientia, ſi vel maxime fuerit recta, nec quinam diſſentientium recta fruatur conſcientia, determinari poterit. Unde intelligitur, quam ſit neceſſe ut habitum demonſtrandi ſibi comparent, qui caſus conſcientiæ definire debent ac aliorum conſcientiæ præſunt.

§. 459.

Quando conſcientia certa acquiratur.

Conſcientia certa acquiritur vi demonſtrationis. Si enim conſcientia demonſtratione nititur; judicium noſtrum de actione committenda vel omittenda nobis certum eſt (§. 568 *Log.*), conſequenter de veritate ejus convicti ſumus (§. 982 *Log.*). Enimvero certa eſt conſcientia, ſi de veritate judicii, quod de actione ferimus, fuerimus convicti (§. 420). Quamobrem conſcientia certa eſt, ſi demonſtratione nitatur.

Patet adeo, quandonam nos certam habeamus conſcientiam, & quomodo aliorum conſcientiam certam reddamus. Nimirum ſi ipſimet demonſtrare valeamus, judicium noſtrum de actione eſſe verum; conſcientia certa fruimur. Quodſi aliis idem demonſtremus, eorum conſcientiam reddimus certam. Nos igitur hoc etiam fine legum naturalium theoriam demonſtratam dare conſtituimus, ut conſcientia certa frui detur. Quantum enim interſit eadem frui, ex ſequentibus elueſcet. Equidem in Chriſtianis vim demonſtrationis ſupplet gratia; ſed ideo tamen non contemnenda natura: dantur enim multa negotia civilia tam privata, quam publica, in quibus etiam expedit certam habere conſcientiam. Neque gratia naturam tollit, ſed perficit, & fides ac ratio in iis, quæ rationi ſubſunt, connubio recte junguntur. Hæc vero, quæ Theologis diſcutienda ſunt, a Philoſopho non attingenda.

§. 460.

Modus tollendi ſcrupulos conſcientiæ.

Scrupuli conſcientiæ vi demonſtrationis tolluntur. Scrupuli enim conſcientiæ ſunt rationes in contrariam partem occurrentes, ob quas veremur, ne actio a nobis patrata, vel patranda, ſit mala (§. 421). Quamobrem ſi eos tollere volueris, neceſſe eſt, ut certus evadas, actionem a te patratam vel patrandam non eſſe malam, vel ſi in altero eos tollere volueris, ut certum reddas alterum, quod ea mala non ſit, conſequenter ut temetipſum, vel alterum convincas de veritate judicii, quod ipſemet fers, vel alter fert de actione patrata vel patranda (§. 982 *Log.*). Enimvero certa eſt conſcientia, ſi de veritate judicii, quod de actione fertur, quis fuerit convictus (§. 420). Scrupulos itaque conſcientiæ ſublaturus conſcientiam certam efficere teneris. Conſcientia certa acquiritur vi demonſtrationis (§. 459). Quamobrem & ſcrupuli conſcientiæ vi demonſtrationis tolluntur.

Apparet adeo denuo utilitas, imo neceſſitas leges naturales in ſyſtema veri nominis methodo demonſtrativa redigendi, & quantum interſit, ut habitum demonſtrandi ſibi comparent, qui non modo ſuum, verum etiam aliorum animum a ſcrupulis conſcientiæ liberare volunt. Videant itaque quantum fallantur, qui methodo demonſtrativæ in diſciplinas introducendæ tantis moliminibus adverſantur, Scepticiſmi in praxi etiam morali admodum noxii patroni.

§. 461.

Cur perſuaſione non penitus tollãtur ſcrupuli conſcientiæ.

Vi perſuaſionis non penitus tolluntur ſcrupuli conſcientiæ, ne ſcilicet poſthac redeant. Qui enim tantummodo perſuaſus eſt ſe eſſe convictum, cum non ſit, aſſenſum præbet propoſitioni nondum ſufficienter probatæ (§. 1001 *Log.*), conſequenter ſuum de actione committenda vel omittenda judicium pro vero habet, etſi ſufficienter nondum fuerit probatum. Quamobrem cum ſcrupuli conſcientiæ ſint rationes in contrariam partem occurrentes, ob quas ſcilicet verebatur, ne actio patrata, vel patranda ſit mala (§. 421);

Digitized by Google

rationes illas pro nullis non habet, niſi quamdiu ſuum de actione judicium ſufficienter probatum eſſe exiſtimat. Quoniam tamen fieri poteſt, ut agnoſcat, idem ſufficienter probatum non eſſe; rationes illæ, ob quas antea verebatur, ne mala ſit actio patrata vel patranda, denuo mentem dubiam reddunt, conſequenter ſcrupuli conſcientiæ priſtini redeunt (§. *cit.*). Patet adeo eos penitus non eſſe ſublatos, conſequenter vi perſuaſionis minime tolli.

Experientia veritatem propoſitionis præſentis confirmat, quæ abunde loquitur, vi perſuaſionis ſcrupulos conſcientiæ tantummodo deprimi ad tempus, non vero penitus tolli. Unde & difficile, imo ſæpius impoſſibile eſt eos penitus evertere, ubi tibi cum homine negotium fuerit, qui ad convincendum ineptus eſt (§. 998 *Log.*). Quodſi tamen quis noverit, quænam ad demonſtrationem requirantur; is tanto firmius perſuadebit alterum inidoneum, qui convincatur.

§. 462.

Identitas conſcientiæ antecedentis & conſequentis quando locum habeat.

Si conſcientia antecedens fuerit recta & certa; conſequens cum eadem eadem eſt. Etenim ſi conſcientia antecedens fuerit recta, judicium noſtrum de actione patranda verum eſt (§. 419), conſequenter cum impoſſibile ſit, idem ſimul eſſe verum & non verum (§. 28 *Ontol.*), ſeu falſum (§. 505 *Log.*), idem in ſe immutabile (§. 291 *Ontol.*). Jam qui certam habet conſcientiam, de veritate judicii ſui convictus eſt (§. 420), conſequenter judicium ipſi certum eſt (§. 982 *Log.*), adeoque veritatem ejus agnoſcit (§. 564 *Log.*). Ejus igitur recordatus ſenſum certitudinis habet (§. 109 *Pſychol. empir.*). Quamobrem fieri nec poteſt, ut ſuum de actione patrata judicium mutet. Quoniam itaque de actione patrata judicium idem eſt, quod fuerat de patranda, judicium vero de patranda fertur a conſcientia antecedente, de patrata a conſequente (§. 422); conſcientia conſequens cum antecedente eadem eſt, ſi antecedens recta & certa fuerit.

Neque a poſteriori, neque a priori fieri poteſt, ut judicium verum, cujus certi ſumus, mutemus. Etenim ob immutabilitatem veritatis experientia falſum probare nequit, quod ratio verum agnovit, ita ut eventus nos doceat contrarium ejus, quod non prævideramus, cum de actione patranda ſtatueremus. Quod vero demonſtratum fuit, antequam actionem ederemus; idem eodem modo adhuc demonſtratur, ubi actio fuit patrata. Atque adeo judicium, de cujus veritate certi ſumus, ſemper ſubſiſtit. Et, ſi vel maxime demonſtrationis obliviſcaris, ſenſus tamen certitudinis remanet, quemadmodum ſatis experiuntur, quibus cum demonſtrationibus negotium eſt.

§. 463.

Excuſatio conſcientiæ quid ſit.

Quando *Conſcientiam* conſequentem cum antecedente eandem experimur, *nos excuſare* dicitur, ut adeo *Excuſatio conſcientiæ* ſit identitas conſcientiæ antecedentis & conſequentis.

Variæ uſu receptæ ſunt de conſcientia locutiones, quas diſtincte explicare Philoſophi eſt, præſertim cum non deſint, qui eas in præjudicium veritatis non ſine damno in philoſophia morali pro terminis inanibus habent. Inter eas primo loco occurrit excuſatio conſcientiæ, quæ quid ſibi velit, ex præſente definitione abunde intelligitur.

§. 464.

Quando nos excuſet.

Si ſecundum conſcientiam rectam atque certam agimus; conſcientia nos excuſat. Etenim ſi ſecundum conſcientiam rectam atque certam agimus, conſequens

ſequens eadem eſt cum antecedente (§. 462). Enimvero quando conſcientia conſequens cum antecedente eadem eſt, nos excuſat (§. 463). Quamobrem conſcientia nos excuſat, ſi ſecundum conſcientiam rectam atque certam agimus.

Excuſationi conſcientiæ inprimis locus eſt, ubi actiones noſtræ ab aliis reprehenduntur, vel ob recte facta aliorum odium experimur. Etenim reprehenſio ac odium aliorum attentionem noſtram ad actiones præteritas excitat & ut eas examini ſubjiciamus inſtigat. Quodſi adeo facto examine deprehendimus, nos adhuc in ea eſſe ſententia, actionem, quam commiſimus, fuiſſe committendam, & quam omiſimus, fuiſſe omittendam, ita ut aliter agere non poſſemus, ſi nunc demum agendi occaſio offerretur; tunc conſcientia nos excuſat. Excuſationis hujus effectus eſt, ut aliorum injuſtam reprehenſionem & odium non promeritum nil moremur.

§. 465.

Quando omnium maxime excuſet.

Si actione perpetrata demonſtrare valemus, actionem, quam commiſimus, fuiſſe committendam, quam vero omiſimus, omittendam; conſcientia nos omnium maxime excuſat. Etenim ſi demonſtrare valemus, actionem, quam commiſimus, fuiſſe committendam, quam vero omiſimus, omittendam; conſcientia conſequens non modo cum antecedente conſentit (neque enim actionem committere potuiſſemus, niſi eam committendam, nec omittere, niſi eam omittendam judicaſſemus) verum etiam recta atque certa eſt (§. 458. 459), conſequenter convicti ſumus, nos in dijudicanda actione a vero minime aberraſſe, adeoque recte feciſſe, quod actionem commiſerimus, quam commiſimus, & omiſerimus, quam omiſimus (§. 982 *Log.*). Major adeo identitas conſcientiæ antecedentis & conſequentis eſſe nequit. Quoniam itaque conſcientia nos excuſat, ſi conſequens cum antecedente eadem (§. 463); omnium maxime nos excuſat, ſi actione perpetrata demonſtrare valemus, actionem, quam commiſimus, fuiſſe committendam, quam vero omiſimus, omittendam.

Nimirum demonſtratio animum liberat ab omni dubitatione & ſecurum præſtat de non mutando in poſterum judicio. Qui adeo judicium ſuum de actione perpetrata demonſtrare valet, tam firmo ac immoto idem amplectitur aſſenſu, quo firmior ac magis immotus alius dari nequit. Unde liquet fieri haud quaquam poſſe, ut conſcientia te magis excuſet.

§. 466.

Qualis excuſatio conſcientiæ in probabilibus.

Si conſcientia antecedens fuerit probabilis, nec certa obtineri potuerit, actione autem perpetrata innoteſcat, quod fuerit erronea, adhuc tamen conſtet, quod in neceſſitate agendi conſtituti, ſecuti fuerimus partem probabiliorem; conſcientia adhuc nos excuſat in tantum, quantum infirmitas humana admittit. Etenim etſi perpetrata actione conſtet, quod falſum fuerit de actione patranda judicium, quoniam tamen nobis impoſſibile fuit ad veritatem liquidam pertingere & actione perpetrata per ea, quæ nobis, antequam patraretur, innotuere, adhuc judicamus, quod probabilius fuerit noſtrum de actione patranda judicium, quam eidem oppoſitum: conſcientia conſequens eadem eſt cum antecedente, quatenus de probabilitate antecedentis quæſtio eſt. Quamobrem cum conſcientia noſtra nos excuſet, ſi conſequens cum

antece-

Digitized by Google

anteccedente eadem (§. 463); adhuc nos excuſat. Enimvero infirmitati naturali tribuendum, quod in neceſſitate agendi conſtituti eligere tenebamur, quod videbatur probabilius (§. 370). Conſcientia igitur nos excuſat, in quantum infirmitas humana admittit.

Nimirum impoſſibile eſt, ut quod videtur probabilius, ſemper ſit verum. Quamobrem nec fieri poteſt, ut ſecundum conſcientiam probabilem agens nunquam contra naturæ legem agat. Quamvis itaque peccatum committat (§. 440), excuſatius tamen peccat, in quantum ſcilicet infirmitas humana excuſat. Non tamen hinc ſequitur, conſcientiam intemeratam ſervaturum in probabili acquieſcere poſſe, nec opus eſſe ut de certa multum ſit ſollicitus: etenim ſi certam conſcientiam conſequi potuerit, infirmitati humanæ tribui amplius nequit, quod contra legem fecerit, conſequenter nec excuſabit eum amplius conſcientia.

§. 467.

Acquieſcentia in ſeipſo excuſationis cõſcientiæ comes.

Cum excuſatione conſcientiæ conjungitur acquieſcentia in ſeipſo, ſeu in ſeipſo is acquieſcit, quem conſcientia excuſat. Etenim ſi conſcientia noſtra nos excuſat, conſcientia conſequens eadem cum antecedente (§. 463), adeoque actionem, quam commiſimus, nobis repræſentamus tanquam bonam, & bonum exiſtimamus, quod omiſerimus actionem, quam omittendam judicaveramus. Enimvero ſi facta noſtra nobis repræſentamus tanquam bona, nec ultra judicium hoc quicquam præterea attenditur, quemadmodum in caſu præſente obtinet; acquieſcentia in ſeipſo oritur (§. 751 *Pſychol. empir.*). Quando igitur conſcientia noſtra nos excuſat, acquieſcentia in nobis ipſis oritur, conſequenter acquieſcentia in ſeipſo cum excuſatione conſcientiæ conjungitur.

§. 468.

Effectus excuſationis cõſcientiæ.

Quoniam acquieſcentia in ſeipſo affectus jucundiſſimus eſt (§. 753 *Pſychol. empir.*), affectus vero jucundiſſimus ſumma voluptate perfundit animum (§. 608 *Pſychol. empir.*); *excuſatio conſcientiæ*, affectum iſtum pariens (§. 467), *ſumma voluptate animum perfundit*.

Quodſi ergo ſola acquieſcentia in ſeipſo cum excuſatione conſcientiæ conjungeretur, hoc unum ſufficeret ad eam curam commendandam, quam adhibere tenemur, ut recta atque certa utamur conſcientia in agendo (§. 464). Ad illam igitur animum advertant, quibus opus eſt motivo conſcientiam rectam & certam acquirendi.

§. 469.

Quando excuſatio conſcientiæ tædium tollat.

Excuſatio conſcientiæ tædium ex aliorum cenſuris iniquis & vexis perceptum tollit, aut ſaltem imminuit. Etenim ſi conſcientia nos excuſat, maxima voluptate animus perfunditur (§. 468). Quamobrem cum tædium & voluptas ſimul animum occupare nequeant, utpote ex cauſis contrariis orta (§. 511. 518 *Pſychol. empir.*); ubi animum ad excuſationem conſcientiæ advertimus, tædium ex cenſuris iniquis & vexis perceptum tollit. Quodſi vero eum ab his non prorſus avocare & in illa defixum retinere valeamus; minus tamen tædii percipitur, utpote voluptate iſta continuo interrupti. Excuſatio itaque conſcientiæ tædium ex aliorum cenſuris iniquis & vexis perceptum tollit, aut ſaltem imminuit.

Atque

Atque hinc eſt, quod conſcientia nos conſolari dicatur, dum acquieſcentiam in nobiſmetipſis parit, quam ſolamen conſcientiæ in eo caſu vocari, quo aliorum cenſuris iniquis ac vexis expoſiti ſumus, alias jam monuimus (*not.* §. 750 *Pſychol. empir.*). Nimirum etſi moleſtæ ſint cenſuræ ac vexæ; facta tamen noſtra ad trutinam examinantes, ubi nihil deprehendimus, quod jure in iis reprehendi poſſit, nullam adeſſe rationem agnoſcimus, cur illas moremur. Ob bene facta autem dum gaudemus, aut ſaltem ex iis voluptatem percipimus (§. 750 *Pſychol. empir.*); animus redditur tranquillus, qui antea perturbabatur.

§. 470.

Quando affectus gloriæ jungatur excuſationi cōſcientiæ.

Si, dum conſcientia nos excuſat, a nobis facta ad aliorum opinionem referimus; affectus gloriæ excuſationi conſcientiæ jungitur. Etenim ſi conſcientia nos excuſat, conſcientia conſequens cum antecedente eadem (§. 463), adeoque quam bonam & committendam judicaveramus actionem, antequam ederetur, eam quoque bonam eſſe & a nobis recte commiſſam fuiſſe, ubi edita fuit, judicamus: & ſimiliter quam malam & omittendam judicaveramus actionem, cum ejus patrandæ occaſio ſeſe offerret, eam quoque malam & recte a nobis omiſſam judicamus, ubi agendi occaſio præterlapſa (§. 422). Quamobrem ſi ad aliorum recte ſentientium opinionem facta hæc noſtra referimus; benignum nobis de iis judicium promittimus, ſcilicet quod, quæ fecimus, recte fecerimus (§. 765 *Pſychol. empir.*). Enimvero ſi quis ea, quæ fecit, ab aliis bona ſeu recte facta exiſtimari opinatur; affectus gloriæ oritur (§. 769 *Pſychol. empir.*). Affectus adeo gloriæ jungitur excuſationi conſcientiæ, ubi conſcientia nos excuſante a nobis facta ad aliorum opinionem referimus.

§. 471.

Quando gaudium augeat conſcientiæ excuſatio.

Si conſcientia nos excuſante facta noſtra ad aliorum opinionem referimus; gaudium, quo animus perfunditur, augetur. Etenim ſi conſcientia nos excuſat, acquieſcentia in nobiſmetipſis oritur (§. 467), &, ubi facta noſtra ad aliorum opinionem referimus, gloriæ affectus ſuſcitatur (§. 470). Enimvero & acquieſcentia in ſeipſo (§. 749 *Pſychol. empir.*), & gloria gaudium quoddam eſt (§. 765 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum conſcientia nos excuſante facta noſtra ad aliorum opinionem referimus, duplex naſcitur gaudium, conſequenter gaudium, quo excuſatio conſcientiæ animum perfundit, augetur.

Hoc gaudium quoque referendum eſt ad ſolamen conſcientiæ, de quo paulo ante diximus (*not.* §. 469). Ceterum quæ de ſolamine conſcientiæ ab excuſatione ejuſdem profecto annotavimus; ea propria experientia edocti ſumus, cui conſentanea deprehendimus, quæ demonſtravimus de effectu conſcientiæ nos excuſantis in caſu iniquarum cenſurarum & vexarum. Quos conſcientia excuſans conſolatur, ii non modo ad excuſationem ejus, verum etiam ad aliorum a partium ſtudio remotorum judicia provocant, manifeſto indicio, quod ſolamen tum ab acquieſcentia in ſeipſo (§. 467), tum ab affectu gloriæ pendeat (§. 470).

§. 472.

Accuſatio conſcientiæ quid ſit.

Si conſcientia conſequens fuerit contraria antecedenti, ita ut, quam bonam & ideo committendam judicaveramus actionem, nunc malam & omittendam fuiſſe judicemus, & quam malam ac ideo omittendam judicaveramus, eam nunc bonam & committendam fuiſſe judicemus; *conſcientia*

nos

nos accuſare dicitur. *Accuſatio* itaque *conſcientiæ* eſt diverſitas conſcientiæ antecedentis & conſequentis.

Opponitur accuſatio conſcientiæ excuſationi: unde non inconſultum eſt, ut illam cum hac conferas.

§. 473.

Quinam ab accuſatione conſcientiæ liberi.

Qui ſecundum conſcientiam rectam & certam agit, eum conſcientia non accuſat. Etenim qui ſecundum conſcientiam rectam & certam agit, eum conſcientia excuſat (§. 464), conſequenter eadem eſt conſcientia antecedens & conſequens (§. 463). Quoniam itaque impoſſibile eſt, ut conſcientia antecedens, & conſequens ſit diverſa (§. 28 *Ontol.*), accuſatio autem conſcientiæ in diverſitate conſcientiæ antecedentis & conſequentis conſiſtit (§. 472); qui ſecundum conſcientiam rectam & certam agunt, eos conſcientia non accuſat.

Patet adeo, quodnam ſit medium tuendi conſcientiam adverſus accuſationes ejuſdem; nimirum curare ut conſcientia ſit recta atque certa, ac omni cura ac ſollicitudine animi diſpicere, ne unquam agas niſi ſecundum conſcientiam rectam ac certam.

§. 474.

Quibus accuſatio conſcientiæ metuenda & quoſnam accuſet.

Si qui ſecundum conſcientiam erroneam agunt, accuſatio conſcientiæ metuenda eſt: accuſat autem, ſi experiuntur mala ex actione neceſſario conſequentia. Etenim qui ſecundum conſcientiam erroneam agit, ejus de actione judicium tam theoreticum, quam practicum falſum eſt (§. 419). Quoniam itaque fieri poteſt, ut poſthac actione jam perpetrata errorem agnoſcat, & verum de actione perpetrata judicium ferat; conſcientia conſequens erit ab antecedente diverſa (§. 422). Quamobrem cum accuſatio conſcientiæ in diverſitate antecedentis & conſequentis conſiſtat (§. 472); fieri utique poteſt, ut, qui ſecundum conſcientiam erroneam agit, ab eadem accuſetur. Metuendum eſt malum, quod eventu poſſibile (§. 822 *Pſychol. empir.*). Accuſatio itaque conſcientiæ metuenda, ſi quis ſecundum conſcientiam erroneam agit. *Quod erat primum.*

Quoniam vero ratio aliqua adeſſe debet, cur error corrigatur, & ad inquirendum accuratius in moralitatem actionis perpetratæ excitemur (§. 70 *Ontol.*); conſcientia ideo neminem actu accuſat, quod ſecundum erroneam egit. Si quis itaque experitur mala ex actione aliqua neceſſario conſequentia; eam intrinſece malam eſſe agnoſcit (§. 106 *Philoſ. pract. univ.* & §. 565 *Pſychol. empir.*). Cum itaque jam diverſum ſit de actione perpetrata judicium, conſcientia eum actu accuſabit (§. 472). Atque adeo patet, conſcientiam accuſare eum, qui ſecundum conſcientiam erroneam agit, ubi experitur mala ex actione neceſſario conſequentia. *Quod erat alterum.*

Probe notandum eſt, inter ea, quæ ex actione aliqua neceſſario conſequuntur, non modo referenda eſſe, quæ ex ea in ſe ſpectata, verum etiam, quæ ex eadem ſub datis circumſtantiis conſequuntur. Ita ex illicito coitu non ſemper generatur proles; generatur tamen, ſi omnia ad generationem neceſſaria ponantur. Unde ſi cui fœtus ex eo genitus moleſtias creat; generatio ejus recte habetur pro malo, quod ex actione neceſſario conſequitur, & eam in dato caſu intrinſece malam efficit. Sub iis enim circumſtantiis, quibus poſitis coitus illicitus celebratus, non minus neceſſarium fuit, generari prolem, quam neceſſarium eſſe intelli-

Digitized by Google

intelligitur, quod ignis urat. Eadem enim utrobique adeſt neceſſitas, quæ phyſica appellari ſolet, & quæ in dependentia effectus a cauſis phyſicis deprehenditur. Ceterum alii adhuc dantur caſus, in quibus conſcientia eum actu accuſat, qui ſecundum erroneam agit. Quo fine addimus propoſitionem ſequentem.

§. 475.

Quando conſcientia agentem ſecundum erroneã accuſet.

Si quacunque de cauſa contingat eum, qui ſecundum conſcientiam erroneam egit, errorem ſuum agnoſcere; conſcientia eum actu accuſabit. Etenim ſi qui ſecundum conſcientiam erroneam egit, errorem ſuum agnoſcit; is jam affirmat, quod antea negaverat, & negat, quod antea affirmaverat (§. 624 *Log.*), nimirum quam committendam eſſe affirmaverat, actionem committendam fuiſſe negat, & quam malam eſſe negaverat, malam eſſe affirmat. Diverſum adeo eſt de actione perpetrata judicium ab eo, quod antea de perpetranda tulerat (§. 183 *Ontol.*), conſequenter conſcientia conſequens ab antecedente diverſa (§. 422). Quamobrem cum conſcientia nos accuſet, ſi conſequens ab antecedente fuerit diverſa (§. 472); conſcientia actu accuſabit eum, qui conſcientia erronea egit, ubi quacunque de cauſa contingit, eum errorem ſuum agnoſcere.

Noſtrum in præſenti non eſt inquirere in cauſas, quæ ſecundum conſcientiam erroneam agentem ad agnitionem erroris ſui perducunt. Sunt enim complures, quas ipſa experientia ſuggerit, quoties iiſdem locus eſt. Qui conſcientiæ rationem habent, iis ſolenne eſt, ut in actionum moralitatem inquirant, etiam ubi eas jam perpetrarunt, tum ut excuſationis conſcientiæ fructus percipiant (§. 467 & *ſeqq.*), tum ne incauti male agendi conſuetudinem contrahant. Sæpe contingit, ut ab aliis admoniti erroris a nobis admiſſi eundem agnoſcamus, vel ut ſcripta moralia legentes, aut verba de moralibus cum aliis miſcentes in erroris agnitionem adducamur. Nec infrequens eſt, ut, ſi cui adverſa multa obtingunt, iiſdem is excitetur ad actiones præteritas examinandas: quo facto errorem in iis dijudicandis admiſſum detegit. Vides itaque prolixam fore tractationem, ſi cauſas omnes recenſere vellemus, quæ ſecundum conſcientiam erroneam agentem ad agnitionem erroris perducere valent.

§. 476.

Quando conſcientia dubia agentem accuſet conſcientia.

Si conſcientiam dubiam erroneam eſſe contingit & conſcientia dubia agens poſthac quacunque de cauſa errorem ſuum agnoſcit; conſcientia eum accuſat. Etenim ſi conſcientia dubia fuerit erronea; qui eadem agit, ſecundum conſcientiam erroneam agit. Enimvero ſi quacunque de cauſa contingat eum, qui ſecundum conſcientiam erroneam egit, errorem ſuum agnoſcere; conſcientia eum actu accuſat (§. 475). Ergo ſi conſcientiam dubiam erroneam eſſe contingit & dubia agens conſcientia poſthac quacunque de cauſa errorem ſuum agnoſcit, conſcientia eum actu accuſat.

§. 477.

Quando periculo conſcientiæ accuſationis exponamur.

Quoniam conſcientia dubia agens ignorat, utrum recta ſit, an erronea (§. 420 *Phil. pract. univ.* & §. 417 *part. II. Theol. nat.*), conſcientia vero dubia agens accuſationi conſcientiæ obnoxius eſt, ſi eam erroneam eſſe contingit (§. 476); *qui conſcientia dubia agit, periculo accuſationis conſcientiæ ſeſe exponit.*

Atque adeo patet, qui conſcientiæ accuſationem averſatur, eum conſcientia dubia nil agere debere. Mox autem conſtabit, cur, qui ſapit, accuſationem conſcientiæ averſari debeat.

Digitized by Google

debeat. Imo ſi quis norit, quid accuſatio conſcientiæ poſt ſe trahat; is eam non poterit non averſari.

§. 478.

Quando conſcientia accuſet ſecundum probabilem agentem.

Si conſcientiam minus probabilem erroneam eſſe contingit, & ſecundum eam agens poſthac quacunque de cauſa errorem ſuum agnoſcit; conſcientia eum accuſat. Etenim ſi conſcientia probabilis fuerit erronea, qui ſecundum eam agit, ſecundum conſcientiam erroneam agit. Et ubi minus probabilem fuerit ſecutus, nec eum excuſabit conſcientia, in quantum infirmitas humana admittit (§. 466). Quoniam itaque conſcientia eum actu accuſat, qui ſecundum erroneam agit, ubi poſthac quacunque de cauſa errorem ſuum agnoſcit (§. 475), nec ulla in præſente caſu adeſt ratio, cur vel in tantum excuſet, in quantum excuſationem admittit infirmitas humana *per demonſtrata*; ſi conſcientia minus probabilis erronea fuerit, & ſecundum eam agens poſthac quacunque de cauſa errorem ſuum agnoſcit, conſcientia eum actu accuſabit.

Quæ paulo ante annotavimus de diverſis cauſis, ob quas quis errorem ſuum agnoſcere & accuſationem conſcientiæ incurrere poteſt, quia ſecundum erroneam egit (§. 474 & not. §. 475); ea quoque de conſcientia dubia & minus probabili tenenda ſunt.

§. 479.

Periculū aliud accuſationis conſcientiæ.

Quoniam ſecundum conſcientiam minus probabilem agens, ignorat, utrum recta ſit, an erronea (§. 420 *Philoſ. pract. univ.* & §. 591 *Log.*), ſecundum conſcientiam vero minus probabilem agens accuſationi conſcientiæ obnoxius eſt (§. 478); *qui ſecundum conſcientiam minus probabilem agit, periculo accuſationis conſcientiæ ſeſe exponit.*

Hinc intelligitur, ſi in neceſſitate agendi conſtituti ſecundum conſcientiam probabilem agere tenemur, cur probabilior præferenda ſit minus probabili, ubi accuſationem conſcientiæ averſamur.

§. 480.

Quando conſcientia omniū maxime accuſet.

Conſcientia hominem omnium maxime accuſat, ſi contra conſcientiam practice practicam inprimis completam egit. Etenim contra conſcientiam non modo theoreticam, verum etiam practice practicam eamque completam agimus, ſi conſcientia fuerit ſerva (§. 435). Enimvero conſcientia theoretica docet actionem eſſe malam ſeu lege præſertim naturæ prohibitam (§. 423. 431), practice autem practica eaque completa inculcat, actionem eſſe omittendam, ſpectatis licet omnibus circumſtantiis ſingularibus (§. 424. 425): vel in caſu oppoſito illa docet, actionem eſſe bonam ſeu lege præſertim naturæ juſſam, hæc vero, actionem non eſſe omittendam ſpectatis licet omnibus circumſtantiis ſingularibus. Aſt ubi ſerva fuerit conſcientia, agens appetitu ſenſitivo vel averſatione ſenſitiva in contrariam partem ſe trahi, vel affectuum impetu in eandem ſe abripi patitur (§. 426). Quodſi ergo experitur mala ex actione neceſſario conſequentia, vel tantum prævidet, adeoque conſcientia eum accuſat (§. 474); nulla prorſus adeſt ratio, quam in excuſationem ſui prætexere queat. Patet itaque, quod conſcientia hominem

Digitized by Google

minem omnium maxime accuſet, ſi ſecundum conſcientiam practice practicam, inprimis completam egit.

Quando conſcientia homines accuſat, cum accuſationem moleſtam experiantur, quemadmodum mox oſtenſuri ſumus; qui accuſatur omnes conquirit rationes, quibus factum ſuum quomodocunque excuſet. Obtinet hoc, quod nemo neſcit, in omni alio caſu, quo quis ob male facta reprehenditur, vel male facta ſibi exprobrari ab aliis, aut ab iiſdem improbari experitur. Non igitur erit, qui in dubium revocet, accuſationem conſcientiæ eſſe omnium maximam, ubi nihil prorſus apparet, quod in excuſationem facti prætexere valemus.

§. 481.

Quando homo ab accuſatione conſcientiæ omnium maxime liber ſit.

Ab accuſatione conſcientiæ omnium maxime liber eſt, qui agit ſecundum conſcientiam rectam, certam & liberam. Qui enim agit ſecundum conſcientiam rectam & certam, eum conſcientia excuſat (§. 464). Quodſi ergo hæc fuerit libera, nihil dat appetitui ſenſitivo vel averſationi ſenſitivæ atque affectibus (§. 426), conſequenter ſe permoveri non patitur ad agendum iis rationibus, quibus in partem legi contrariam traheretur, niſi ex accidente in eandem conſpirarent. Quamobrem ſi ob recte facta experitur adverſa; cum nil habeat, quod ſibi exprobret, fieri quoque nullo modo poteſt, ut mentem ſubeat cogitatio, quaſi melius feciſſet, ſi a facto abſtinuiſſet. Quoniam itaque nulla adeſt ratio, quæ judicium de actione patranda vel minimum ſuſpectum reddat, ubi perpetrata fuit; evidens eſt, quod ab accuſatione conſcientiæ omnium maxime liber ſit, qui ſecundum conſcientiam rectam, certam & liberam agit (§. 472).

Hinc intelligitur, quanta cura conveniat iis, qui conſcientiæ ſuæ rationem habere volunt, ut eadem libera fruantur. Equidem non nego, problema difficillimum eſſe in philoſophia morali, quomodo conſcientiam liberam acquirere valeamus, eamque rariſſimam eſſe avem in his terris: non tamen impoſſibile ſtatim pronunciandum, quod difficillimum experimur. Sed ea de re diſpiciemus ſuo loco, quando de emendanda voluntate acturi ſumus. Hic nobis ſufficit, veritatem propoſitionis præſentis agnoſci.

§. 482.

Pœnitentia accuſationis conſcientiæ comes.

Cum accuſatione conſcientiæ conjungitur pœnitentia, ſeu eum facti pœnitet, quem conſcientia accuſat. Etenim ſi quem conſcientia accuſat, conſcientia conſequens ab antecedente diverſa eſt (§. 472), adeoque actionem, quam commiſit, ſibi repræſentat tanquam malam, & male factum exiſtimat, quod omiſerit actionem, quam omittendam eſſe judicaverat. Enimvero ſi ea, quæ fecimus, nobis repræſentamus tanquam male, aut minus recte facta, pœnitentia oritur (§. 759 *Pſychol. empir.*). Ergo eum, quem conſcientia accuſat, facti pœnitet, adeoque cum accuſatione conſcientiæ pœnitentia conjungitur.

Accuſatio conſcientiæ opponitur excuſationi ejuſdem (§. 463. 472). Pœnitentia opponitur acquieſcentiæ in ſeipſo (§. 749. 759 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum excuſatio conſcientiæ pariat acquieſcentiam in ſeipſo (§. 467); non mirum, quod accuſatio conſcientiæ pœnitentiam pariat.

§. 483.

Effectus accuſationis

Quoniam pœnitentia affectus moleſtiſſimus eſt (§. 758 *Pſychol. empir.*), affectus vero moleſtiſſimus ſummo tædio animum afficit (§. 609 *Pſycol. empir.*);

conſcientiæ.

pir.); *accuſatio conſcientiæ*, quæ indivulſam comitem habet pœnitentiam (§. 482), *ſummo tædio animum afficit*.

Quodſi ergo ſola pœnitentia cum accuſatione conſcientiæ conjungeretur, hoc unum ſufficeret ad eam curam commendandam, quam adhibere tenemur, ne ſecundum conſcientiam erroneam, dubiam & minus probabilem agamus (§. 475 & *ſeqq.*). Ad illam igitur animum advertat, qui motivo opus habet, ut conſcientiam erroneam, dubiam & minus probabilem averſetur, & rectæ ac certæ acquirendæ ſtudeat.

§. 484.

Effectus contrarii excuſationis & accuſationis cōſcientiæ.

Excuſatio conſcientiæ animum quietum reddit; accuſatio inquietum. Etenim excuſatio conſcientiæ acquieſcentiam in ſeipſo parit (§. 467); pœnitentiam vero parit accuſatio (§. 482). Enimvero acquieſcentiam in ſeipſo animum quietum (§. 764 *Pſychol. empir.*), pœnitentia inquietum reddit (§. 762 *Pſychol. empir.*). Reddit adeo animum quietum excuſatio, inquietum accuſatio conſcientiæ.

Inſignis fructus eſt cuſtodiæ conſcientiæ, quod animo fruamur quieto, dum aliorum iniquis cenſuris & vexis expoſiti ſumus. Quemadmodum ex adverſo miſeriam auget accuſatio conſcientiæ, ubi aliorum juſtam reprehenſionem incurrimus & male factis pœnam damus, quando animum inquietum experimur. Atque hæc denuo cuſtodiæ conſcientiæ motiva ſunt.

§. 485.

Quando pudor accuſationem conſcientiæ comitetur.

Si, dum conſcientia nos accuſat, a nobis facta ad aliorum opinionem referimus; pudor accuſationi conſcientiæ jungitur. Etenim ſi conſcientia nos accuſat, conſcientia conſequens ab antecedente diverſa (§. 472), adeoque quam malam & omittendam judicaveramus actionem, antequam omitteretur, nunc bonam & male omiſſam judicamus, & ſimiliter quam antea bonam & committendam judicaveramus actionem, nunc malam & male a nobis commiſſam judicamus. Quodſi ergo a nobis facta ad aliorum opinionem referimus, cum pudor oriatur, ſi mala, quæ fecimus vel nobis ſunt, aliis innoteſcere ac ab iis agnoſci nobis repræſentemus (§. 779 *Pſychol. empir.*); quin pudor oriatur, dubitari nequit. Patet itaque, accuſationi conſcientiæ jungi pudorem, ſi accuſante conſcientia a nobis facta ad aliorum opinionem referimus.

Quæ paulo ante (*not.* §. 482) de pœnitentia cum accuſatione conſcientiæ conjungenda annotavimus, mutatis mutandis hic etiam locum habent.

§. 486.

Quando triſtitiā augeat accuſatio conſcientiæ.

Si conſcientia nos accuſante facta noſtra ad aliorum opinionem referimus; triſtitia, qua afficitur animus, augetur. Etenim ſi conſcientia nos accuſat, pœnitentia oritur (§. 482), & ubi facta ad aliorum opinionem referuntur, pudor excitatur (§. 485). Enimvero & pœnitentia (§. 755 *Pſychol. empir.*), & pudor triſtitiæ quædam ſpecies eſt (§. 774 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum conſcientia nos accuſante facta noſtra ad aliorum opinionem referimus, triſtitia, qua afficitur animus, augetur.

Hac triſtitia plurimum angitur animus, ubi juſtam aliorum reprehenſionem incurrimus, vel pœnas promeritas ſubimus, aut malis affligimur, in quæ nos præcipites dedimus.

§. 487.

§. 487.

Vulgi de conſcientia opinio.

Qui ad moleſtias animi ex accuſatione conſcientiæ animum advertunt, nec quomodo per naturam animæ oriantur intelligunt; conſcientiam fingunt inſtar entis, quod ob male facta hominem damnat & animum ejus excruciat. Quale vero ſit illud ens, nec ipſimet agnoſcunt, nec aliis explicare valent.

Non deſunt, qui ad hanc vulgi notionem obſcuram attendentes, ideo conſcientiam pro termino inani habent, quod ſibi imaginari nequeant eos ab anima diverſum, quod in ea quaſi reſidet & judicis officio fungitur de factis hominis cognoſcens, ſententiam ferens & moleſtia varia excrucians puniendo. Enimvero qui ad hactenus demonſtrata animum advertit, facile perſpiciet, quid notioni huic imaginariæ ſubſit veri, quid vero ficti, nec in præjudicium veritatis conſcientiam nullam eſſe pronuntiabit.

§. 488.

Morſus conſcientiæ quinam dicantur.

Morſus conſcientiæ dicuntur tædia cum affectibus moleſtis, quæ conſcientiam conſequentem accuſantem comitantur. Quoniam conſcientia, accuſans hominem, ſummo cum tædio afficit (§. 483) animumque ejus inquietum reddit (§. 484); quin *Morſus conſcientiæ dentur* dubitari nequit.

Qui ex vocabulis non vero notionibus ratiocinari ſolent & imaginariam, quæ vulgo eſt (§. 487), conſcientiæ notionem habent; morſus conſcientiæ rident & inter figmenta referunt. Enimvero cum firma demonſtratione nitatur eorum exiſtentia, æque abſurdum eſt eos in dubium revocare, ac quamlibet veritatem ab *Euclide* demonſtratam negare velle. Quæ de morſibus conſcientiæ dicuntur, ſatis vera ſunt, modo notioni nihil imaginarii admiſceatur: id quod in vulgo imperito aciis, qui in iis, quæ ad animam pertinent, non altius vulgo ſapiunt, tolerandum, in philoſopho autem minime ferendum, cujus eſt diſtincte explicare quæ inſunt animæ per ipſam animæ naturam. Unde liquet, quam neceſſarium ſit Pſychologiæ, præſertim empiricæ, ſtudium, philoſophiæ morali, imo univerſæ philoſophiæ practicæ præmittendum, niſi ubivis in rebus maximi momenti cæcutire volueris. Satis id videre eſt ex anterioribus; magis autem adhuc eluceſcet, ubi integram philoſophiam practicam dederimus demonſtratam. Ceterum ut morſus conſcientiæ intimius perſpiciantur, operæ pretium eſſe exiſtimo, ut demonſtretur, quinam in caſibus particularibus accuſationi conſcientiæ jungantur affectus moleſti, morſuum conſcientiæ magnitudinem augentes.

§. 489.

Quando accuſationi conſcientiæ ſuperaccedat metus.

Si malum, ex actione perpetrata conſecuturum, nobis tanquam eventu poſſibile repræſentamus; accuſationi conſcientiæ jungitur metus. Etenim ſi agnoſcimus ex actione perpetrata conſequi poſſe aliquod malum, eam nobis repræſentamus tanquam malam (§. 565 *Pſychol. empir.*). Quam igitur bonam judicaveramus actionem, antequam perpetraretur, eam nunc malam eſſe agnoſcimus, conſequenter conſcientia conſequens diverſa ab antecedente (§. 422), adeoque nos accuſat (§. 472). Quodſi vero malum iſtud nobis repræſentamus tanquam eventu poſſibile, metus animum occupat (§. 822 *Pſychol. empir.*). Patet itaque metum accuſationi conſcientiæ jungi, ſi malum, ex actione perpetrata conſecuturum, nobis tanquam eventu poſſibile repræſentamus.

Metus plerumque vexat eos, qui propter conſcientiam ſervam contra conſcientiam agunt (§. 435). Unde a perpetrata actione facti ſtatim pœnitet; etſi memoria pœnitentiæ non ſufficiat ſupprimendis affectibus, ubi occaſio actionem iterandi offertur.

§. 490.

§. 490.

Deſperatio quando accuſationi conſcientiæ jungatur.

Si malum ex actione perpetrata conſecuturum nobis tanquam inevitabile, imo ſimul tanquam intolerabile nobis repræſentamus; accuſationi conſcientiæ accedit deſperatio. Quod in hypotheſi propoſitionis præſentis conſcientia hominem accuſet, eodem modo patet, quo idem in præcedente oſtendimus. Quoniam vero deſperatio oritur, ſi nobis malum repræſentemus tanquam inevitabile, inprimis ubi idem ſimul nobis repræſentamus tanquam intolerabile (§. 825 *Pſychol. empir.*); evidens eſt in hoc caſu accuſationi conſcientiæ jungi deſperationem.

§. 491.

Quando ira ſuperaccedat.

Si conſcientia nos accuſante meminimus, quod aliorum perſuaſionibus vel exemplo inducti fecerimus, quod faciendum non fuerat; accuſationi conſcientiæ ira ſuperaccedit. Etenim ſi conſcientia nos accuſante meminimus, quod aliorum perſuaſionibus vel exemplo inducti fecerimus, quod faciendum non fuerat; id nobis repræſentamus tanquam malum ex facto alterius nobis emergens, imo etiam mala, quæ ex facto conſecutura prævidemus, vel conſecuta experimur, tanquam ex facto alterius nobis emergentia conſideramus, quemadmodum vel experientia abunde docet. Enimvero ex opinione mali ex facto alterius nobis emergentis ira oritur (§. 868 *Pſychol. empir.*). Quamobrem in hypotheſi propoſitionis præſentis accuſationi conſcientiæ ira ſuperaccedit.

Iræ permiſcentur varii affectus moleſti, veluti pœnitentia (§. 864 *Pſychol. empir.*), terror & metus (§. 865 *Pſychol. empir.*), itemque deſperatio (§. 866 *Pſychol. empir.*). Pœnitentia (§. 488), metus (§. 489), deſperatio (§. 490) junguntur etiam per ſe abſque ira accuſationi conſcientiæ. Unde dubitari nequit, quin etiam una cum ira eidem jungi poſſint.

§. 492.

Quando triſtitia ex accuſatione conſcientiæ profecta augeatur.

Si conſcientia nos accuſante nobis malum ex actione perpetrata conſecuturum tanquam eventu poſſibile, vel inevitabile ac intolerabile repræſentamus, aut etiam meminerimus quod aliorum perſuaſionibus vel exemplo ad factum malum fuerimus inducti; triſtitia, qua afficitur animus, augetur. Quodſi enim nobis repræſentamus malum ex actione perpetrata conſecuturum tanquam eventu poſſibile, accuſationi conſcientiæ jungitur metus (§. 489): ſi tanquam inevitabile, ac prorſus intolerabile, deſperatio (§. 490). Quodſi vero meminerimus, aliorum perſuaſionibus vel exemplo inductos nos male egiſſe; ira animum invadit (§. 491). Metus & deſperatio eſt triſtitiæ quædam ſpecies (§. 820 *Pſychol. empir.*) & ira tædium inſigne eſt (§. 862 *Pſychol. empir.*), in cujus prædominio triſtitia conſiſtit (§. 619 *Pſychol. empir.*). Patet adeo in hypotheſi propoſitionis præſentis triſtitiam, qua afficitur animus, augeri.

Triſtitia quidem remanet, affectibus pleriſque jamjam maximam partem ſedatis. Quodſi autem moleſti affectus complures una animum invadunt; quam moleſtus eſſe debeat is ſtatus, haud difficulter hariolari licet.

§. 493.

Digitized by Google

§. 493.

Accuſa-tio conſcientiæ & morſus conſcientiæ cur hominem infelicem reddant.

Accuſatio conſcientiæ & morſus conſcientiæ reddunt hominem infelicem. Accuſatio conſcientiæ ſummo tædio animum afficit (§. 483), cumque inquietum reddit (§. 484), multiſque affectibus moleſtis, pœnitentia (§. 482), pudore (§. 485), metu (§. 489), deſperatione (§. 490), ira (§. 491), ac inprimis triſtitia (§. 486. 492), perturbat. Et in hiſce tædiis ac affectibus moleſtis morſus conſcientiæ conſiſtunt (§. 488). Enimvero quicquid homini tædium creat, quod etiam facere affectus moleſtos in inſigni gradu conſtat (§. 609 *Pſychol. empir.*), id ad infelicitatem ejus quidpiam confert (§. 639 *Pſychol.empir.*), conſequenter eum infelicem reddit. Patet itaque accuſationem conſcientiæ & morſus conſcientiæ hominem reddere infelicem.

Experientia ſatis confirmat, quam ſint infelices ii, quos conſcientia accuſat & morſus conſcientiæ vexant, maxime ubi metum & deſperationem alit accuſatio conſcientiæ. Nec facile eſt tanto malo afferre medelam, ſed de hoc ſuo loco.

§. 494.

Conſcientia quomodo hominem mordeat.

Quando homo morſus conſcientiæ in ſe experitur, *Conſcientia* eum *mordere* dicitur. Quoniam itaque morſus conſcientiæ in tædiis & affectibus moleſtis conſiſtunt, quibus animus accuſante conſcientia oppletur (§. 488); *Conſcientia hominem mordet, ſi ob male facta tædiis afficitur animus & affectibus moleſtis vexatur.* Unde porro patet, *eam tanto magis mordere, quo plures & vehementiores affectus animum invadunt.*

Qui doctrinam de affectibus animo probe comprehenſam tenet, ei gradus morſuum conſcientiæ ignoti eſſe nequeunt, ut adeo neceſſe non ſit eos demum a poſteriori agnoſci. Præſtat autem eoſdem prævidere, ut ab iis nobis caveamus. Raro enim nimis ſapit, qui nonniſi cum damno ſuo ſapit.

§. 495.

Excuſatio conſcientiæ cur hominem felicem reddat.

Excuſatio conſcientiæ hominem felicem reddit. Etenim excuſatio conſcientiæ hominem maxima voluptate perfundit (§. 468), animumque ejus quietum reddit (§. 484), variiſque affectibus jucundis, quos cum inſigni voluptatis gradu conjunctos eſſe conſtat (§. 608 *Pſychol. empir.*), veluti acquieſcentia in ſe ipſo (§. 467) & gloria replet (§. 470): imo aliunde orta tædia tollit, aut ſaltem imminuit (§. 469). Quamobrem cum ad felicitatem hominis quidpiam conferat, quicquid voluptatem veram eidem creat (§. 638 *Pſychol. empir.*), conſequenter eundem felicem reddat; excuſatio conſcientiæ hominem felicem reddit.

Sine excuſatione conſcientiæ nemo felix eſſe poteſt: imo maxima felicitas ea eſt, quæ eidem debetur.

§. 496.

Immunitas a morſibus conſcientiæ unde.

Excuſatio conſcientiæ a morſibus conſcientiæ hominem immunem præſtat. Si enim conſcientia nos excuſat, conſcientia conſequens eadem eſt cum antecedente (§. 463), conſequenter fieri nequit ut ab antecedente ſit diverſa (§. 28 *Ontol.*). Quem igitur conſcientia excuſat, eum accuſare nequit (§. 472). Immunis adeo eſt a tædiis, quibus conſcientiæ accuſatio

afficit

afficit animum (§.483), affectibuſque moleſtis, quos ea parit (§.482.485. 489 *& ſeqq.*), conſequenter a tædiis & affectibus moleſtis conſcientiam conſequentem concomitantibus (§. 472). Quamobrem cum in hiſce morſus conſcientiæ conſiſtant (§. 488), a morſibus conſcientiæ immunis eſt. Patet itaque excuſationem conſcientiæ a morſibus conſcientiæ hominem immunem præſtare.

Quoniam morſus conſcientiæ hominem infelicem reddunt (§. 493), felicitatis vero pars haberi debet non eſſe infelicem; vi propoſitionis præſentis quoque intelligitur, quod excuſatio conſcientiæ hominem felicem reddat, quatenus in cauſa eſt, ne ſit infelix.

§. 497.

Cur morſus conſcientiæ metuendi non ſint.

Qui ſecundum conſcientiam rectam & certam agit, ei morſus conſcientiæ metuendi non ſunt. Etenim qui ſecundum conſcientiam rectam & certam agit, eum conſcientia excuſat (§. 464). Quoniam itaque excuſatio conſcientiæ a morſibus conſcientiæ hominem præſtat immunem (§. 496); is, qui ſecundum conſcientiam rectam & certam agit, morſus conſcientiæ tanquam eventu poſſibiles ſibi repræſentare nequit. Quamobrem cum ea metuamus mala, quæ tanquam eventu poſſibilia nobis repræſentamus (§.822 *Pſychol. empir.*); evidens eſt, ei, qui ſecundum conſcientiam rectam & certam agit, morſus conſcientiæ non eſſe metuendos.

Cogitatio abſentis metus morſuum conſcientiæ felicitatem noſtram auget. Ecquis enim eſt, qui non reputet bonum, quod mala ipſi metuenda non ſint, quæ hominem infelicem reddunt, & qui neſciat, animum hæc cogitantem dulci perfundi voluptate? Quicquid vero voluptatem veram nobis creat, ad felicitatem noſtram quidpiam confert (§. 638 *Pſychol. empir.*).

§. 498.

Quando conſcientia animum non reddat inquietũ.

Qui ſecundum conſcientiam rectam & certam agit, ejus conſcientia animum nunquam inquietum reddit. Qui enim ſecundum conſcientiam rectam & certam agit, eum conſcientia excuſat (§. 464), ab accuſatione vero conſcientiæ idem liber eſt (§. 473). Excuſatio conſcientiæ animum quietum, accuſatio inquietum reddit (§. 484). Qui adeo ſecundum conſcientiam rectam & certam agit, ejus animum conſcientia nunquam inquietum reddit.

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, mutatis mutandis etiam hic locum habent.

§. 499.

Somnus conſcientiæ quid ſit, ſeu quando dormitare dicatur.

Quod ſi neque, antequam quicquam agimus, ſollicite inquiramus, utrum actio ſit bona, nec ne, utrum committenda, an omittenda, neque actione perpetrata de actionibus præteritis disquirimus, utrum recte commiſſæ, an omiſſæ fuerint; *Conſcientia dormitare* dicitur. Hinc *Somnus conſcientiæ* appellatur abſentia conſcientiæ antecedentis & conſequentis.

Dormitat conſcientia, ſi nullus ejus actus elicitur, ut de eo ne cogitet quidem homo, utrum actiones ſuæ ſint legi naturæ ſive divinæ convenientes, nec ne (§.435).

§. 500.

Quando in ſomnũ conſcien-

Conſuetudine agendi in ſomnum conſcientiæ incidimus, quæ ſecundum conſcientiam ſervam agendo contrahitur. Etenim ſi conſcientia fuerit ſerva, appetitu

tiæ incidamus.

petitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva trahimur, affectuumque impetu abripimur ad actiones committendas, vel omittendas, non attenta conſcientia (§. 426). Quodſi ergo ex conſuetudine agendi, adeoque vi motivorum præteritorum, quatenus confuſe perceptorum memoriam habemus, agamus (§. 923 *Pſychol. empir.*); nunquam deinceps de eo cogitamus, utrum actio, ſive committenda, ſive commiſſa, ſive omittenda, ſive omiſſa, ſit legi naturæ ſeu divinæ conformis, nec ne. Quamobrem cum conſcientia dormitet, ſeu in ſomnum conſcientiæ incidamus, ſi neque in actionem patrandam, neque in patratam inquirimus, utrum ea bona ſit, nec ne (§. 499); in ſomnum conſcientiæ incidimus conſuetudine agendi, quæ ſecundum conſcientiam ſervam agendo contrahitur.

Videmus adeo hominem incidere in ſomnum conſcientiæ, ſi actionum bonitatem & malitiam non ex ratione æſtimet, quæ nobis dictitat, quid legi naturæ conveniat, quid diſconveniat (§. 259), & de qua nobis ſermo eſt, quando ſimpliciter actionem bonam vel malam dicimus; ſed ſenſuum atque imaginationis judicio eandem determinat, conſequenter totus a ſenſu ac imaginatione pendet.

§. 501.

Quando conſcientia evigilare dicatur.

Si quis quacunque de cauſa, cum dormitaverit conſcientia, in actiones præteritas inquirit, utrum bonæ ſint, an malæ, & num recte vel commiſſæ, vel omiſſæ fuerint; *Conſcientia evigilare* dicitur. *Evigilat* adeo *conſcientia, ſi actus conſcientiæ conſequentis elicitur ab eo, cujus conſcientia antea dormitavit* (§. 422. 431).

Quacunque de cauſa contingit errorem agnoſci ab eo, qui ſecundum conſcientiam erroneam egit; eadem quoque de cauſa conſcientia evigilat. Unde quæ ſupra de cauſis erroris agnoſcendi annotavimus (*not.* §. 475), ea quoque hic notanda veniunt. Cauſam tamen potiſſimam ut videamus, ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 502.

Præcipua cauſa, cur evigilet.

Si quis, cujus conſcientia dormitat, experitur mala ex actione neceſſario conſequentia; ejus conſcientia evigilat. Etenim ſi mala experitur, quæ ex actione ſæpius patrata neceſſario conſequuntur; eam intrinſece malam eſſe agnoſcit (§. 106 *Phil. pract. univ.* & §. 565 *Pſychol. empir.*), quam antea judicaverat bonam ſenſuum ſtans judicio. Quoniam hoc judicium eſt actus conſcientiæ conſequentis (§. 422); conſcientia dormitans evigilat, ſi quis mala ex actione ſua neceſſario conſequentia experitur (§. 501).

Quæ de neceſſitate malorum ex actionibus conſequentium ſupra (*not.* §. 474) annotavimus, ea hic repetenda veniunt. Tenendum vero præterea eſt, cum non omnium ea ſit perſpicacia, ut diſcernere poſſint mala, quæ ex actionibus neceſſario conſequuntur, ab iis, quæ ex accidente eaſdem comitantur, fieri quoque poſſe, ut hæc ex ſomno conſcientiæ hominem excitent actiones præteritas examini ſubjecturum. Imo nec repugnat, ut calamitates, quibus a perpetratis actionibus quis obruitur, ſint incitamento ad eas examinandas. Experientia ſatis dicta confirmat.

§. 503.

Quid ſit ſopire conſcientiam.

Si conſcientia conſequens fuerit dubia, vel ſi, quod contra conſcientiam egimus, nos pœniteat, & ab actionis perpetratæ examine vel cogitatione moleſta animum avocemus; *Conſcientiam ſopire* dicimur.

Digitized by Google

Verentur ſæpius homines, ne actionem, quam perpetrarunt, mala ſit: quod cum non fiat ſine moleſtia, cogitationes ſuas in aliud dirigunt objectum, nec inquirunt, qualis revera ea ſit, ut certam conſequantur conſcientiam. Alii ſibi probe conſcii ſunt ſe male egiſſe, metuuntque ſibi, a malis venturis. Sed cum moleſta ſit cogitatio, animum denuo ab eadem avertunt, a moleſtia eum liberaturi. Averſantur itaque actum conſcientiæ conſequentis tanquam ſibi moleſtum. Unde tandem accidit, ne poſthac conſequens conſcientia ſeſe exerat, ſed hinc in ſomnum conſcientiæ, qui gratus ipſis videtur, incidunt (§. 499). Patet itaque, quod conſcientiam ſopire ſoleant homines, periculo tædiorum majorum olim percipiendorum ſeſe exponentes, ut a minoribus ſint liberi.

§. 504.

Quando hominem conſcientia damnet, quando abſolvat.

Quodſi judicemus, male facta eſſe cauſam malorum, quibus affligimur, *Conſcientia nos damnare* dicitur. Si vero certi ſumus, nos actionibus noſtris non promeruiſſe mala, quæ nobis obtingunt, *Conſcientia nos abſolvere* dicitur.

Fungitur nimirum conſcientia quaſi judicis officio, nunc damnans reos, nunc abſolvens innocentes. In caſu priori, mala, quæ nobis obtingunt, fiunt intolerabiliora; in poſteriori facilius tolerantur. Experientia utrumque adeo aperte loquitur, ut a priori idem demonſtrari non opus exiſtimemus brevitatis ſtudioſi.

§. 505.

Tranquillitas & Inquietudo conſcientiæ quid ſit.

Conſcientia dicitur *tranquilla*, ſi liberi fuerimus ab iis tædiis, quæ conſcientiam conſequentem comitari poſſunt. *Inquieta* autem vocatur, ubi eam tædia, quæ parit conſcientia conſequens ſcrupuloſa, comitantur.

Quænam ſint illa tædia, quæ conſcientia conſequens parit, ex antecedentibus liquet: Sunt inprimis ea, quæ morſuum conſcientiæ nomine veniunt (§. 488). Unde qui tranquilla fruitur conſcientia, a morſibus conſcientiæ prorſus immunis eſt, nec quicquam tædii percipit ob actiones perpetratas. Nihil adeo adeſt, quod conſcientia ob ea, quæ fecimus, ullo modo perturbare poſſit. Quod vero conſcientiam conſequentem ſcrupuloſam comitentur tædia, a morſibus conſcientiæ diſtinguenda, in ſequentibus demonſtramus propoſitionibus.

§. 506.

Scrupulorum conſcientiæ conſequentis effectus.

Scrupuli conſcientiæ conſequentis tædia ſeu moleſtiam animi pariunt. Etenim ſi conſcientia fuerit ſcrupuloſa, non abſque omni ratione veremur, ne actio a nobis perpetrata ſit mala (§. 421). Ignorantiæ igitur noſtræ, adeoque imperfectionis cujuſdam nobis conſcii ſumus. Quoniam itaque tædium oritur, ſi imperfectionis cujuſdam nobis conſcii ſumus (§. 518 *Pſychol. empir.*); tædiis afficimur ob conſcientiam ſcrupuloſam, conſequenter ſcrupuli conſcientiæ conſequentis tædia pariunt.

Cui conſcientia conſequens ſcrupuloſa eſt, is dubitat, ita tamen, ut aſſenſus propendeat in eam contradictionis partem, quam mallemus eſſe falſam; ſiquidem vota verum ac falſum efficere poſſent. Qui dubitat, ubi certus eſſe velit, nec ad veritatem liquidam pertingere valet; is moleſtiam animi experitur tanto quidem majorem, quanto magis cupit cognoſcere, quodnam ſit verum. Nemo hoc ignorat, qui ad ſeipſum animum advertere voluerit.

§. 507.

Effectus alter.

Scrupuli conſcientiæ conſequentis metum pariunt. Sunt enim rationes, ob quas veremur, ne actio a nobis perpetrata ſit mala (§. 421), conſequenter ne in ea incidamus mala, quæ ex mala iſta actione conſequuntur. Quoniam vero ob rationes iſtas veremur, ne in hæc mala incidamus *per demonſtrata,*

Digitized by Google

ſtrata, adeoque huc jam propendet aſſenſus; ideo mala iſta tanquam eventu non prorſus impoſſibilia nobis repræſentamus, prout rationes aſſenſum in hanc contradictionis partem inclinantes nobis videntur prægnantiores. Enimvero ſi malum nobis repræſentamus tanquam eventu poſſibile, metus oritur (§. 822 *Pſychol. empir.*). Metus adeo animum ſubit, ubi conſcientia conſequens fuerit ſcrupuloſa, conſequenter ſcrupuli conſcientiæ conſequentis metum pariunt.

Nemo non in ſeipſo experitur, poſitis conſcientiæ conſequentis ſcrupulis poni metum; quo animus redditur inquietus. Tanto autem majorem deprehendimus hunc metum, quo magis propendet animus in partem contradictionis affirmativam, ſcilicet quod mala ſit actio, quam perpetravimus, conſequenter quanto probabiliores videntur rationes, quæ ſcrupulorum conſcientiæ nomine veniunt (§. 421) & animum anxium reddunt.

§. 508.

Differentia inter inquietudinem conſcientiæ & morſuum conſcientiæ.

Inquietudo conſcientiæ eſt a morſibus conſcientiæ diverſa. Etenim conſcientiæ inquietudo conſiſtit in tædiis, quæ parit conſcientia ſcrupuloſa (§. 505 *& ſeqq.*). Morſus autem conſcientiæ, qui conſcientiam conſequentem comitantur (§. 488), accuſatio conſcientiæ parit (§. 485 *& ſeqq.*). Enimvero hæc tædia eſſe diverſa, non eadem, patet (§. 485 *& ſeqq.* & §. 506. 507). Inquietudo itaque conſcientiæ a morſibus conſcientiæ diverſa.

Diverſarum cauſarum effectus non eſſe eoſdem nemo non largitur. Morſus conſcientiæ ponuntur poſita accuſatione conſcientiæ conſequentis, atque adeo hujus ſunt effectus. Inquietudo conſcientiæ ponitur, poſitis ſcrupulis conſcientiæ conſequentis, atque adeo horum ſunt effectus. Sunt adeo morſus conſcientiæ & inquietudo ejuſdem cauſarum diverſarum effectus. Ecquis igitur negaverit, hanc ab illis eſſe diſtinguendam? Equidem non nego per inconſtantiam loquendi ad inquietudinem conſcientiæ referri ſubinde tædia, quæ accuſationi conſcientiæ debentur, præſertim ſi fuerint minora, nec niſi majora morſuum conſcientiæ nomine indigitari. Enimvero magis & minus non variant ſpeciem, & Philoſophi eſt ſignificatum vagum vocabulorum reducere ad fixum.

§. 509.

Differentia graduum inquietudinis & morſuum conſcientiæ.

Inquietudo conſcientiæ minor eſt morſibus conſcientiæ. Etenim inquietudinem conſcientiæ pariunt ſcrupuli conſcientiæ (§. 505), adeoque rationes, ob quas veremur, ne actio a nobis perpetrata ſit mala (§. 421): morſus autem conſcientiæ accuſatio parit (§. 488), adeoque judicium, quod actio perpetrata ſit mala, de quo non dubitamus (§. 472). Enimvero quo certius nobis videtur judicium de cauſa tædii (§. 522. 518 *Pſychol. empir.*); eo majus eſt ceteris paribus tædium, quod percipitur (§. 522 *Pſychol. empir.*). Patet itaque inquietudinem conſcientiæ minorem eſſe morſibus ejuſdem.

Patet idem ex collatione tædiorum & affectuum moleſtorum, quæ ab accuſatione conſcientiæ (§. 485 *& ſeqq.*), & quæ a ſcrupulis ejuſdem excitantur (§. 506. 507). Non tamen negandum eſt, ex accidente cauſis aliis ſupervenientibus fieri poſſe, ut inquietudo major ſit morſibus quibuſdam conſcientiæ, quos non omnes eſſe ejuſdem gradus ex ſuperioribus manifeſtum (§. 485 *& ſeqq.*), veluti ſi quis fuerit conſcientioſus, cujus conſcientia conſequens ſcrupuloſa, altero, quem mordet conſcientia, mala ex actione perpetrata metuenda ſibi perſuadente, quod ſpes omnis ea evitandi nondum ſit prorſus decollata. Enimvero nos jam inquirimus in effectus, quales a cauſis ſuis oriuntur, non vero de eo jam quærimus, quomodo iidem ab aliis cauſis immutentur, quemadmodum Mathematicus, ubi de motu gra-

Digitized by Google

vium agit in Mechanicis, inquirit, qualis ſit motus ex cauſa gravitatis, animum avertit a mutatione, quam aeris, aquæ vel alterius medii reſiſtentia inducit.

§. 510.

Effectus excuſationis conſcientiæ. *Excuſatio conſcientiæ hominem immunem præſtat ab inquietudine ejuſdem.* Etenim ſi conſcientia nos excuſat, conſequens cum antecedente eadem eſt (§. 463), conſequenter nulla adeſt ratio, cur vereamur, ne actio a nobis perpetrata ſit mala (§. 422), adeoque conſcientia conſequens nullis urgetur ſcrupulis (§. 421), ſeu ſcrupuloſa non eſt. Quoniam itaque conſcientiæ inquietudo non habet locum, niſi in conſcientia ſcrupuloſa (§. 505); evidens eſt, excuſationem conſcientiæ hominem ab inquietudine ejuſdem immunem præſtare.

Hinc confirmatur, quod ſupra oſtendimus (§. 495), excuſationem conſcientiæ hominem reddere felicem, quatenus eum liberat a tædiis ad infelicitatem referendis (§. 639 *Pſychol. empir.*). Pars enim felicitatis eſt non eſſe infelicem, & major utique felicitas eſt, quæ nihil infelicitatis admixtum habet. Ea nimirum eſt hominum conditio, ut nemo ſit omni ex parte felix. Unde contingit infelicitatem admiſceri felicitati humanæ, ut adeo recte pro felicitatis incremento habeatur, ſi qua infelicitatis pars abſit.

§. 511.

Quando conſcientia ſit tranquilla. *Qui ſecundum conſcientiam rectam & certam agit, ejus conſcientia tranquilla eſt.* Etenim qui ſecundum conſcientiam rectam & certam agit; ei morſus conſcientiæ metuendi non ſunt (§. 497), conſequenter conſcientiam conſequentem ab iis tædiis liberam habet, quæ accuſantem comitantur. Quamobrem cum tranquilla fruatur conſcientia, qui liber eſt ab iis tædiis, quæ conſcientiam conſequentem accuſantem comitantur (§. 505); conſcientia ejus tranquilla eſt, qui ſecundum conſcientiam rectam & certam agit.

Videmus adeo, quænam ſit tranquillitatis conſcientiæ cauſa, nimirum conſcientia recta & certa, & quam ſit neceſſe ut operam demus, ne conſcientia ſit erronea vel dubia.

§. 512.

Quando inquieta eſſe nequeat. *Qui ſecundum conſcientiam rectam & certam agit, ejus conſcientia inquieta eſſe nequit.* Etenim ſi ſecundum conſcientiam rectam & certam agimus, conſcientia nos excuſat (§. 464). Enimvero excuſatio conſcientiæ ab inquietudine ejuſdem nos immunes præſtat (§. 510). Fieri adeo nequit, ut ejus conſcientia inquieta ſit, qui ſecundum conſcientiam rectam & certam agit.

Videmus adeo, quænam ſit cauſa, quæ impedit, quo minus conſcientia noſtra ſit inquieta, & quam ſit neceſſe ut operam demus, ne ſecundum conſcientiam erroneam & dubiam, minime autem contra rectam & certam agamus.

§. 513.

Unde pendeat: *Si demonſtrari poteſt noſtrum de actione committenda vel omittenda judicium; tranquilla fruimur conſcientia, nec metuendum eſt, ne fiat inquieta.* Etenim ſi demonſtrari poteſt noſtrum de actione committenda vel omittenda judicium; conſcientiam rectam (§. 458) & certam habemus (§. 459). Enimvero qui ſecundum conſcientiam rectam & certam agit, ejus conſcientia tranquilla eſt (§. 511), nec fieri poteſt, ut inquieta reddatur (§. 512).

Quam-

Quamobrem ſi demonſtrari poteſt noſtrum de actione committenda vel omittenda judicium, tranquilla fruimur conſcientia, nec metuendum eſt, ne fiat inquieta.

Conſcientiam tranquillam exoptant omnes, inquietam averſantur, quotquot norunt, quid ſit tranquilla conſcientia, quid inquieta. Quoniam itaque demonſtratio judiciorum, quæ de actionibus committendis & omittendis ferimus, eſt medium certiſſimum conſequendi conſcientiam tranquillam ſibique cavendi ab inquieta; quantum valeat demonſtratio in moralibus nemo non intelligit. Unde elucet neceſſitas leges naturæ in ſyſtema veri nominis demonſtrativa methodo redigendi, ſiquidem curam conſcientiæ habemus, ne in felicitatem noſtram ſimus injurii. Videant itaque, an non ſibi totique generi humano adverſentur, qui tantopere contra methodum demonſtrativam in moralibus, imo in diſciplinis non mathematicis in univerſum omnibus adhibendam declamant, quaſi hinc periculum graviſſimum immineat saluti totius generis humani, & Eccleſiæ ac Reipublicæ interitum minitetur. Riſum teneatis amici!

§. 514.

Conſcientia inquieta hominem infelicem reddat.

Conſcientia inquieta hominem infelicem reddit. Quando enim conſcientia inquieta eſt, tædia homini creat (§. 505) & metu animum torquet (§. 507). Quoniam itaque ad infelicitatem hominis quidpiam confert, quod eidem tædium creat (§. 639 *Pſychol. empir.*); conſcientia inquieta hominem infelicem reddit.

Experientia ſatis confirmat, quam ſint infelices ii, quorum conſcientia inquieta, etſi minor ſit infelicitas ea, quam accuſatio & morſus conſcientiæ producunt (§. 493. 509). Qui morſus conſcientiæ vel experti ſunt ſive in ſeipſis, ſive in aliis, vel eorum ideam ſive ex demonſtratione (§. 482. 488 & *ſeqq.*), ſive ex relatione aliorum, quorum dictis fidem habent, animo comprehenſam tenent; ab iiſdem ſibi metuunt, ubi conſcientia inquieta eſt: quo metu dum torquetur animus, infelicitas haud parum augetur. Ad hæc omnia ſi animum advertas, quanta ſit infelicitas, in quam hominem conjicere poteſt conſcientia, æſtimare datur.

§. 515.

Effectus conſcientiæ nos damnantis.

Si conſcientia nos damnat, pœnitentia oritur. Etenim conſcientia nos damnat, ſi judicamus male a nobis facta eſſe cauſam malorum, quibus affligimur (§. 504), conſequenter dum nos damnat, male a nobis factorum nobis conſcii ſumus. Enimvero ex perceptione mali a nobis patrati pœnitentia oritur (§. 759 *Pſychol. empir.*). Oritur itaque pœnitentia, ſi conſcientia nos damnat.

Nimirum pœnitentia excruciatur animus, ſi in male facta mentis aciem dirigimus & perpendimus, quod, quæ fecimus, male facta a nobis ſint, quatenus conſideramus mala ex iis in nos redundantia. Quinam vero ſit affectus hujus moleſtiſſimi (§. 758 *Pſychol. empir.*) effectus, ſuperius jam oſtendimus (§. 483). Ibidem igitur dicta ut repetamus, ſupervacaneum exiſtimamus.

§. 516.

Effectus alius.

Si conſcientia nos damnat, nobiſmetipſis iraſcimur. Quando enim conſcientia nos damnat, male a nobis facta eſſe cauſam malorum, quibus affligimur, judicamus (§. 504), adeoque duplicem quaſi ex nobis fingimus perſonam, alteram, quæ facto ſuo malum nobis intulit, alteram, cui malum illatum eſt. Iraſcimur ei, ex cujus facto, quod nobis malum eſt, emergit (§. 868 *Pſychol. empir.*). Nobis itaque iraſcimur, ſi conſcientia nos damnat.

Exar-

Exardeſcit inprimis ira animus, dum eum ad id advertimus, quod ipſimet ſumus cauſa malorum. Unde liquet, quomodo pœnitentia & ira quaſi alternando torqueant animum, prouti vel mentis aciem in mala, quibus affligimur, intendentes, facta noſtra judicamus mala (*not. §. præced.*), vel in facta noſtra intenti ſpectamus nos cauſam malorum nobis præſentium. Patet autem a pœnitentiæ cauſa nos ad cauſam iræ adverſus noſmetipſos quaſi duci, dum illa excitat attentionem ad hanc afferendam, ſiquidem iræ locus eſſe debet. Quam vero ſit moleſtum, ubi homo ſibimetipſi iraſcitur & cupidine vindictæ erga ſeipſum flagrat, experientia clariſſime docet. Referendi ſunt affectus moleſti conſcientiæ damnantis ad morſus conſcientiæ, quia comitantur conſcientiam conſequentem (§. 488). Etſi autem accuſatio etiam conſcientiæ pœnitentiam (§. 482) & iram pariat (§. 491); non tamen eadem eſt, quæ a damnante producitur: id quod in ira omnium manifeſtiſſime apparet.

§. 517.

Quando conſcientia nos nõ damnet, ſed abſolvat.

Conſcientia nos non damnat, ſed abſolvit, ſi ſecundum rectam & certam agimus. Etenim ſi conſcientia recta eſt, noſtrum de actione committenda & omittenda judicium verum eſt (§. 419), conſequenter ſi ſecundum eam agimus, eas committimus actiones, ad quas committendas lege inprimis naturæ obligamur, & eas omittimus actiones, ad quas omittendas lege inprimis naturali obligamur (§. 431). Quodſi porro ſecundum conſcientiam certam agimus; actionem, quam committimus, eſſe committendam, quam vero omittimus, omittendam eſſe, convicti ſumus (§. 420). Quamobrem fieri nequit, ut judicemus, ſiqua nobis obtingunt mala, eorum cauſam eſſe actiones malas, quibus ea promeruerimus. Enimvero conſcientia nos non damnat, niſi judicaverimus, quæ male fecimus, ea eſſe cauſam malorum, quibus affligimur; ſed abſolvit, ubi judicamus, ſi qua nobis obtingunt mala, ea nos actionibus noſtris minime promeruiſſe (§. 504). Patet itaque conſcientiam hominem non damnare, ſed abſolvere, ſi ſecundum conſcientiam rectam & certam agit.

Qui ſecundum conſcientiam rectam & certam agit, eum conſcientia non accuſat (§. 473), ſed excuſat (§. 464): multo minus itaque eum damnare poteſt, ſed abſolvere debet. Quemadmodum enim in foro civili accuſatio præcedit damnationem; ita etiam in foro conſcientiæ idem obtinet notionibus conſcientiæ accuſantis & damnantis non invitis. Dum enim conſcientia nos accuſat, actiones, quas commiſimus, malas eſſe pronuntiamus (§. 472). Dum conſcientia nos damnat, nos malis affligi judicamus, propterea quod malas perpetravimus actiones (§. 504). Patet itaque accuſationem conſcientiæ præcedere damnationem, & damnationem ſupponere accuſationem. Analogia, quæ inter actus conſcientiæ & actus in judiciis intercedit, denominationibus in doctrina de conſcientia occaſionem dedit. Etſi autem dentur homines, quibus denominationes iſtæ ignotæ ſunt, non tamen dici poteſt, eos in ſeipſis omnia iſta minime experiri, quæ illis ſignificantur. Sublatis enim rerum nominibus, non tolluntur res, quæ iiſdem ſignificantur. Sane ſi nulla nobis ſint nomina, quibus ea, quæ ad propria hominis facta ſpectantia in anima contingunt, ſignificamus; hoc tamen non obſtante nihil eorum in anima mutatur. Quamobrem non repugnat, ut quis ad vocabula tantummodo reſpiciens rideat omnem de conſcientia doctrinam, ſingula tamen, quæ docentur, in ſeipſo experiatur. Quodſi ergo quis eorum, quæ traduntur, experimentum in ſe capere voluerit, vel in aliis (quamvis in caſu poſteriori experimentum difficilius); is terminorum explicationes ſibi familiares reddere tenetur, non neglectis principiis anterioribus, a quibus pendent ea, quæ notiones ingrediuntur. Intelligitur vero hinc neceſſitas diſtinctis notionibus iiſdemque determinatis explicandi loquendi formulas, quibus de conſcientia utimur, ne pro terminis inanibus habeantur & per præcipitantiam admodum noxiam res ipſæ rejiciantur.

§. 518.

Digitized by Google

§. 518.

Quando conſcientia hominem omnium maxime damnet.

Si quis contra conſcientiam egit, quod ſerva erat, & poſthac mala, quibus affligitur, ex actionibus ſuis conſecuta agnoſcit; eum conſcientia omnium maxime damnat. Etenim ſi agnoſcit, mala, quibus affligitur, ex actionibus ſuis fuiſſe conſecuta; conſcientia eum damnat (§. 504). Quodſi ergo contra conſcientiam egit, quod ſerva eſſet; antequam actionem perpetraret, probe noverat, eam eſſe malam, nec committendam, ſed appetitu ſenſitivo ſe trahi & affectuum impetu ſe abripi paſſus fuit in partem contrariam, ut non obſtante dictamine conſcientiæ actionem committeret (§. 426). Nihil ergo habet, quod in excuſationem ſui prætexere poſſit, ſed agnoſcere tenetur, quod mala evitare poterat, ſi ſecundum conſcientiam egiſſet, quæ ſibi accerſivit, dum contra eandem egit. Quamobrem cum fieri non poſſit, ut certius judicemus, nos ob male a nobis facta eſſe cauſam malorum, quibus affligimur, quam ubi agnoſcimus, nos ea evitare potuiſſe, modo voluiſſemus; conſcientia quoque noſtra nos magis damnare nequit, conſequenter omnium maxime damnat, ſi contra conſcientiam egimus, quod ſerva erat, & poſthac mala, quibus affligimur, ex actionibus noſtris conſecuta agnoſcimus.

Inde eſt, quod, qui contra conſcientiam ſe egiſſe memores, ubi quæruntur cur hoc fecerint, malis ex actionibus ipſorum conſecutis, vel jamjam imminentibus, obſtupeſcant, nec quid reſpondeant, habeant, pudore ſuffuſi & haud raro in lachrymas effuſi, triſtitia animum ad mala præſentia vel imminentia converſum occupante (§. 623 *Pſychol. empir.*).

§. 519.

Cuſtodia conſcientiæ quid ſit.

Cuſtodia conſcientiæ eſt cura de rectitudine, certitudine ac libertate ejuſdem.

Qui conſcientiam cuſtodit, ne exorbitet, ei conſtans eſt atque perpetua voluntas non agendi, niſi quod legi naturæ ſeu divinæ convenire certo agnoſcit, adeoque non patiendi, ut appetitu ſenſitivo adverſus rationalem prævalente in partem contrariam trahatur, vel affectuum impetu in eandem abripiatur, commiſſurus actionem, ad quam omittendam lex naturæ nos obligat, vel omiſſurus eam, ad quam committendam ea nos obligat. In hac cura conſiſtit conſcientiæ cuſtodia: ea enim poſita, de eo ſolliciti ſumus, ut & recta (§. 419), & certa (§. 420), & libera ſit conſcientia (§. 426), prouti animum ad notiones conſcientiæ rectæ, certæ ac liberæ advertentibus ſtatim patet. Qui adeo hanc curam abjiciunt, ac conſcientiæ ſuæ nullam rationem habent, parum ſolliciti, utrum recta ſit, an erronea, utrum certa, an dubia, & nonniſi appetitu ſenſitivo ſe trahi & affectuum impetu ſe abripi patiuntur ad ea, quæ faciunt, ii conſcientiam ſuam minime cuſtodiunt. Cum autem plurimum interſit, utrum quis conſcientiam ſuam cuſtodiat, nec ne; ideo conſultum fuit, ut ampliorem traderemus conſcientiæ theoriam, unde cetera, quæ adhuc deſiderari poterant, ſua quaſi ſponte fluunt, præſertim ſi principiorum pſychologicorum non fueris ignarus, ſed ea familiaria experiaris.

§. 520.

Obligatio conſcientiæ ad actiones committẽdas & omittendas.

Conſcientia nos obligat ad actiones legi naturæ conformes committendas & eidem difformes omittendas. Etenim dum conſcientia hominem excuſat, adeoque actiones ipſius legi naturæ conformes declarat (§. 463. 465), ſumma voluptate animum perfundit (§. 468), ac tædium ex aliorum cenſuris iniquis & vexis perceptum tollit, aut ſaltem imminuit (§. 469), imo ſi facta ad alio-

Digitized by Google

ad aliorum opinionem referimus, gaudium, quo animus perfunditur, auget (§. 471), atque nos felices reddit (§. 495), & ubi ſecundum rectam & certam agimus, metum morſuum conſcientiæ, qui plurimorum tædiorum complexus ſunt, arcet (§. 497), & ab inquietudine animum immunem præſtat (§. 498. 510. 512), eumque tranquillum reddit (§. 511), adeoque liberum præſtat ab iis tædiis, quæ conſcientiam accuſantem comitantur (§. 505). Rationem adeo ſuppeditat ſufficientem, cur actiones legi naturæ conformes committere velimus (§. 56 *Ontol.*), conſequenter motiva eas committendi cum iiſdem connectit (§. 887 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum obligatio activa in connexione motivi cum actione conſiſtat (§. 118); conſcientia nos obligat ad actiones legi naturæ conformes committendas. *Quod erat unum.*

Ex adverſo dum conſcientia nos accuſat, adeoque actiones noſtras legi naturæ difformes declarat (§. 472), ſummo tædio animum afficit (§. 483), & ubi ad aliorum opinionem facta noſtra referimus, triſtitiam auget, qua afficimur (§. 486), quod idem aliis adhuc de cauſis contingit (§. 492), imo morſibus conſcientiæ, plurimorum tædiorum ac affectuum cumulo, obnoxios nos reddit (§. 488), imo infelices efficit (§. 493). Rationem adeo ſuppeditat ſufficientem, cur actiones legi naturæ difformes, ſeu eidem contrarias committere nolimus (§. 56 *Ontol.*), conſequenter motiva eas omittendi cum iiſdem connectit (§. 887 *Pſychol. empir.*). Quoniam itaque obligatio activa in connexione motivi cum actione conſiſtit (§. 118); conſcientia nos obligat ad actiones legi naturali difformes omittendas. *Quod erat alterum.*

Qui perpendit multiplicia illa tædia, quæ ex actionibus legi naturæ contrariis conſecuta animum occupant, conſcientia ſeſe exerente; is non dubitabit, quin actiones iſtæ vel ob haſce ſolas rationes ſint omittendæ, etiamſi non alia daretur earum omittendarum ratio. Et viciſſim qui ad animum revocat multiplicem illam voluptatem, qua conſcientia animum perfundit, quando eadem actiones legi naturæ conformes deprehendit, ſimulque expendit ſe liberum eſſe ab omnibus iſtis tædiis, quibus angitur animus legem naturæ tranſgrediens; is non dubitabit, quia actiones legi naturæ conformes ſint committendæ vel ob haſce ſolas rationes, etiamſi nulla alia daretur actionum illarum committendarum ratio. Nemo itaque in dubium vocare poteſt, quod conſcientia nobis ſuppeditet motiva valida actionum legi naturæ convenientium committendarum & eidem contrariarum omittendarum. Ecquis ergo obligationem conſcientiæ ad ſervandam naturæ legem in dubium revocabit, modo notionem obligationis activæ perſpiciat (§. 118) & naturam animæ non ignoret quoad facultatem inprimis appetendi & averſandi?

§. 521.

Lex naturæ cur ſit lex conſcientiæ.

Lex naturæ eſt lex conſcientiæ. Etenim conſcientia nos obligat ad actiones legi naturæ conformes committendas, & eidem difformes omittendas (§. 520). Quoniam itaque obligatio efficit, ut regula aliqua, juxta quam actiones liberæ determinantur, ſit lex (§. 131); ideo lex naturæ eſt etiam lex conſcientiæ.

Demonſtravimus in ſuperioribus (§. 150), legem naturæ eſſe legem divinam, ſi voluntate divina ad id obligamur, ad quod lege naturali obligati ſumus, eandemque fieri legem humanam, ſi voluntate hominum obligamur ad id, ad quod lege naturali obligamur,

diſſe-

differentia legum non in diverſitate materiæ, ſed obligationis conſiſtente. Quamobrem cum conſcientia noſtra novam ſuperaddat obligationem, ab obligatione naturali, divina atque humana diverſam; nullum ſupereſſe poteſt dubium, quin eodem iure ob hanc obligationem dicatur lex naturæ lex conſcientiæ, quo legem humanam eandem dicimus ob obligationem peculiarem ab hominibus profectam. Equidem cum ea, quæ a conſcientia hominis pendent, a natura ipſius ortum trahant, non nego, obligationem conſcientiæ ſub naturali eſſe comprehenſam; conſtat tamen eam eſſe peculiarem quandam hujus partem, ad quam communiter non reſpicimus, cum de obligatione naturali loquimur, quippe quæ ex intrinſeca honeſtate ac turpidine actionum fluit, quemadmodum ex demonſtrationibus ſuperioribus facile intelligitur (§. 128. 152). Relegenda hic ſunt, quæ ſupra annotavimus (*not.* §. 550). Conſcientia ſupponit legem naturæ eſſe cognitam (§. 429) ſcilicet per rationem (§. 259), nec ante actus conſcientiæ rectæ elicitur (§. 431). Ubi vero agnoſcimus, quid ſit legi naturæ conforme, vel difforme; obligatio etiam conſcientiæ ſeſe exerit, quæ a conſcientia fluit, quatenus recta & certa eſt.

§. 522.

Homo agere obligatur ſecundum conſcientiam rectam, & ipſa conſcientia eum non obligat, niſi ut ſecundum rectam agat. Etenim obligatio, quæ a lege naturæ venit, neceſſaria, & immutabilis eſt (§. 142), adeoque impoſſibile eſt, ut detur obligatio ad committendas actiones legi naturæ contrarias & ad omittendas eidem conformes (§. 279. 290 *Ontol.*). Quamobrem cum conſcientia recta dictitet, quid legi naturali conveniat, quid diſconveniat, & quænam per eandem actio ſit committenda, quænam omittenda (§. 419. 431); homo agere obligatur ſecundum conſcientiam rectam. *Quod erat unum.* *Qualis ſit obligatio conſcientiæ.*

Enimvero conſcientia nos non obligat, niſi ad actiones legi naturæ conformes committendas & eidem difformes omittendas (§. 520). Quamobrem cum hoc fiat, quando ſecundum conſcientiam rectam agimus *per demonſtrata*; nec conſcientia nos obligat, niſi ut ſecundum rectam agamus. *Quod erat alterum.*

Manet itaque lex naturæ norma actionum humanarum, etſi ad eidem actiones noſtras conformandas nos obliget conſcientia, nec dici poteſt, conſcientiam eſſe iſtam normam. Quoniam enim conſcientia erronea eſſe poteſt (§. 419); dici ſimpliciter nequit, hoc eſſe faciendum, quod conſcientia faciendum eſſe dictitat, ſed dicendum eſt cum reſtrictione, faciendum eſſe, quod conſcientia recta dictitat, eſſe faciendum. Nec eſt, quod exeipias, ne ſic quidem regulam fore ſatis tutam, cum rectitudo conſcientiæ difficillime dijudicetur. Quoniam enim conſcientia ſupponit legem naturæ (§. 429), ut actus ejus eliciatur (§. 431); non major difficultas eſt in rectitudine conſcientiæ agnoſcenda, quam quæ in diſcernenda legis naturalis veritate exigitur. Error circa legem naturæ admiſſus conſcientiam erroneam efficit, ita ut error conſcientiæ ab iſto unice pendeat.

§. 523.

Conſcientioſus obligationi conſcientiæ ſatisfacere tenetur. Conſcientioſus enim agere vult ſecundum conſcientiam, non contra eandem (§. 437). Neceſſe igitur eſt, ut faciat, ad quod conſcientia nos obligat, non vero faciat, ad quod non faciendum nos obligat. Quoniam itaque obligationi ſatisfacimus, ſi agimus vel non agimus, ad quod agendum vel non agendum obligamur (§. 120); neceſſe eſt conſcientioſum obligationi conſcientiæ ſatisfacere, adeoque eidem ſatisfacere obligatur ſeu tenetur (§. 118). *Obligatio conſcientioſi.*

Vides adeo, quam parum ſint conſcientioſi, qui ſecundum conſcientiam quidem agunt, de eo autem ſatis ſolliciti non ſunt, num ea faciant, ad quæ conſcientia ipſos obligat.

§. 524.

Obligatio conſcientioſi ad agendum ſecundum conſcientiam rectam.

Conſcientioſus ſecundum conſcientiam rectam agere tenetur. Etenim ſatisfacere debet obligationi conſcientiæ (§. 523), adeoque facere id, ad quod conſcientia nos obligat (§. 120). Quoniam itaque conſcientia nos obligat ad agendum ſecundum conſcientiam rectam (§. 522); conſcientioſus ſecundum conſcientiam rectam agere tenetur.

Conſcientioſus adeo ſibimetipſi contrarius eſt, dum ſecundum conſcientiam erroneam agit, præſertim ubi errorem evitare poterat. Videtur ſibi, qui non eſt.

§. 525.

Conſcientia bona & mala quid ſit.

Qui peccatorum contra conſcientiam commiſſorum, præſertim gravioris cujuſdam ſibi conſcius eſt, *malam conſcientiam habere* dicitur. Ex adverſo autem *bonam habere conſcientiam* dicitur, qui peccatorum contra conſcientiam commiſſorum, præſertim gravioris, ſibi conſcius non eſt.

Nemo hominum eſt, qui nullius ſibi conſcius ſit peccati. Unde pervulgatum illud: *Peccare humanum eſt.* Sed non omnes contra conſcientiam agunt & gravioribus peccatis ſe contra eandem conſcientiam onerant. Quod conſcientia mala homines mordeat & quomodo eadem torqueat, animumque eorum dejiciat, ex ſuperius demonſtratis abunde intelligitur. Quinam vero ſint fructus bonæ conſcientiæ, non minus patet. Unde maximi omnium theſauri loco habenda conſcientia bona. Ceterum ea eſt hominum conditio, ut in nonnullis bonam, in aliis malam habeant conſcientiam, quo in caſu contingit, ut animum in bonam partem convertentes morſus conſcientiæ leniant, quibus a mala torquentur. Non deſunt multa, quæ de conſcientia dici poterant: ſed inſtituti ratio non fert, ut in has ambages deſcendamus. Sufficit ea expoſuiſſe, ex quibus cetera facile intelliguntur.

CAPUT VI.

De Imputatione morali, Dolo & Culpa.

§. 526.

Cauſa libera quænam dicatur.

C*auſa libera* dicitur, quæ libere agit, ſive actio fuerit poſitiva, ſive privativa.

Cor non movetur libere, ſed neceſſario: unde nec cauſa libera eſt motus ſanguinis, qui actione ipſius producitur. Aſt homo, qui alterum gladio vulnerat, libere agit: unde cauſa libera eſt vulneris inflicti. Similiter qui non bibit, cum bibere poſſet, cauſa libera eſt ſitis, qua affligitur. Nimirum quæ, poſita actione privativa, ponuntur, etſi ex cauſis poſitivis neceſſario agentibus, ſeu actionibus poſitivis conſequuntur, ea ſpectantur tanquam effectus actionem libere omittentis.

§. 527.

Imputatio quid ſit.

Imputatio actionis, ſive poſitivæ, ſive privativæ, dicitur judicium, quo agens declaratur cauſa libera ejus, quod ex actione ipſius conſequitur, boni malique vel ſibi, vel aliis.

Si quis furtum committit, damnum infert domino, cui res ſuæ ſurripiuntur, obligatur ad rem ablatam eidem reſtituendam, reus ſit pœnæ, eamque, ubi deprehenſus fuerit, pœnam ſubire cogitur, quam lex in furem decernit. Multa igitur ſunt, quæ ex actione ipſius conſequuntur. Quando itaque cauſa libera declaratur damni domino illati, obliga-

tionis

tionis ad rem ablatam reſtituendam, reatus contracti & ſubitionis pœnæ; furtum ipſi imputatur. Nemo miretur, quod obligationem furis ad reſtituendam domino rem ablatam conſideremus tanquam effectum a libera ejus actione profectum, cum ex lege naturæ reſultet iſta obligatio. Etenim etſi obligatio illa contrahatur vi legis naturæ, a libertate tamen hominis furtum committentis pendet quoad ipſum, quatenus ſcilicet ipſe in hanc obligationem libere conſentit, dum libere conſentit in eam actionem, cui vi legis, contra quam peccat, adhæret. Eodem modo ſeſe res habet cum reatu pœnæ & ipſa ſubitione ejus. Qui enim in delictum conſentit, in pœnam conſentit. Sed hæc ſuo loco diſertius explicabimus. Similiter qui alteri promittit ſe ipſi daturum decem aureos, acceptanti ſe obligat ad decem aureos dandum & in eum transfert jus eos exigendi. Jus igitur promiſſarii & obligatio promittentis ſequuntur ex actione libera promittentis. Unde reſpectu utriusque dicitur cauſa libera, & actio ipſi imputatur, quatenus cauſa libera declaratur tum juris in promiſſarium tranſlati, tum obligationis, qua voluit alteri eſſe devinctus. Denique ſi diſcipulus fuerit negligens, ignorantia eorum, quæ diſci poterant & debebant, & ſumtuum, qui in hoc fiunt, profuſio ex negligentia tanquam actione privativa conſequuntur. Quatenus itaque libera actio privativa eſt, in qua conſiſtit negligentia, diſcipulus utriusque cauſa libera habetur, & negligentia ipſi imputatur, quatenus declaratur cauſa libera & ignorantiæ, & profuſionis ſumtuum. Hæc exempla ſatis ſuperque loquuntur, quid ſibi velit actionis tam poſitivæ, quam privativæ imputatio. Quoniam facta tam commiſſionis, quam omiſſionis homini imputantur propter bona, vel mala, quæ ex iis conſequuntur ſive neceſſario, ſive ex eorum voluntate, qui legem aliis ferre poſſunt; ideo per inconſtantiam loquendi hæc ipſa quoque eidem imputari dicuntur. Inde eſt, quod dicamus furi imputandum eſſe damnum domino illatum, cum res ſuas ſurripit; imo ipſi imputandum eſſe, quod obligatus ſit ad res ablatas reſtituendum, quod metu pœnæ torqueatur, quod pœnam ſubire cogatur. Et vulgo dicuntur imputari tam actiones, quam ea, quæ ex actionibus conſequuntur, agenti & aliis ſive bona, ſive mala. Philoſophi vero eſt tollere ambiguitatem in loquendo, & ſignificatum fixum terminorum determinare. Non piget notionem imputationis pluribus illuſtrare exemplis, & declarare, quæ quodammodo obſcura eſſe poterant, propterea quod plures imputationem non ſatis diſtincta & determinata notione explicant, alii vero hoc facturi fingunt ſignificatum a communi loquendi uſu abhorrentem, ut ex definitione imputationis, quam proferunt, ea deduci nequeant, quæ de eadem demonſtranda ſunt. Patebit autem ex ſequentibus, quod ex noſtra definitione eadem veluti ſponte ſua fluant: quæ adeo inſtituto noſtro convenit & fœcundam ſe probat.

§. 528.

Quænā actiones imputari poſſint.

Imputari nequeunt actiones niſi liberæ. Etenim ſi actio quædam alteri imputatur, cauſa libera boni malique tam ſibi, quam alteri ex actione emergentis declaratur (§. 527). Enimvero cauſa libera eorum, quæ ex actione reſultant, eſſe nequit, niſi qui libere agit (§. 526). Patet itaque non poſſe imputari actiones niſi liberas.

Atque hoc primum eſt actionis requiſitum, quod efficit, ut ea imputari poſſit. Continetur per modum axiomatis in definitione imputationis: diſtincte tamen enuntiandum fuit, quod eodem utamur tanquam principio in demonſtrandis iis, quæ ad doctrinam de imputatione pertinent. Realitas definitionis per ſe ſatis patet, ut non opus ſit eam demum demonſtrari. Etenim hominem libere agere conſtat (§. 942 *Pſychol. empir.*). Ex actionibus liberis fluere, quæ agenti & aliis bona & mala ſunt, experientia loquitur & exempla paulo ante (*not.* §. 527) adducta probant. Non igitur dubitari poteſt, quin ſit cauſa libera eorum, quæ ab actione ejus pendent (§. 526 *Phil. pract. univ.* & §. 881 *Ontol.*). Quod vero judicium, quo declaratur, eum eſſe cauſam liberam boni malique ſibi vel aliis ex actione ſua emergentis, imputatio dicatur, arbitrarium eſt. Sufficit itaque id, quod vocabulo ſignificatur, eſſe poſſibile, & hoc a poſteriori cognoſci, dum iſtiusmodi judicia ferimus. Neque abhorret ſignificatus a communi uſu loquendi. Quando enim alteri imputamus actionem, dicere ſolemus: tu es cauſa ejus, quod mihi contigit, v. gr. quod inebriatus fuerim, ſi quidem ad potandum nos compulit. Solent autem homines in imputandis actionibus ſubinde aberrare a vero, ubi non perpendunt, utrum in poteſtate alterius fuerit, nec ne, ut non ageret, quando egit, & ut ageret, quando non egit, & num agere, vel non agere debuerit.

§. 529.

Quenã imputari nequeãt.

Quoniam homini imputari nequeunt actiones, niſi liberæ (§. 528), actiones autem naturales liberæ non ſunt (§. 12); *actiones naturales per ſe homini imputari non poſſunt.*

Ita ſi ventriculus male digerit cibum, mala cibi digeſtio imputari nequit. Studio autem dico, actiones naturales per ſe non poſſe imputari homini. Patebit enim deinceps, quod actione quadam libera ſuperveniente imputari queant. Ex accidente igitur eſt, quod, quæ per ſe imputari non poſſunt, imputari queant.

§. 530.

Cur brutis imputari nequeant actiones ipſorum.

Brutis imputari nequeunt actiones. Etenim bruta deſtituuntur voluntate & noluntate libera (§. 763 *Pſychol. rat.*), adeoque actiones eorum liberæ non ſunt. Quamobrem cum imputari nequeant actiones niſi liberæ (§. 528); brutis imputari nequeunt ipſorum actiones.

E. gr. Si equus te calcitret pedemque concutiat; actionem hanc ei imputare nequis. Si enim imputares, declarares eum pro cauſa libera tumoris pedis (§. 527), adeoque ipſi liberam tribueres actionem (§. 526): id quod a veritate abhorret (§. 763 *Pſychol. rat.*). Ipſa adeo imputationis notio reclamat, ſi bruto, ex cujus actione ſequitur, quod tibi malum eſt, imputare volueris. Hinc abſonum eſt indignari brutis damnum nobis inferentibus.

§. 531.

Cur rebus inanimatis imputari nequeant actiones ipſarum.

Rebus inanimatis imputari nequeunt ipſarum actiones. Nemo non novit, rebus inanimatis nullam competere in agendo libertatem, adeoque actiones earundem non eſſe liberas. Quoniam itaque agenti imputari nequit actio, quæ libera non eſt (§. 528); nec rebus inanimatis imputari poſſunt ipſorum actiones.

E. gr. Si ventus de tecto dejicit tegulam, qua caput vel facies vulneratur; actio hæc eidem imputari nequit. Quæ enim modo de actionibus brutorum annotavimus (*not.* §. 530); ea etiam de rebus inanimatis valent. Abſurdum igitur cenſetur indignari vento, quod tegulam dejiciens tibi vulnus inflixerit. Unde ridetur merito, qui hoc facit.

§. 532.

Imputativitatis fundamentum.

Actiones homini imputantur, quatenus liberæ ſunt. Etenim cui actio imputatur, is declaratur cauſa libera boni vel mali ex actione iſta ſibi vel aliis emergentis (§. 527). Cauſa vero libera eſt, quatenus libere agit, hoc eſt, libere actionem edit, vel non edit (§. 526). Actio igitur homini imputatur, quatenus libera eſt.

Nimirum dum actio homini imputatur, ipſi in acceptis refertur bonum vel malum, quod ex actione ejus fuit conſecutum (§. 527). Hoc autem ut fieri poſſit, neceſſe eſt, ut penes ipſum ſteterit, utrum actionem committere, an omittere voluerit. Alias enim abſonum foret, eum vel laudare, vel reprehendere, quod hoc fecerit, & urgere, ut rationem reddat cur fecerit. Unde videas, homines plebeios ipſos, quando ipſis imputatur actio, ex qua mali quidpiam conſecutum, imo pueros ipſos, ubi exquiritur ratio, ad hanc confugere excuſationem, quod penes ipſos non ſteterit, ut non facerent, & in eadem verba erumpere, ubi excuſant alios, quibus factum aliquod imputatur. Afferuntur ſubinde rationes, cur penes agentem non ſteterit, ut non faceret, veluti quod malum ex actione conſecuturum prævidere non potuerint. Unde facile liquet, hominum animis quaſi natura inſitum eſſe hoc principium, non poſſe imputari actionem, niſi quatenus libera, hoc eſt, neminem teneri de eo, quod ex actione ſua conſecutum, niſi quatenus ea fuit libera. Fundamentum adeo Imputativitatis actionis in eo conſiſtit, quod ſit libera, ſeu quod dependeat actio a libera voluntate vel noluntate (§. 12). Unde liquet, nos uſui loquendi convenienter imputationem explicaſſe (§. 527).

Digitized by Google

§. 533.

Imputa-tivitas quid ſit.

Imputativitas actionis eſt dependentia a libertate animæ in volendo & nolendo.

Nimirum per imputativitatem actionis intelligimus id, quod actioni hominis hanc ſuperaddit qualitatem, ut imputari poſſit. Quoniam itaque actiones homini imputantur, quatenus ſunt liberæ (§. 532); imputativitas in alio conſiſtere nequit, niſi in dependentia a libertate animæ (§. 12), quæ eidem tam in volendo, quam in nolendo competit (§. 942 *Pſychol. empir.*).

§. 534.

Imputa-tivitas actionum natura-lium.

Si actiones, quæ in ſe ſpectatæ naturales ſunt, quomodocunque a libertate hominis dependent; eædem homini imputari poſſunt. Etenim ſi actiones naturales a libertate hominis quomodocunque dependent, eatenus liberis accenſendæ ſunt (§. 12). Quoniam itaque actiones homini imputantur, quatenus liberæ ſunt (§. 532); actiones quoque, quæ in ſe ſpectatæ naturales ſunt, ſi quomodocunque a libertate hominis dependent, eidem imputari poſſunt.

E. gr. Cibos digerit ventriculus & hæc actio naturalis eſt. Quodſi male digerit cibos, unde deinceps alia incommoda conſequuntur, actio hæc homini per ſe imputari nequit (§. 529). Enimvero ſi crapula contraxiſti imbecillitatem ventriculi, ne cibos, prout par eſt, digerat, quam evitare & poteras, & debebas; actio ventriculi cibos male digerentis a libertate voluntatis dependet, quatenus eadem abuſus es, atque hoc pacto digeſtio cibi male facta tibi imputatur. Nimirum cum penes te ſteterit abſtinere a crapula; penes te etiam ſtetit impedire, ne ventriculus male digerat cibos. Tibi itaque cum imputari poſſit crapula, digeſtio quoque cibi male facta recte imputatur. Imo videmus vel imperitiſſimos hominum in hoc caſu actionem ventriculi imputare homini crapulæ dedito ob rationem, quam paulo ante allegavimus (*not.* §. 532). Hinc quando de mala digeſtione conqueritur, dicere ſolent: nullam ipſi eſſe conquerendi cauſam, cum aliud non voluerit. In vernacula dicere ſolemus: *Er habe es nicht beſſer haben wollen.*

§. 535.

Actiones brutorũ quando homini imputen-tur.

Actiones brutorum homini imputantur, quatenus eas non impedivit, cum poſſet. Etenim ſi quis actionem bruti non impedivit, quam impedire poterat; libere omittit actionem, quam edere poterat (§. 941 *Pſychol. empir.*). Quamobrem ſi ex omiſſione ejus conſequitur actio bruti, unde porro ſequitur, quod ipſi vel aliis bonum aut malum eſt; hoc ipſum ex omiſſione ejus libera conſequi cenſetur, cum non ponatur, niſi poſita omiſſione ipſius libera, adeoque pro cauſa libera ejuſdem recte habetur (§. 526). Quoniam itaque ipſi imputatur actio privativa, unde pendet actio bruti (§. 527); quin actio etiam bruti eidem imputanda veniat, dubitandum non eſt.

Nimirum quod brutum facit, ipſe feciſſe putandus eſt, quatenus non impedivit, ne faceret, cum poſſet. Principium hoc fœcundiſſimum eſt, cum plures caſus particulares ſub ſe comprehendat. Eſt vero idem uſu receptum, cum quotidie videamus, homines etiam imperitiſſimos actiones brutorum imputare hominibus, quæ ipſis imputari nequeunt (§. 530), ubi penes alios ſteriſſe norunt, ne agerent bruta, vel ſaltem ne agerent eo tempore locove. E. gr. Si quis noverit, canem eſſe mordacem, eumque libere per urbem vagari permittit; ipſi imputatur, ſi is mordet puerum. Similiter ſi quis avem alit, quæ ſuavi ſuo cantu demulcet aures vicinorum; ipſi imputatur avis cantus: quemadmodum ex adverſo imputatur latratus canis, qui noctu moleſtus eſt vicinis, ne ſomno indulgere queant.

§. 536.

§. 536.

Quando imputari nequeãt.

Actiones brutorum homini imputari nequeunt, ſi eas nullo modo impedire potuit. Etenim ſi actionem bruti nullo modo impedire poteſt, nec fieri poteſt, ut a libertate ejus ullo modo dependeat (§. 941 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum nulla adſit actio hominis, quæ ipſi imputari poſſit (§. 532), & ex qua actio bruti ſequatur; nulla adeſt ratio, cur actio bruti eidem imputetur. Quoniam itaque absque ulla ratione nihil ipſi imputari poteſt (§. 70 *Ontol.*); nec actio bruti eidem imputari poteſt, ſi eam impedire nullo modo potuit.

Nimirum quando homo actione aliqua libera ſive privativa, ſive poſitiva, ad actionem bruti concurrit; actio bruti ſpectatur quaſi ipſius actio, ut ipſe egiſſe videatur, quod fecit brutum. Enimvero quando nulla actione ad actionem bruti concurrit, nec actio bruti cenſeri poteſt quaſi ab ipſo profecta. Ceſſat itaque in caſu poſteriori omnis imputationis ratio, quæ datur in priori. Sive adeo tuum ſit brutum, ſive alienum, quoad actionem ipſius unum idemque eſt.

§. 537.

Alia ratio cur imputentur homini actiones brutorũ.

Actiones brutorum homini imputantur, quatenus ad eas actione poſitiva libera quacunque concurrit. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo ante oſtendimus (§. 535), actiones brutorum homini imputari, quas non impedit, cum impedire poſſet.

Nimirum actiones brutorum homini imputantur, quatenus ab actione ejus libera dependent, ſeu nonniſi hac poſita ponuntur. Quoniam vero imputativitas conſiſtit in dependentia a libertate animæ in volendo & nolendo (§. 533); quoad imputationem perinde eſt, ſive poſitiva fuerit actio, ſive privativa, ſi non quæſtio fuerit niſi de eo, an imputanda veniat. E. gr. Si quis inſtigat canem, ut irruat in puerum, atque is eum mordeat; actio canis inſtiganti imputatur: neque enim canis momordiſſet puerum, niſi inſtigatus fuiſſet.

§. 538.

Quando actiones rerũ inanimatarum homini imputentur.

Actiones rerum inanimatarum homini imputantur, quatenus eas vel earum effectum inde pendentem non impedivit, cum impedire poſſet. Demonſtratur hæc propoſitio eodem modo, quo paulo ante oſtendimus (§. 535), actiones brutorum homini imputari, ſi eas non impedivit, cum poſſet.

Actiones rerum inanimatarum non minus naturales ſunt, quam brutorum, nec rebus inanimatis imputari poſſunt actiones ſuæ (§. 531), quemadmodum brutis non imputantur ſuæ (§. 530). Unde quoad hominem utræque ſeſe habent ut actiones, quæ naturales ſunt & agenti ſuo imputari nequeunt. Imputantur autem homini actiones brutorum propter dependentiam a libera ipſius actione privativa (§. 535). Quamobrem propter eandem dependentiam imputandæ eidem etiam veniunt actiones rerum inanimatarum. E. gr. Si quis prævidet grandinem orbibus vitreis feneſtrarum damnum daturam, nec has removet, cum eas removere ſicque damnum præcavere poſſet; actio grandinis eidem imputatur. Quodſi neges imputari actionem grandinis, qua damnum datum, ſed actionem privativam propriam, qua damnum dari permiſſum; negandum quoque eſt, poſſe homini imputari actionem bruti, vel actionem alienam liberam hominis. Quoniam vero omnes concedunt, factum alienum hominis nobis imputari poſſe, quod etiam deinceps demonſtraturi ſumus; nulla ſane ratio eſt, cur non etiam actio rei inanimatæ, veluti in exemplo dato actio grandinis, eidem imputari recte dicatur. Sane ubi demonſtraturi ſumus imputationem facti alieni, ad quod nonniſi privativa actione concurrimus, liquido conſtabit, non aliam eſſe rationem imputationis facti alieni humani, quam imputationis actionis rei inanimatæ, ſcilicet dependentiam actionis alienæ ab actione quadam privativa libera propria. Reges Mexicani ſub initium regni promittebant, ſe effecturos, ut Sol juſto tempore oriatur & occidat, ut pluat, quoties e re fuerit, ut terra fruges proferat, propterea quod populus ſibi perſua-

perſuaderet, hæc a libera voluntate Regum pendere: quæ perſuaſio etſi ſtulta in ſe eſſet, non tamen a veritate abhorrebat, quod ſtanre eadem hæc Regibus ſuis imputarent. Quodſi enim cauſarum phyſicarum actiones directioni noſtræ ſubſunt, utique nobis imputari poſſunt (§. 527).

§. 539.

Altera imputādi ratio.

Actiones rerum inanimatarum nobis imputari poſſunt, quatenus eædem a libera noſtra actione quadam poſitiva pendent. Oſtenditur eodem modo, quo ſupra oſtendimus actiones brutorum in caſu ſimili nobis imputandas (§. 537).

Fertilitas agri dependet ab actionibus cauſarum phyſicarum. Eædem tamen imputantur colono, quatenus induſtria cultura eaſdem promovit, qua non accedente nec cauſæ phyſicæ effectum iſtum produxiſſent. Incendiario imputatur conflagratio ædium, quia pendet ab incenſione, actione poſitiva ejuſdem libera. Propoſitio præſens & præcedens ſunt principia admodum fœcunda, communi omnium conſenſu approbata, ut naturæ humanæ inſita ſpectari poſſint. Caſus quotidie obvii ſunt, in quibus hominibus imputantur rerum inanimatarum actiones, quæ non ponuntur niſi poſitis actionibus hominum liberis tam privativis, quam poſitivis.

§. 540.

Quando imputari nequeāt.

Actiones rerum inanimatarum homini imputari nequeunt, ſi eas nullo modo impedire potuit. Oſtenditur eodem modo, quo ante evicimus (§. 536), actiones brutorum homini imputari non poſſe, ſi eas nullo modo impedire potuit.

Ita homini imputari nequit actio fulminis, quo ædes, quas incolit, tanguntur, nec actio grandinis, qua ariſtæ in agro conteruntur, nec actio venti, qua tegulis dejectis damnum infertur tecto.

§. 541.

Principium generale imputationis actionis brutorum & rerum inanimatarum.

Actiones rerum inanimatarum & brutorum homini imputari nequeunt, niſi quatenus non ponitur effectus eiſdem debitus, niſi poſita quadam hominis actione vel privativa, vel poſitiva libera. Imputantur homini actiones brutorum (§. 535) & actiones rerum inanimatarum, quatenus eas non impedivit, cum impedire poſſet (§. 538), conſequenter quatenus ab actione ipſius privativa libera dependenr (§. 24 *Phil. pract. univ.* & §. 941 *Pſychol. empir.*). Similiter eidem imputantur actiones brutorum (§. 537) & rerum inanimatarum, quatenus ad eas actione quadam poſitiva libera concurrit, vel eædem ab hac dependent (§. 539). Non autem imputari poſſunt, ſi neque ab actione quadam ipſius privativa (§. 536. 540), neque ab actione quadam poſitiva libera dependent (§. 528). Quoniam itaque imputativitas in dependentia a libertate animæ in volendo & nolendo conſiſtit (§. 533); ſi qua brutorum vel rerum inanimatarum actio neque a privativa quadam, neque poſitiva actione hominis libera dependet, nulla prorſus adeſt ratio, cur eidem imputari poſſit. Quamobrem cum ſine ratione ſufficiente imputationi locus non ſit (§. 70 *Ontol.*); actiones rerum inanimatarum & brutorum homini imputari nequeunr, niſi quatenus non ponitur effectus eiſdem debitus, niſi poſita quadam hominis actione vel privativa, vel poſitiva libera.

Habe-

Habemus hic principium generale imputationis actionum tam brutorum, quam rerum inanimatarum, quo cognitis circumſtantiis ſemper definire licet, utrum actiones iſtæ homini imputari poſſint, nec ne. Ceterum & hic, & in ſequentibus tenendum, nos hic loqui de imputatione actioonm, quatenus per naturam hominis obtinet, non vero de imputatione in ſtatu civili, in quo ea perinde ac obligatio naturalis multum reſtringitur, quemadmodum ſuo loco conſtabit.

§. 542.

Senſationes quando homini imputari poſſint.

Si ex decreto animæ ob ſenſationes prævisas ſitus corporis mutatur; ſi ex eodem decreto ſitus corporis non mutatur ſenſationum prævisarum gratia, nec alio quocunque modo impeditur, ne ſenſibile aliquod in organum ſenſorium agat; ſi denique ex decreto animæ quid agas eo fine, ut ſenſibile quodpiam percipias, aut quid eo fine ab aliis fieri jubeas; ſenſationes imputari homini poſſunt. Senſationes, in ſe ſpectatas, eſſe actiones naturales, ex earum notione (§. 65 *Pſychol. empir.*) & notione actionum naturalium liquet (§. 12). Accenſentur autem eædem actionibus liberis in omni hypotheſi propoſitionis præſentis (§. 16). Quamobrem cum actiones naturales homini imputentur, quæ quomodocunque a libertate voluntatis ejuſdem dependent (§. 534); in omni hypotheſi propoſitionis præſentis ſenſationes homini imputandæ veniunt.

Ponamus nos in templo, dum benedictio impertitur, oculos convertere in imaginem in altari depictam & oculis io ea defixis animum avocari ab actu benedictionis, quem ad eundem attentum afferre debebamus; ſenſatio, nempe viſio imaginis, nobis imputatur, quatenus oculos ab eadem avertere, vel hiſce depreſſis aut in altum ſublatis impedire poteramus, ne videremus imaginem devotionem turbaturam. Quodſi ad noſmetipſos animum advertere voluerimus, non deerunt exempla ceteros propoſitionis caſus illuſtratura. Ceterum hinc intelligitur, quanta debeat eſſe attentio ad actiooes noſtras, ne nobis imputari poſſint: id quod ulterius ex ſequentibus eluceſcet.

§. 543.

Quando ſenſationes imputari nequeat.

Si ſitus corporis non pendet a decreto animæ ob ſenſationes prævisas harumve gratia determinatur, nec a nobis impediri poteſt, ne ſenſibile in organum ſenſorium agat, nec quicquam eo fine agis, ut ſenſibile quoddam percipias, aut eo fine ab alio fieri jubes; ſenſatio tibi imputari nequit. Etenim in hypotheſi propoſitionis præſentis ſenſatio actio naturalis eſt (§. 17), adeoque nullo modo a libertate voluntatis dependet (§. 12). Quamobrem cum actiones naturales homini per ſe imputari nequeant (§. 529), nec imputari poſſint, niſi quatenus quomodocunque a voluntatis libertate dependent (§. 534); in hypotheſi propoſitionis præſentis ſenſatio homini imputari nequit.

Ponamus te in platea euntem conſpicere ex improviſo ioimicum tibi ioſidiantem & in terrorem conjici, ut pede vacillante extorqueatur articulus: viſio ioimici tibi imputari nequit, unde luxatio pendet, cum neque in publicum proceſſeris, ut eum conſpiceres, nec penes te ſteterit impedire, quo minus conſpiceres.

§. 544.

Quando imputetur attentio.

Si ex decreto animæ attentionem dirigis in objectum, a quo eandem avertere poteras, vel oculum viſibili directe obvertis, vel directe obverſum in hoc ſitu detines; attentio tibi imputanda. In hypotheſi enim propoſitionis attentio actio libera eſt (§. 18. 19). Quamobrem cum actiones homini imputentur, quatenus

Digitized by Google

tenus liberæ ſunt (§. 532); attentio in hypotheſi propoſitionis præſentis tibi imputanda venit.

Ita Davidi imputatur attentio, quam ad conſpectum genuum nudorum Bathſebæ attulit, pravarum cupiditatum cauſa. Etenim ex circumſtantiis colligitur, quod eam in nuda genua Bathſebæ direxerit, oculis directe iisdem obverſis atque in hoc ſitu detentis. Penes ipſum ſtabat oculos dirigere in aliud objectum & animum ab eo avocare, quod pravis cupiditatibus eum inquinari poterat.

§. 545.

Quando actus imaginationis imputandi.

Si attentionem dirigis in quidpiam ſenſu perceptum vel in phantaſma aliquod, a quo eandem avertere poteras, vel in alterutro illam conſervas, cum retrahere poſſes; vel ſi vocabulorum ope phantaſma aliquod in te excitare ſtudes, vel per operationes mentis elicis ea, quæ ad conſtituendum phantaſma aliquod concurrere debent; vel ſi phantaſma, quod reproducitur, repræſentat rem libere perceptam; actus imaginationis imputandus venit. Nimirum in omni hypotheſi propoſitionis præſentis actus imaginationis accenſetur actionibus liberis (§. 20. 21. 22), adeoque iis, quæ a libertate animæ dependent (§. 12). Quoniam itaque actiones homini imputantur, quatenus ſunt liberæ (§. 532); quin in omni hypotheſi propoſitionis præſentis actus imaginationis imputandi veniant, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe nemo non videt.

Non igitur eſt, quod in caſu primo excipias tibi imputari non poſſe, quod hoc, vel iſtud in mentem venerit, neque enim ut veniret voluiſſe. Utique enim penes te ſtetit, ut impedires, quo minus in mentem veniret. E. gr. Si quid ideo in mentem venit, quod in objectum præſens attentionem dirigis, quemadmodum obtinet in caſu primo: penes te erat attentionem in idem non dirigere, conſequenter impedire, quo minus hoc in mentem veniret. Similiter in caſu tertio fieri non poterat, ut in mentem veniret, quod vidiſti, vel audiviſti, ſiquidem id non videre, vel non audire voluiſſes. Equidem non nego fieri poſſe, ut quem ſubinde ignorantia invincibilis vel error invincibilis excuſet; ſed in præſenti nobis ſermo eſt, quid obtineat, ſi præter ea nihil ponatur, quæ in hypotheſeos propoſitionis præſentis parte quacunque ſumuntur. Relegenda hic ſunt, quæ ſupra annotavimus (*not.* §. 20. 21. 22), cum actus imaginationis in hypotheſibus propoſitionis præſentis actionibus liberis vindicaremus. Exempla ibidem propoſita etiam huc trahi poſſunt, modo ſupponas, quod in imputatione ſemper ſupponendum (§. 527), ex actu imaginationis conſequi, vel quomodocunque ab eodem pendere, quod tibi vel alteri bonum aut malum eſt. Ceterorum enim phantaſmatum tanquam in vanum abeuntium nulla habetur ratio.

§. 546.

Memoriæ actus quando imputetur.

Si quid memoriæ mandamus, vel diu eadem retinere ſtudemus, ut ejus facile meminiſſe, non autem oblivisci poſſimus; actus memoriæ nobis imputantur. In hypotheſi enim omni propoſitionis præſentis actus memoriæ actionibus liberis accenſendi veniunt (§. 23). Patet igitur ut ante (§. 545), actus memoriæ in omni hypotheſi propoſitionis præſentis imputandos eſſe.

E. gr. Ponamus te continuo meditari offenſam ejus, qui te injuria affecit, ut exacerbetur animus (§. 862 *Pſychol. empir.*). Quodſi poſthac offenſa quotidie in mentem venit, neque eam oblivioni dare poſſis, etiam ſi velis; tibi imputandum, quod eam adeo firmiter memoriæ infixeris, cum initio, quando in eam veniebat, attentionem ab eadem avocare & aliorſum dirigere poſſes, ne poſthac adeo facile recurreret. Obiter hic obſervamus, hinc & ex ceteris, quæ de actibus ad facultatem cognoſcitivam pertinentibus imputandis demonſtrantur, eluceſcere, quam non modo neceſſe ſit Pſychologiam probe perſpectam eſſe, ut theoriam imputationis animo rite comprehendas, verum etiam ut caveas, ne multa tibi

moleſta imputari poſſint, & ut efficias, multa tibi jucunda imputari poſſe. Magnum enim ad felicitatem præſidium in eo poſitum eſt, ne moleſta imputari & jucunda ex adverſo nobis imputari queant.

§. 547.

Quando oblivio imputetur.

Si quas ideas, quarum reproductio in poteſtate tua eſt, longo tempore reproducere nolis, vel attentionem ab objecto, quod percipis, ſtatim avertis, cum eam in eodem retinere poſſes, vel ejus, quod ſemel percepiſti, ideam reproducere negligis, cum reproducere poſſes; oblivio imputanda venit. Nimirum in omni hypotheſi propoſitionis præſentis oblivio actionibus liberis accenſenda venit (§. 25). Quamobrem cum actiones homini imputentur, quatenus ſunt liberæ (§. 532), & imputentur non minus privativæ, quam poſitivæ (§. 527); oblivionem imputandam eſſe in omni propoſitionis præſentis hypotheſi, dubitandum non eſt.

Ita diſcipulo imputatur oblivio eorum, quæ didicerat, quia ea repetere neglexit. Monuimus jam in ſuperioribus (*not. §. 25*), oblivionis magnum momentum eſſe in imputatione: id quod adeo evidens eſt, ut vel imperitiſſimi hominum non admittant excuſationem ab oblivione petitam, ſiquidem eam a libera noſtra voluntate quomodocunque dependentem ſibi repræſentant. Neque tamen quis reprehendat, operoſe inculcari, quæ vel imperitiſſimis nota ſunt. Ut enim taceam, philoſophum etiam rationem reddere debere eorum, quæ imperitiſſimis nota ſunt, & principiis uti debere pervulgatis, quemadmodum *Euclides* uſus principiis notiſſimis, quod *totum ſit majus ſua parte*, & quod *æqualia eidem tertio ſint inter ſe æqualia*, ubi methodo demonſtrativa ſyſtema veri nominis condere voluerit; id probe perpendi velim, ad determinatas notiones a nobis revocari, quæ vulgo imperfecte agnoſcuntur, ne in principiis applicandis hæſitemus, vel a vero aberremus. Sane omnes vulgo agnoſcunt oblivionem nobis eſſe imputandam, ſi a libera noſtra voluntate dependet, ita ut penes nos ſteterit eandem declinare. Enimvero ſi quæſiveris, quandonam pendeat a libera voluntate noſtra, quandonam non pendeat; vulgo non ſatis perſpectum eſt. Noſtrum adeo eſt, ut doceamus, quandonam id fiat. Quamdiu autem hoc ignoratur, oblivionem in excuſationem vertes, ubi excuſationi minime ſervit.

§. 548.

Quando actus imaginationis & memoriæ extenſæ privativi imputentur.

Si quis imaginationem & memoriam extendere negligit, cum poſſet; actus ea de cauſa ceſſantes imputantur. Tum enim actus, qui ceſſant, ſunt facta omiſſionis (§. 26), adeoque actiones privativæ liberæ (§. 24). Quamobrem cum actiones etiam privativæ (§. 527) imputentur, quatenus liberæ (§. 532); quin actus imaginationis & memoriæ ea de cauſa ceſſantes, quod utramque extendere neglexeris, cum poſſes, imputandi veniant, dubitandum non eſt.

Diſcimus hinc, quam late pateat imputatio, quodque omnem ejus amplitudinem perſpicere nequeant, qui in Pſychologia peregrini ac hoſpites ſunt.

§. 549.

Quando ignorantia imputãda.

Ignorantia vincibilis in caſu ſingulari imputanda eſt. Etenim ignorantia vincibilis in caſu ſingulari accenſenda eſt actionibus liberis (§. 29). Quamobrem cum actiones homini imputentur, quia liberæ (§. 532); ignorantia etiam vincibilis in caſu ſingulari imputanda.

Relegenda hic ſunt, quæ de ignorantia vincibili actionibus liberis accenſenda annotavimus (*not. §. 29*). Ceterum ex propoſitione præſente liquet, fruſtra ad ignorantiam provocare ſeſe excuſaturos, quod hoc fecerint, vel non fecerint, quando ea vincibilis. Et intelligitur hinc veritati conſentaneum eſſe Canonem iſtum pervulgatum: *Ignorantia vincibilis non excuſat.*

§. 550.

§. 550.

Quando imputari nequeat.

Ignorantia invincibilis imputari nequit. Ignorantia enim invincibilis a nobis evitari non poteſt (§. 28), conſequenter nullo modo a libertate dependet (§. 941 *Pſychol. empir.*), atque adeo nec actio libera eſt (§. 12). Quoniam itaque actiones homini imputari non poſſunt, niſi quæ liberæ ſunt (§. 528); ignorantia invincibilis imputari nequit.

Ignorantiam eſſe actionem privativam ex notionibus ignorantiæ (§. 27) atque actionis privativæ (§. 24) liquet. Quia ignorantia invincibilis imputari nequit, ea in excuſationem facti tam commiſſionis, quam omiſſionis vertitur. Unde Canon pervulgatus: *Ignorantia invincibilis excuſat.*

§. 551.

Quando error imputetur.

Error vincibilis in caſu ſingulari imputandus eſt. Quoniam error vincibilis in caſu ſingulari actionibus liberis accenſendus (§. 31); eodem modo oſtenditur, quod in caſu ſingulari imputandus veniat, quo ſupra (§. 549) oſtendimus, ignorantiam vincibilem in caſu ſingulari imputandam eſſe.

Relegenda hic ſunt, quæ ſupra (*not.* §. 31) annotavimus, cum errorem vincibilem in caſu ſingulari actionibus liberis vindicaremus.

§. 552.

Quando imputari nequeat.

Error invincibilis imputari nequit. Quoniam error invincibilis evitari a nobis nequit (§. 30); eodem prorſus modo oſtenditur, eum nobis imputari non poſſe, quo ſupra evicimus (§. 550), ignorantiam invincibilem imputari non poſſe.

Facilius videtur vincere errorem, quam ignorantiam. Difficilius tamen eſt in caſu dato judicium, utrum quis errorem, quem fovet, vincere potuerit, nec ne. Mittimus jam diſtinctiones erroris, quæ in doctrina morali uſum pollicentur, cum alio loco commodius eaſdem expendamus.

§. 553.

Quænam actiones ex ignorantia vel errore profectæ imputentur.

Actiones tam privativæ, quam poſitivæ, ex ignorantia & errore vincibili profluentes, imputantur homini. Etenim ignorantia & error vincibilis in caſu ſingulari imputantur (§. 549. 551). Quamobrem etiam imputandæ ſunt actiones tam privativæ, quam poſitivæ, quæ ex ignorantia & errore vincibili profluunt.

Nimirum quoniam, ſi vincibilis eſt ignorantia vel error, penes te ſtetit, tam illam, quam hunc evitare (§. 28. 30); penes te etiam ſtetit, quod feciſti, non facere, & quod non feciſti, facere. Eatenus itaque actio ſive privativa, ſive poſitiva cenſetur libera, quatenus ignorantia vel error, unde pendet, actionibus liberis accenſetur. Unde cum actiones imputentur, quatenus liberæ ſunt (§. 532); quin actiones tam privativæ, quam poſitivæ ex ignorantia & errore vincibili profectæ imputandæ ſint homini, dubitari nequit.

§. 554.

Quænam non imputentur.

Actiones tam privativæ, quam poſitivæ ex ignorantia & errore invincibili provenientes imputari nequeunt. Etenim ignorantia & error invincibilis imputari nequeunt (§. 550. 552). Quamobrem nec actiones, ſive privativæ fuerint, ſive poſitivæ, ſi ex hoc fonte profluant, imputari homini poſſunt.

Nimirum quia penes te non ſtetit evitare ignorantiam & errorem invincibilem (§. 28. 30); nec libere conſenſiſti in actionem, quatenus aliquid vitii habet. Supponitur nimirum, te actionem, quam committis, fuiſſe omiſſurum, & eam, quam omittis, fuiſſe commiſſurum, niſi ignorantia vel errore invincibili laboraſſes, ita ut actionis perpetratæ cauſa unica

habeatur ignorantia vel error invincibilis. Nec obſtat, quod alias actio in ſe ſpectata libera ſit: ſufficit enim eam pro libera haberi non poſſe, quatenus vitioſa eſt, cum qua vitioſam minime intenderis.

§. 555.

Actiones ex habitu quando imputentur.

Actiones ex habitu libero exercitio acquiſito fluentes imputantur. Sunt enim liberæ (§. 35), adeoque imputantur (§. 532).

Falluntur adeo ſe excuſatius peccare, quod, dum ex habitu agunt, ſibi impoſſibile exiſtiment, quod agant aliter. Arbitrantur enim penes ſe non ſtare, ut agant aliter, adeoque actionem ipſis imputari non poſſe. Sed non advertunt, neceſſitatem agendi, quam ſibi impoſitam arbitrantur, a ſe libere fuiſſe contractam, ac ideo actiones ex habitu profluentes evitari potuiſſe, niſi eundem ſibi comparaſſent. In imputandis ſibimetipſis actionibus tanto facilius decipiuntur, qui acumine deſtituuntur, quanto lubentius obtinet, ut cauſam male factorum in alios conjiciant homines. Haud raro tamen contingit, ut aliis actiones malas vel ſibi bonas imputaturi ſibimetipſis contradicant. Acutiores enim deprehenduntur, quando nec præjudicia, nec affectus nebulam offundunt intellectui, qua acumen debilitatur.

§. 556.

Actiones privativæ ex defectu habitus quando imputentur.

Si actio aliqua omittitur ob defectum habitus, quem acquirere potuiſſes, modo voluiſſes; factum omiſſionis imputatur. Etenim in hypotheſi propoſitionis factum omiſſionis accenſetur actionibus liberis (§. 36), adeoque imputatur (§. 532), non obſtante quod actio privativa ſit (§. 527).

Relegenda hic ſunt, quæ ſupra (*not.* §. 36) annotavimus, cum factum omiſſionis ex defectu habitus, quem acquirere poteras, modo voluiſſes, actionibus liberis vindicavimus. Si quod enim dubium remanet, cur imputandum ſit; id omne protinus evaneſcet.

§. 557.

Operationes intellectus quomodo imputandæ.

Operationes intellectus, quæ ex decreto animæ eliciuntur, imputantur. Sunt nimirum liberæ (§. 32), adeoque imputantur (§. 532).

Valet hoc de omnibus operationibus intellectus, & omnium maxime de tertia, quæ primam atque ſecundam includit.

§. 558.

Actiones ex diſpoſitione quando imputentur.

Actiones ex diſpoſitione libero exercitio acquiſita fluentes imputantur. Sunt enim liberæ (§. 33), adeoque imputantur (§. 532).

Eadem hic repetenda ſunt, quæ paulo ante (*not.* §. 555) de actionibus ex habitu libero exercitio acquiſito fluentibus imputandis annotavimus: eadem enim prorſus utrobique eſt ratio.

§. 559.

Factum omiſſionis ex defectu diſpoſitionis quando imputetur.

Si actio aliqua omittitur ob defectum diſpoſitionis, quam acquirere potuiſſes, modo voluiſſes; ea imputatur. Etenim in hoc caſu factum omiſſionis accenſendum eſt actionibus liberis (§. 34), adeoque imputatur (§. 532), non obſtante (§. 527) quod actio privativa ſit.

Relegenda hic ſunt, quæ ſupra annotavimus (*not.* §. 34), ne quid remaneat obſcuritatis.

§. 560.

Actio ex habitu amiſſo quando

Actio ceſſans ob habitum amiſſum diu libere intermiſſo ejus uſu imputanda eſt. Accenſenda enim actionibus liberis (§. 37). Unde eodem modo, quo in demonſtratione præcedente (§. 559), patet, quod imputanda veniat.

Ne

Ne propoſitio præſens in abuſum trahatur, tenenda ſunt, quæ ſupra monuimus (*not.* §. 37). *imputetur.*

§. 561.

Nolitio quando ob ignorantiam vel errorem imputetur.

Nolitio ceſſans ob ignorantiam vel errorem vincibilem imputanda eſt. Accenſenda enim actionibus liberis (§. 39). Patet itaque ut ante (§. 559), quod imputanda veniat.

Oſtenditur etiam hoc modo. Nolitio eſt actio poſitiva (§. 38). Quodſi ergo ceſſet ob ignorantiam vel errorem vincibilem; actio erit privativa ex ignorantia vel errore vincibili profecta. Enimvero actio ex ignorantia vel errore vincibili profecta imputatur (§. 553). Imputanda igitur etiam eſt nolitio ceſſans ob ignorantiam vel errorem vincibilem.

§. 562.

Quando averſatio & appetitio ſenſitiva imputetur.

Averſatio ſenſitiva ceſſans & appetitio ſenſitiva imputantur ob ignorantiam vel errorem vincibilem. Oſtenditur eodem prorſus modo (§. 40. 41), quo propoſitionem præcedentem (§. 561) demonſtravimus.

Averſatio ſenſitiva & appetitio ſenſitiva, ſi in ſe ſpectentur, actiones naturales ſunt (§. 15), adeoque per ſe homini imputari nequeunt (§. 529). Quodſi ergo imputari debent, alia ſuperaccedere debet cauſa, quæ ſufficit ut imputentur, qualem eſſe ignorantiam & errorem vincibilem conſtat (§. 549. 551).

§. 563.

Quando qua fortior imputetur appetitio & averſatio ſenſitiva.

Si ab actionibus quibuscunque liberis pendet, ut ideam boni ingrediantur plures voluptates ex re quadam vel cum eadem perceptæ, aut ideam mali plura tædia ex re quadam vel cum eadem percepta; appetitio & averſatio ſenſitiva imputatur qua fortior. Etenim in hypotheſi propoſitionis tam averſatio ſenſitiva (§. 43), quam appetitio ſenſitiva, qua fortior, actionibus liberis accenſenda (§. 42). Quoniam itaque actiones homini imputantur, quatenus liberæ ſunt (§. 532); appetitio & averſatio ſenſitiva, qua fortior, in hypotheſi propoſitionis præſentis homini imputanda venit.

Ut diſcutiantur nebulæ, quæ obſcuritatem offundere poterant, repetenda ſunt, quæ ſupra eo fine monuimus (*not.* §. 42. 43).

§. 564.

Quando actio ex defectu attentionis imputetur.

Si actio aliqua ceſſat vel editur ob defectum attentionis, quam conſervare poterat, vel cujus conſervandæ habitus a te acquiri poterat; tam actio privativa in caſu priore, quam poſitiva in poſteriore, imputanda eſt. Etenim in utroque caſu accenſenda eſt actionibus liberis (§. 44). Quoniam itaque actiones homini imputantur, quia liberæ (§. 532); quin in utroque caſu actio, tam privativa in priore, quam poſitiva in poſteriore, imputari debeat, dubio caret.

§. 565.

Actionū impoſſibilium imputatio nulla.

Quæ homini impoſſibilia ſunt, ea quod non faciat, eidem imputari nequit. Quod ſi enim homini impoſſibile eſt, ut quid faciat; per ſe patet, a libera voluntate ejus minime pendere, utrum id faciat, nec ne. Quamobrem cum actionis omiſſio ſit actio privativa (§. 24), hæc ipſa autem libera non ſit, ſi a vo-

ſi a voluntate ejus libera minime dependet (§. 12), nec imputentur actiones, niſi quatenus liberæ (§. 528); evidens omnino eſt, homini imputari non poſſe, quod non faciat, quæ ipſi impoſſibilia ſunt.

Impoſſibilia vel ſunt abſolute talia, veluti quod quis volare nequeat; vel ſecundum quid, veluti quod quis elevare nequeat pondus vires ipſius ſuperans. Quemadmodum itaque ipſi imputari nequit, quod non volet; ita etiam imputari haud quaquam poteſt, quod, cum tantummodo elevare queat pondus triginta librarum, non poſſit tollere pondus librarum ſexaginta vel majus. Loquimur nimirum hic de impoſſibilitate phyſica.

§. 566.

Cur rationis uſu deſtitutis non imputentur actiones.

Qui rationis uſu deſtituuntur, iis actiones imputari nequeunt. Quoniam anima libera eſt, quia ratione prædita (§. 528 *Pſychol. rat.*); qui rationis uſu deſtituuntur, eorum actiones liberæ non ſunt. Quamobrem cum homini imputari nequeant actiones niſi liberæ (§. 528); nec rationis uſu deſtitutis actiones imputari poſſunt.

Nimirum inter hominem rationis uſu deſtitutum & brutum, quod ratione caret (§. 762 *Pſychol. rat.*), nulla quoad actiones eſt differentia. Quemadmodum itaque brutis imputari nequeunt actiones (§. 530); ita nec hominibus, qui rationis uſu deſtituuntur, actiones ſuæ imputari queunt.

§. 567.

Cur in infantes & furioſos nulla cadat imputatio.

Infantibus & furioſis actiones ſuæ imputari nequeunt. Etenim infantes deſtituuntur uſu rationis (§. 459 *Pſychol. rat.*), nec eſt, qui de furioſis idem neget. Quoniam itaque iis, qui rationis uſu deſtituuntur, actiones ſuæ imputari nequeunt (§. 566); nec infantibus & furioſis actiones ſuæ imputari poſſunt.

Nemo eſt, qui infantibus & furioſis actiones ſuas imputet. Nec eſt quod excipias, eos plagis affici & verberibus ob actiones perpetratas. Neque enim id fit eo fine, ut puniantur; ſed ut ab iis denuo patrandis deterreantur. Quis enim eſt, qui neſciat hoc modo etiam coerceri bruta, quibus actiones ſuæ imputari nequeunt (§. 530)?

§. 568.

Impotentia agendi quando imputetur.

Impotentia agendi quomodocunque a libertate voluntatis dependens, conſequenter actiones per eandem ceſſantes, homini imputari poſſunt. Etenim impotentia agendi, ob quam ceſſat in dato caſu actio, ſi quomodocunque a libertate voluntatis dependeat, perinde ac actio ob eam ceſſans privativa (§. 24), actionibus liberis accenſenda venit (§. 12). Quamobrem cum actiones homini imputentur, quatenus ſunt liberæ (§. 532); quin impotentia agendi quomodocunque a libertate voluntatis dependens, conſequenter & actio per eandem ceſſans, homini imputanda ſit, dubitandum non eſt.

Eodem modo hic ſeſe res habet, quemadmodum cum ignorantia & errore vincibili, per ſe non imputandis, niſi quatenus a libertate animæ dependent. E. gr. Si quis pollicem dextrum ſibi amputet, ut ad militiam ineptus ſit, ei imputatur impotentia functiones militis obeundi.

§. 569.

Quando ſomnium imputetur.

Somnia per ſe homini imputari nequeunt; imputantur autem ſomnia & ea, quæ in ſomnio nobis agere videmur, eo in caſu, quo actus imaginationis nobis imputantur, & ſi ſomnii cauſa ſit aliqua actio libera præcedens. Dum enim ſom-

nia-

niamus, res, quas percipimus, imaginamur (§. 122 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum nemo non in ſeipſo experiatur, penes ſe non ſtare, utrum ſomniare velit, nec ne, & utrum hoc potius in ſomnio percipiat, an aliud; ſomnia in ſe ſpectata actiones liberæ non ſunt (§. 12). Quoniam itaque homini non imputantur actiones, niſi quia liberæ ſunt (§. 528); ſomnia in ſe ſpectata ſeu per ſe homini imputari nequeunt. *Quod erat primum.*

Somnia conſtant ex actibus imaginationis (§. 122 *Pſychol. empir.*). Dantur autem caſus, in quibus actus imaginationis imputandi veniunt (§. 545). Quamobrem ſi ſomnium conſtet ex actibus imaginationis, qui imputari poſſunt; quin ſomnia & ea, quæ in ſomnio nobis agere videmur, eo in caſu nobis imputari queant, dubitandum non eſt. *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi ſomnii cauſa ſit actio quædam libera præcedens; penes nos ſtetit vel ſomnium ſimpliciter evitare, vel ſaltem impedire, ne tale eſſet ſomnium, & ne hoc per ſomnium agere nobis videremur. Somnium itaque vel ſimpliciter, vel ſaltem qua tale, & ea, quæ per ſomnium agere nobis videmur, a libertate animæ dependent (§. 56. 851 *Ontol.*), adeoque tam ſomnium, quam ea, quæ per ſomnium nobis agere videmur, actionibus liberis accenſenda veniunt (§. 12). Quoniam itaque actiones homini imputantur, quatenus liberæ (§. 532); quin ſomnia & ea, quæ per ſomnium nobis agere videmur, nobis imputanda veniant, ſiquidem ſomnii cauſa fuerit actio aliqua libera præcedens, dubitandum non eſt. *Quod erat tertium.*

Piſcator quidam per ſomnium, referente *Theocrito Idyl.* 22 ſibi juraſſe viſus fuerat, quod in mari non amplius pedem eſſet poſiturus. Hoc ipſi juramentum imputari non poterat, adeoque nulla ejus religione tenebatur. Enimvero ſi quis laſcivis cogitationibus indulget, & per ſomnium in complexu venereo pollutionem nocturnam patiatur; quæ ſibi per ſomnium agere videtur, ea ipſi imputanda veniunt. Similiter ſi quis antequam cubitum eat, multa cum attentione legerit narrationes de Spectris, & noctu per ſomnium ipſi objiciantur terriculamenta; ſomnium hoc eidem imputari poteſt. Imo in genere imputantur, quæ quis per ſomnium ſenſu percipere videtur, ſi talia fuerint, quæ ſenſu antea libere percepit, & actiones omnes imputantur, quas vigilans patrare conſuevit, vel patrare ſaltem cupivit. Per ſe autem patet, cum deſit actus externus, imputationem non excedere actum voluntatis.

§. 570.

Actiones in ſomno editæ imputari agenti nequeunt. Etenim in ſomno nullius, quod præſens eſt, nobis conſcii ſumus (§. 119 *Pſychol. empir.*), conſequenter nec ejus nobis conſcii ſumus, quod agimus. Quamobrem nec fieri poteſt, ut actiones iſtæ a libertate animæ dependeant (§. 929. 941 *Pſychol. empir.*). Actiones igitur iſtæ liberæ non ſunt (§. 12), adeoque imputari nequeunt (§. 528). *Actiones in ſomno editæ an imputari poſſint.*

Si quis per ſomnum brachio hinc inde moto percutit ſocium juxta ſe decumbentem; actio hæc ipſi imputari nequit.

§. 571.

Actiones veræ ſomniantibus imputari nequeunt, niſi quatenus cauſa phantaſmatis, unde pendeat, eſt libera actio præcedens. Etenim ſi cauſa phantaſmatis, *Quando actiones veræ*

ſomniantibus imputãdæ.

tis, unde pendet actio vera ſomniantis, eſt libera actio præcedens; phantaſma a libertate animæ dependet, conſequenter ab hac quoque dependet vera ſomniantis actio, quæ ab hoc phantaſmate dependet. Enimvero cum libera ſit actio, quæ a libertate animæ dependet (§.12); actio etiam ſomniantis in hoc caſu liberis accenſenda venit. Quamobrem cum actiones homini imputentur, quatenus ſunt liberæ (§.532); actiones etiam veræ ſomniantibus imputandæ, quatenus actio quædam præcedens libera eſt cauſa phantaſmatis, unde pendent. *Quod erat unum.*

Quoniam vero extra hunc caſum phantaſma a libertate minime pendet animæ, unde actio proficiſcitur; evidens eſt, nec hanc a libertate animæ pendere. Quamobrem cum ea actionibus liberis accenſeri nequeat (§.12), actiones autem non imputentur niſi quatenus liberæ (§.532); nec actio vera ſomnianti imputari poteſt. *Quod erat alterum.*

Caſus rariores ſunt, in quibus ſomniantes revera agunt, rariſſimæ autem ſunt actiones veræ, quæ ipſis imputari poſſunt. Quamobrem non opus eſt, ut de exemplis multum ſimus ſolliciti. Ne quid tamen prætermiſiſſe videamur, propoſitionem ſequentem addere lubuit.

§. 572.

Noctambulis num imputandæ actiones.

Noctambulis ſeu ſomnambulis actiones veræ imputari nequeunt, quas perpetrant. Quoniam ſomnambuli proprie dicuntur ii, qui dormientes noctu e lecto inſcii ſurgunt, & dormientes ambulant ac vigilantium opera perpetrant, quorum tamen mane e ſomno excitati non recordantur, quemadmodum videre eſt apud *Sennertum* Medicinæ practicæ lib. 1. part. 2. c. 19. Operum Tom. 3. f. 120; actionum, quaſcunque agunt, ſibi non ſunt conſcii, adeoque penes ipſos non ſtat, utrum agere velint, an nolint. Actiones igitur ipſorum a libertate animæ minime dependent (§ 929. 941 *Pſychol empir.*), conſequenter liberæ non ſunt (§. 12). Quoniam itaque homini non imputantur, niſi actiones liberæ (§. 528); noctambulis actiones ſuæ imputari nequeunt.

Notatu dignum eſt exemplum, quod ex obſervationibus *Henrici ab Heer* loc. cit. refert *Sennertus* de juvene quodam, qui cum in celebri Academia Poeſin profiteretur, interdum mentem in omnia verſavit, ut verſus melius elaboraret, ſed quod vigil nequiverat, noctu præſtitit, ſurgens, pluteum aperiens, ſcribens, ſæpe alta voce, quod ſcripſerat, relegens, demum cum riſu & cachinno ſibi applaudens, atque contubernalem, ut ſecum plauderet, hortatus, poſitiſque ſandaliis & veſte, clauſo pluteo, chartiſque, ut veſpere fecerat, repoſitis, lectum repetens, ſomnumque, dum excitaretur, protrahens, omnium, quæ noctu egiſſet, ignariſſimus, mane pridiana ſollicitudine adhuc laborans, quomodo hiatus verſuum repleret, attonitus quaſi & ſollicitus, boni ne, an mali genii opus eſſet, cum chartas ad ſuum libitum impletas idque ſua manu videret. Idem, cum uxorem duxiſſet, quoties noctu, infantem cunis ereptum ut plurimum geſtans, domum perambulabat, comitanti per omnia uxori, quæcunque rogatus fuerat, pateſaciebat & ad omnia uxoris quæſita veriſſime reſpondebat, ita ut ab ambulante & quaſi dormiente, quæ a vigili nullis extorſiſſet illecebris aut artibus & quæ rogare erubuiſſet, ſimplici interrogatiuncula ſincere, & ſine fuco intelligeret: mirante poſtea ſæpius noctambulo, quomodo quæ ſecretiſſima habebat, in uxoris cor linguamque veniſſent. Oculis apertis ambulabat, nihil tamen ſe vidiſſe ſancte affirmabat. Admiramur Poetam per ſomnium verſus meliores fundentem, quam vigil facere poterat; non laudamus, quia actionem per ſomnum editam non imputamus. Non imputamus actionem, quia a libertate independentem nemo non agnoſcit actionem, quam quis

per

Digitized by Google

per ſomnum edit, cum eam vigil edere non poſſet. Miramur arcana per ſomnum effutientem, quæ vigil ſtudioſe celabat; non reprehendimus, quia defectum taciturnitatis in ſomno non imputamus, cui vigil per omnia ſatisfecit. Non imputamus, quia inſcius ac invitus arcanorum participem fecit, quam ea ignorare volebat. Hominem verſus facientem, de quo ne per ſomnium quidem cogitat, & invita loquacitate effutientem ea, quorum ſibi minime conſcius eſt, a machina non differre, Poetæ & hominis linguæ impotentis actiones imitante, palam eſt. Eidem adeo imputare, quæ facit, idem foret ac machinæ ſuas imputare actiones. Sumſimus cum Medicis, ſomnambulos nihil eorum, quæ faciunt, ſibi eſſe conſcios. Exemplum, quod adduximus, idem aperte loquitur. Negari tamen non poteſt, proſtare obſervationes, quæ contrarium inſinuare videntur. Sane idem *Heer* apud *Sennertum* loc. cit. refert, ſacerdotem quendam annorum 45 jam a quindecim annis in ſomniis mortem ſibi intentari autumaſſe, & ut plurimum ab amiciſſimis. Atque talia ſomnia terribilia ſingulis noctibus ter, quater & ſæpius recurriſſe, ſomnia hæc tam terribilia fuiſſe, ut, licet funibus vel linteis multiplici plexu connexis ſcienti, & volenti veſpere vincti fuerint pedes, furibundus tamen & quaſi alter Samſon vincula omnia ruperit, vel certe compedibus pedes expediverit, ſæpe extra lectum, imo extra cubile ſe proripuerit, tanto cum horrore, ut toto corpore concuteretur & cordis palmo teneretur. Hæc omnia ipſi apertis obſervata fuiſſe oculis, campanæ pulſum ipſum audiviſſe, horasque diſtincte numeraſſe; confeſſum ultro fuiſſe, ſola ſe libertate judicii circa ea, quæ ſpectant objectum ſomnii, privatum fuiſſe. Enimvero forſan hunc caſum ad noctambulos proprie ſic dictos non retuleris, aut eos in dormientes & ſomniantes diviſeris, ut adeo illis non imputes actiones, quia per ſomnum editæ, his vero imputare non poſſis, quia editæ per ſomnium defectu libertatis in volendo & nolendo. Sufficit adeo, quod exemplum ſacerdotis noſtri apertiſſime loquatur, actiones a noctambulis ſomniantibus deficiente actu libertatis animæ patrari. Quoniam itaque de imputatione per ſomnium factorum diximus ante (§. 571); in propoſitione ſufficiebat ſumi, quod vulgo ſumunt Medici de ſomnambulis, eos ſcilicet eorum, quæ faciunt, ſibi conſcios non eſſe. Quodſi vero addere velis: aut ea, quæ ſibi conſcii agunt, nulla judicii libertate agunt; nos minime invitos habebis. Sed talia in Phyſicis accuratius diſcutienda erunt.

§. 573.

In comate vigili actiones imputari nequeunt. Etenim in comate vigili læditur cum ſenſu communi & imaginatione ratiocinatio. Quamobrem cum uſus rationis ſeſe exerat ratiocinando (*§. 455 Pſychol. rat.*); uſus etiam rationis abeſt. Enimvero anima libera non eſt, niſi quatenus ratione prædita (*§. 528 Pſychol. rat.*), adeoque ſublato uſu rationis tollitur libertas in volendo & nolendo. Actiones itaque in comate vigili cum ab ea minime dependeant, liberæ non ſunt (§. 12). Enimvero non imputantur homini actiones, niſi quæ liberæ ſunt (§. 528). Actiones igitur in comate vigili imputari nequeunt. *Num actiones in comate vigili imputari queant.*

Qui comate vigili detinentur, ceu legere eſt apud *Sennertum* Medic. pract. lib. 1. part. 2. cap. 18. f. 119. Tom. 3. Oper. in ſomnum quidem propenſionem habent, quam etiam clauſis oculis plerumque exprimunt, dormire tamen non poſſunt, ſimulque plerique delirant, clamant aut ſomno correpti ſtatim quaſi territi aut ſpaſmo correpti brachia vel crura inordinate movent & jactitant atque excitati abſurda loquuntur, imo e lecto proſiliunt, ac nonnunquam adſtantes invadunt. Ita *Heurnio* referente ex comate vigili expergefactus monacho cuſtodi clinico, qui vigiliis defatigatus obdormiverat, caput cultro abſcidit & iterum ad ſomnum ſeſe compoſuit. Factum hoc tanquam homicidæ imputari non poterat ægroto, nec imputari poteſt aliis, quod loquantur abſurda, vel adſtantes invadant, aut quod alia dent damna.

§. 574.

Actiones ex melancholia commiſſæ imputari nequeunt. Etenim in melancholia depravari ratiocinationem in confeſſo eſt apud omnes, ut ideo pro ſpecie delirii habeatur. vid. *Sennertus* loc. cit. c. 8. f. 90. Eodem igitur, quo *An actiones ex melancolia commiſ-*

Digitized by Google

ſæ imputandæ.

quo ante modo patet (§. 573), actiones ſuas imputari non poſſe iis, qui melancholia laborant, quæ ſcilicet ex melancholia proficiſcuntur.

Sennertus loc. cit. cum *Aretæo* definit melancholiam per animi angorem in una cogitatione defixum atque inhærentem, absque febre & furore, a phantaſmate melancholico ortum. Etenim plurimæ dantur melancholiæ ſpecies, quibus omnibus convenientem definitionem reperire haud eſt facile, ut adeo mirari non debeamus, quod in eadem definienda non conſentiant Medici. Sufficit itaque ex eo, quod angor animi in una cogitatione defixus atque inhærens deprehendatur, ſatis colligi, quod nullus hic locus relinquatur ratiocinationi. Hinc ſane eſt, quod melancholia laborantibus contrarium nullo modo perſuadere poſſis, ſed quicquid molitus fueris, eos fruſtra ad ſaniorem mentem perducere conatus fueris. Nemo itaque affirmaverit, quod penes melancholicos ſtet omittere ea, quæ qua melancholici faciunt, conſequenter quod ipſis imputari poſſint actiones ex melancholia profectæ. Studio dico, ex melancholia profectæ. Neque enim in univerſum tolli rationis uſum, ſatis conſtat. Unde *Sennertus* loc. cit. melancholicorum, inquit, ratiocinatio circa unam rem falſam plerumque, quam veram eſſe credunt, aberrat, cum phantaſiæ depravatæ circa eam aſſentiantur, de reliquis prudenter & ſapienter ratiocinantur. Ita puer quidam in eo ſolum delirabat, quod ſe totius mundi monarcham credebat; de Republica vero adminiſtranda prudenter diſſerebat. Et mercator quidam apud *Foreſtum* optime ratiocinabatur, niſi quod ad extremam inopiam ſe redactum eſſe conquereretur.

§. 575.

An actiones ex amore inſano profectæ imputandæ.

Actiones ex amore inſano profectæ imputari per ſe nequeunt, niſi quatenus is a liberis actionibus dependet. Etenim amor inſanus per obſervationes Medicorum tam vehemens affectus eſt, ut, præcipue ſi diu duret, hominem quaſi ratione ſpoliet & fere delirium efficiat, notante *Sennerto* Medic. pract. lib. 1. part. 2. cap. 10. f. 94. Tom. 3. Quoniam itaque actionum ſuarum, quæ ab immodico hoc affectu pendent, compos non eſt; nec penes eum ſtat, quo minus ſe ab eodem abripi patiatur ad faciendum, quod, niſi inſaniret, non faceret, conſequenter a libertate animæ non pendent actiones, quæ hinc oriuntur (§. 941 *Pſychol. empir.*), adeoque liberis accenſendæ non ſunt (§. 12). Quamobrem cum actiones imputari nequeant, niſi quæ liberæ ſunt (§. 528); quæ ex amore inſano proficiſcuntur, per ſe imputari nequeunt. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi amor iſte inſanus ab actionibus liberis dependet; penes inſanientem ſtabat, ut malum hoc evitaret, atque adeo inſanus amor, conſequenter etiam, quæ inde fluunt, actiones a libertate animæ dependent, & hactenus liberis accenſendæ ſunt actionibus (§. 12). Imputari adeo poſſunt actiones, quatenus a liberis actionibus dependet inſanus amor, a quo proficiſcuntur. *Quod erat alterum.*

Quod amore inſano flagrantes priventur uſu rationis, ex eorum factis abunde patet. Etenim obſervante *Sennerto* loc. cit. ubi ſpem & opinionem conſequendi rem amatam concipiunt, in profundiſſimum ſæpe gaudium erumpunt, & præ gaudio multa inepta & ſtulta agunt & loquuntur, & periculis ſe non raro maximis exponunt. Ubi vero de conſequenda re amata deſperant, nec mutuum amorem reſpondere animadvertunt, lugent, dolent aue etiam iraſcuntur, interdum etiam violentas manus ſibi inferunt. Equidem qui amant, inſaniunt omnes; non tamen ideo rationis uſum amittunt, ut moniti vel ad ſe redeuntes meliora ſequi poſſint. Cavendum itaque, ne quæ de amore inſano ad delirium proxime accedente, qui per inſulſa facta a ratione maxime aliena ſe prodit, demonſtrata ſunt, promiſcue ad quemvis amorem venereum a ratione alienum applices. Pendet potiſſimum ab imaginatione; unde ſi animo recolueris, quæ de imputandis imaginationis actibus demonſtrata

ſunt

Digitized by Google

ſunt (§. 545); in caſo dato haud difficulter definies, quatenus actiones ex amore inſano profectæ imputandæ veniant.

§. 576.

An actiones ex delirio profectæ imputandæ ſint.

Actiones ex delirio profectæ imputari nequeunt. In omni delirio functiones imaginationis & ratiocinationis non rite procedunt, quemadmodum ex delirantium factis recte colligunt Medici. Eodem igitur modo oſtenditur, actiones ſuas delirantibus imputari non poſſe, quo paulo ante evicimus, non poſſe imputari actiones in comate vigili (§. 573).

Exempla deliriorum frequentiſſima ſunt & nemini fere ignota; cum febribus acutis laborantes haud raro in deliria incidunt, quemadmodum tum ex eorum verbis, tum factis vel homines imperitiſſimi colligunt, a ratione tam alienis, ut ſtatim animadvertant adſtantes mentis aberrationem. Ceterum jam non ſubtilius inquiro in cauſas morborum iſtorum, in quibus imaginatio & ratiocinatio læditur, ut appareat, quatenus homo ſua culpa in eos incidit, nec ab omni imputatione ſit prorſus alienus. Longior enim foret diſquiſitio, nec ea eſt hujus loci, ubi principia adhuc deſiderantur, ex quibus certi quid definire licet. Supponitur etiam doctrina de culpa poſtea demum tradenda. Nec ea eſt hominum conditio, ut ne in minutiſſimis a rectitudine deficiant ipſorum actiones. Condonanda igitur quædam ſunt eorundem imbecillitati.

§. 577.

Num actiones ex memoria læſa imputentur.

Actiones ex memoria læſa profectæ per ſe non imputantur. Etenim ſi memoria læditur, uſus rationis imminuitur, imo rurſus tollitur (§. 464 *Pſychol. rat.*). Unde porro eodem modo deducitur, actiones inde profectas per ſe non imputari, quo ſupra (§. 573) evicimus, quod actiones in comate vigili patratæ non imputentur.

Non repeto, quod imputentur, quatenus memoriæ læſionis cauſa fuere actiones noſtræ liberæ. Etenim hoc ſæpius jam, imo ad nauſeam uſque, inculcavimus in aliis caſibus ſimilibus. In genere nimirum liquet: *Actiones, quæ per ſe imputari nequeunt, eatenus tamen imputari, quatenus dependent a principio, quod actionibus noſtris liberis debetur.* Exempla, quæ propoſitionem præſentem illuſtrant, obvia ſunt in ſenibus repueraſcentibus, quando puerilia loquuntur & tractant.

§. 578.

Actiones per ſomnium editæ quando imputentur.

Si anima in ſomnio operationes intellectus edere poteſt, veluti judicare & ratiocinari; actiones, quas per ſomnium agere ſibi videtur, vel revera agit, imputari poſſunt. Quando enim in ſomnio intellectus operationibus ſuis non deſtituitur, adeoque & eodem modo ratiocinatur, quo vigil ratiocinatus fuiſſet in eodem caſu; in eodem rationis uſus ſalvus eſt (§. 455 *Pſychol. rat.*). Quamobrem cum anima libera ſit, quia ratione prædita (§. 528 *Pſychol. rat.*); quæ rite ratiocinata per ſomnia ſibi agere videtur, vel revera agit, libere agere vult. Sunt autem volitiones animæ actiones liberæ (§. 13). Actiones igitur, quas per ſomnium agere ſibi videtur, vel revera agit, in quo operationes intellectus edere poteſt, eidem imputari poſſunt.

Caſum hunc eſſe poſſibilem & a priori demonſtravimus, & a poſteriori experientia domeſtica comprobavimus (§. 419 *Pſychol. rat.*). Inter iſtiusmodi ſomnium & vigilias quoad operationes animæ nulla intercedit differentia, & ſi actus externus accedit, nec actio ſomniantis ab actione vigilantis quicquam differt. Quamobrem quæ vigilanti imputantur, ſomnianti quoque imputandæ ſunt actiones.

Digitized by Google

§. 579.

Coacta actio quænam dicatur.

Coacte agere dicitur, qui nonniſi ab alio vi externa impulſus agit, in actione ſeſe habens per modum inſtrumenti. *Coacte patitur*, qui alterius in ſe actioni reſiſtendi vires non habet: in quo caſu non reſiſtentia eſt *Actio privativa coacta*.

Ponamus alterum in te impingere, dum menſæ adſtas, in qua vitra pretioſa collocata, & aliquot eorum frangi. Id tibi imputari non poteſt. Neque enim principium actionis in te eſt, nec vi propria agis, ſed alterius in te impingentis. Non magis tu dici potes vitra pretioſa frangere, quam enſis vulnus lethale infligere ei, quem violentus aggreſſor eodem impetit. Voluntas tua in hanc actionem nullo modo influit. Et ea de cauſa in actione te habes per modum rei inanimatæ, quæ non agit, niſi aliunde impulſa, non libere, cum voluntate deſtituatur, ſed neceſſario. Similiter ſi ſtuprum violentum infertur feminæ, quæ reſiſtendi vires non habet; quod non reſtiterit, etiamſi maxime vellet, actio privativa coacta eſt. Non alio ſeſe habet modo femina, cujus pudicitiæ vis infertur, quam ferrum, dum cuditur a fabro. Et hæ actiones proprie dicuntur coactæ, quæ nullo modo ſubſunt animæ imperio, nec ullo modo a voluntate dependent. Cum philoſophi ſit fixum tueri vocabulorum ſignificatum, & ab æquivocatione omni abſtinere; coactam quoque actionem non dicemus niſi in eo caſu, quem fert definitio data.

§. 580.

Quænam actiones coactæ dici nequeant.

Actio a voluntate vel noluntate tua dependens, ut nec niſi te volente committatur, quamvis eam omittere malles, nec niſi nolente omittatur, etiamſi eam committere malles, coacta non eſt. Ponamus enim hanc actionem eſſe coactam. Quoniam a voluntate tua dependet, ut nec niſi te committatur volente, quamvis eam omittere malles, nec niſi te nolente omittatur, etiamſi eam committere malles *per hypotheſin*; neceſſe eſt voluntatem & noluntatem tuam cogi, nec vi externa vel minis adhibitis adactus, ut facias, quod facere nolebas, vel omittas, quod facere volebas, nolitionem vel volitionem mutas vi motivi tibi ſuppeditati. Enimvero voluntas & noluntas cogi non poteſt (§. 927 *Pſychol. empir.*), nec cogitur voluntas & noluntas, ſi quis quacunque vi externa vel minis adhibitis alterum adigit, ut faciat, quod facere nolebat, vel omittat, quod facere volebat, ſed nolens vel volens nolitionem vel volitionem mutat vi motivi ipſi ſuppeditati (§. 928 *Pſychol. empir.*). Quamobrem actio a voluntate vel noluntate tua dependens, ut nec niſi te volente committatur, quamvis eam omittere malles, nec niſi te nolente omittatur, etiamſi eam committere malles, coacta non eſt.

Idem directe oſtenditur hoc modo. Qui vi externa & minis graviſſimis adhibitis adigitur, ut faciat, quod facere non vult, vel non faciat, quod facere vult; is non ita impellitur vi externa ad agendum ab alio, ut ſeſe tantummodo habeat per modum inſtrumenti, nec actioni alterius ea ſolum de cauſa non reſiſtit, quia reſiſtendi vires non habet, utpote tandem conſentiens in actionem committendam vel omittendam. Quoniam itaque nonniſi coacta eſt actio poſitiva, ſi nonniſi ab alio vi externa impulſus agis, in actione te habens per modum inſtrumenti; nec privativa actio coacta eſt, niſi ubi alterius in te actioni reſiſtendi vires non habes (§. 579); ideo evidens eſt, actionem pro coacta haberi non poſſe, quæ a voluntate & nolun-

tate

tate tua ita dependet, ut nonniſi te volente committatur, quamvis eam omittere malles, nec niſi te nolente omittatur, quamvis eam committere malles.

Ex demonſtratione indirecta intelligitur, cur ſtrictiori utamur coactæ actionis ſignificatu, quia ſcilicet naturæ voluntatis & noluntatis convenit, cum latior ab eadem abhorreat. Ex directa vero diſcimus, propoſitionem præſentem eſſe definitioni actionis coactæ conſentientem, nec nos judicare de actionibus niſi notionibus determinatis convenienter. Ut vero etiam appareat, quid proprie coactum dici poſſit in caſu propoſitionis præſentis, & quid coactum non ſit, nec quæ diſcernenda veniunt, ea in unum confundantur, non ſine veritatis detrimento, exempla addere lubet. Ponamus agere detrectantem verberibus compelli ad agendum. Quoniam verberanti reſiſtere nequit, viribus ad reſiſtendum deficientibus, quod hic ſupponimus; coacte patitur, & non reſiſtentia actio privativa coacta eſt (§. 579). Enimvero ubi ulteriora verbera, vel etiam duriora, aut iis majus malum evitaturus agis, quod omittere malles; omiſſionem actionis tibi repræſentas tanquam malam, adeoque actionem, quatenus ab hoc malo te liberat, tanquam bonam, conſequenter per hoc motivum temetipſum determinas ad agendum (§. 932 *Pſychol. empir.*). Hæc ipſa itaque voluntatis determinatio & eidem convenienter elicitus actus externus actio coacta non eſt (§. 579), ſed utique pro libera haberi debet (§. 12). Recordare *Campanellæ*, ad cujus in tortura atrociſſima conſtantiam provocavimus, cum voluntatem non poſſe cogi oſtenderemus (§. 927 *Pſychol. empir.*). Similiter ſi ſeortator feminæ, quæ in ſtuprum conſentire non vult, vitæ periculum intentet, nec illud ullo modo declinari poſſit; quod violentas manus inferenti reſiſtere nequeat, actio privativa coacta eſt (§. 579). Enimvero ubi tandem in ſtuprum conſentit, ut mortis præſentiſſimum periculum evadat; melius utique putat vitam, quam pudicitiam conſervari, quamvis extra hoc periculum hanc illibatam ſervari, quam violari mallet, nec ſine animi ſummo mœrore conſentiat. Unde patet, quemadmodum ante, nec determinationem voluntatis ad admittendum ſtuprum, nec ipſam hujus admiſſionem coactam dici poſſe. Non jam diſputamus de moralitate iſtiusmodi actionum, neque enim hujus loci eſt hæc diſputatio; ſed de dependentia earundem tantummodo a voluntate quæſtio eſt, utrum ſcilicet ea ab agente, num ab alio fuerit determinata, & num penes agentem ſteterit eam aliter, non vero ſic determinari.

§. 581.

Invita eſt *actio*, ſi quis facit, quod non facere mallet, vel non facit, quod facere mallet, modo aliquod malum ex actione contraria emergens evitare poſſet. *Quando actio invita.*

E. gr. Si femina intentato vitæ periculo, quod evitare neſcit, in ſtuprum conſentit, quod non committere mallet, modo alius necem evadendi modus ſuppeteret; invita ſtuprum patitur. Ita homicida deprehenſus, dum ad cuſtodiam ducitur, invitus carcerem intrat, mallet enim manus eorum, qui ipſum deprehenderunt, effugere, ſi poſſet, & extra carcerem manere. Hinc apud *Livium* miles invitus duci dicitur, qui nolens ducitur.

§. 582.

Si quis vi externa adducitur vel metu alicujus mali, quod intentatur ab altero, ſeu metu ab altero incuſſo permovetur, ut faciat, quod non facere mallet, aut non faciat, quod facere mallet; actio quidem invita eſt, ſed non coacta. *Qualis ſit actio ex vi externa & metu profecta.* Cum enim invita ſit actio, ſi quis facit, quod non facere mallet, aut non facit, quod facere mallet (§. 581); per ſe patet, quod invita ſit, ſi quis vi externa adducitur vel metu alicujus, quod ab altero intentatur, mali permovetur, ut faciat, quod non facere mallet, aut non faciat, quod facere mallet. *Quod erat primum.*

Et ſimiliter cum coacta non ſit actio, quæ a voluntate vel noluntate tua ita dependet, ut eam committas, quam omittere malles, & eam omittas,

quam committere malles (§. 580); evidens eſt, non coactam eſſe actionem, ſi vi externa adduceris vel metu alicujus mali, quod ab altero intentatur, ſeu metu ab altero incuſſo permoveris, ut facias, quod non facere, aut non facias, quod facere malles. *Quod erat alterum*.

Exempla, quæ modo dedimus (*not.* §. 580. 581), propoſitionem præſentem illuſtrant.

§. 583.

Actio quænam voluntaria dicatur.

Voluntaria dicitur actio, quæ invita non eſt, adeoque nec coacta (§. 579. 581).

Hinc *Livius* militem volentem opponit invito. Et voluntaria eſt actio furis, qui ſua ſponte furtum committit, nulla vi externa adactus, nec metu ab alio concuſſo permotus.

§. 584.

Quando actio voluntaria.

Si quis nulla vi externa compulſus, nec metu ab alio incuſſo permotus agit; ejus actio voluntaria eſt. Etenim ſi nec vi externa compulſus, nec metu ab alio incuſſo permotus agit; nulla adeſt ratio, cur id faciat, quod non facere mallet, aut non faciat, quod facere mallet, conſequenter nec facit, quod non facere, nec omittit, quod facere mallet (§. 70 *Ontol.*). Quoniam itaque invita demum actio, ſi quis facit, quod non facere, aut non facit, quod facere mallet (§. 581); qui nulla vi externa compulſus, nec metu ab alio incuſſo permotus agit, ejus actio invita non eſt. Quamobrem cum voluntaria ſit actio, quæ invita non eſt (§. 583); ſi quis nulla vi externa compulſus, nec metu ab alio incuſſo permotus agit, ejus actio voluntaria eſt.

Ponamus militem duci, qui nec vi externa compellitur, nec metu incuſſo permovetur ad conſenſum, ſed quæſitus, num militem agere velit, ſponte conſentit, aut ſua ſponte petit, ut ſcribatur miles; volens duci dicitur, & actionem ipſius non eſſe invitam, ſed voluntariam nemo non fatetur. Aſt ubi ab aliis militibus comprehenſus, eorumque vi ſeſe opponens verberibus compellitur ad conſenſum, aut metus incutitur, ut conſentiat; nemo non affirmabit, invitum duci militem. Præſens adeo propoſitio cum anteriore (§. 582) notionibus communibus reſpondet. Coactum vero qui dicunt ad caſtra ſequendum, coactum cum invito confundunt. Etenim ſi vel maxime vi trahitur ad locum, in quem ſponte ire non vult; non tamen coactus dici poteſt conſenſus, ubi juramento fidem ſuam adſtringit, utut vi externa & minis extortus fuerit, quemadmodum ex demonſtratione ſuperiore (§. 580) liquet. Invitus ſcribi poteſt miles, ſed non coactus. Imo qui coactus vel invitus adducitur, volens ſcribi poteſt, ut actio ejus voluntaria ſit, utut a coacta vel invita orta, quatenus non repugnat, ut mentem mutet, quam habebat coactus vel invitus, antequam juramento ſeſe obliget. Nondum hic locus eſt de moralitate quæſtionis hujus agendi, utrum invitum, an tantummodo volentem ducere liceat militem, & quidnam liceat in ducendo invito, ubi exemplo illuſtramus dependentiam actionis a libera voluntate vel noluntate, quam cogi non poſſe conſtat (§. 927 *Pſychol. empir.*).

§. 585.

Qualis ſit actio metu pœnæ tantummodo agentis.

Qui metu pœnæ poſitivæ tantummodo omittit, quod lubenter alias faceret, vel facit, quod non facere mallet; invitus agit. Invita enim eſt actio, ſi quis facit, quod non facere mallet, vel non facit, quod mallet facere (§. 581). Quamobrem dubitandum non eſt, qui metu pœnæ poſitivæ tantummodo omittit, quod alias lubenter faceret, vel facit, quod non facere mallet, eum invitum agere.

Studio

Studio dico, metu pœnæ poſitivæ, non autem pœnæ naturalis. Cum enim pœna naturalis neceſſario ex actione ſequatur (§. 306), adeoque ſit malum quoddam ex actione neceſſario & per ſe conſecutum, nec niſi improprie dicatur pœna (§. 285), & ipſam actionum malitiam intrinſecam abſolvat (§. 59), naturale nolitionis motivum (§. *cit.* & §. 890 *Pſychol. empir.*); qui ad eam animum advertit, dum quid facere non vult, actionem averſatur, quia mala (§. 590 *Pſychol. empir.*), nec dici poteſt, eum eandem malle committere, niſi metu incuſſo deterreretur. Quin potius, quam lubentiſſime eandem omittit, nec dici poteſt actio ejus invita (§. 581). Quando dicitur: *Oderunt peccare mali formidine pœnæ*; poſitivæ, non eæ, quas improprio quodam ſenſu pœnas naturales diximus, intelliguntur. Qui virtutis amore non peccat, actionem virtuti contrariam agnoſcit ex malitia intrinſeca, adeoque ex pœna naturali, conſequenter eam averſatur, cum nulla eſſet averſandi eandem ratio intrinſeca, ſi pœna naturalis abeſſet.

§. 586.

Actio coacta homini imputari nequit.

***Actio coacta* bomini imputari nequit.** Si enim actio coacta fuerit poſitiva, agens non niſi per modum inſtrumenti ſeſe habet (§. 579), adeoque actio ipſa non differt ab actione rei inanimatæ. Quamobrem cum rebus inanimatis imputari nequeant ipſarum actiones (§. 531); nec actio coacta poſitiva homini imputari poteſt.

Porro actio privativa coacta eſt non reſiſtentia vires patientis ſuperans (§. 579), conſequenter inter ea refertur, quæ homini impoſſibilia ſunt (§. 79 *Ontol.*). Quoniam itaque impoſſibilia, quod non faciat, homini imputari nequit (§. 565); nec actio coacta privativa imputari poteſt.

Enimvero actio coacta omnis aut poſitiva eſt, aut privativa (§. 24). Quare cum nec poſitiva, nec privativa actio, ſi fuerit coacta homini imputari poſſit, *per demonſtrata*; nulla actio coacta homini imputari poteſt.

Ita tibi non imputatur, ſi quis ex improviſo vel te multo robuſtior manu tua alteri colaphum infligit, vel corpus tuum vi impellit, ut in alterum impingas. Nec imputatur homini ſupplicium ultimum perpeſſuro, quod currui cadaveribus abducendis deſtinato impoſitus ſe ad locum ſupplicii duci patiatur, quatenus ſcilicet non reſiſtit.

§. 587.

Cur actio coacta imputetur cogenti.

Actio coacta imputanda cogenti. Etenim qui alterum cogit, is eum vi externa ad agendum ita impellit, ut is in actione ſeſe non habeat niſi per modum inſtrumenti, adeoque perinde ſit, ac ſi ille mediante re quadam inanimata ageret in objectum, in quo terminatur actio coacta, veluti ſi quem gladio percuteret (§. 579). Nemo non videt, quod qui alterum cogit ad agendum, cum ad agendum impellere velit & effectum ab actione pendentem intendat. Quamobrem cum anima in volendo libera ſit (§. 942 *Pſychol. empir.*), actio coacta ex parte cogentis libera eſt. Quoniam itaque actio libera imputatur agenti (§. 532); actio coacta cogenti imputatur.

Propoſitio præſens notio communis eſt: nemo enim eſt, qui non actionem coactam imputet cogenti. Ita ſi quis manu tua alteri infligit colaphum; actio hæc non tibi imputatur, ſed ei, qui manu tua ad hoc uſus. Tenendum ſcilicet in actione coacta ſupponi, cogentem & actionis ſuæ ſibi eſſe conſcium, eamque intendere. De iis enim, quæ caſu fiunt, dicemus deinceps.

§. 588.

Approbatio actionis

Si actio coacta ab eo, qui coacte egit, approbatur; approbatio eidem imputatur. Etenim patet, approbationem fieri libere, cum actio coacta ab eo, qui

Digitized by Google

coactæ cur coacte agenti imputetur.

qui coacte egit, non minus probari, quam improbari poſſit, approbetur autem, quia placet (§. 941 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum actio homini imputetur, quatenus libera eſt (§. 532); quin approbatio ei, qui coacte egit, imputanda veniat, ſi actio coacta ab eodem approbetur, dubitandum non eſt.

Libertas ejus, qui coacte egit, influit in approbationem, non vero in ipſam actionem: unde etſi illa imputetur, hæc tamen imputari nequit (§. 532). Nec eſt, quod excipias, ex approbatione colligi, quod in actionem, quam coactus perpetravit, facile conſenſurus fuiſſet, imo ſuſpectum reddi, quod conſenſerit, adeoque coacte non egerit, etſi egiſſe videatur. Quemadmodum enim prius non tuto colligitur, cum facta, quia infecta fieri nequeunt, approbemus, quæ nondum facta non approbaſſemus, imo ne fierent conſulti diſſuaſiſſemus; ita quod poſterius attinet, de eo nobis quæſtio jam nulla eſt, ex quibus judiciis quis fiat ſuſpectus, quod in actionem aliquam conſenſerit. In moralibus exquiſito acumine opus eſt, ne diſcernenda confundantur.

§. 589.

Actio invita num imputari poſſit.

Actio invita imputatur, etſi minus, quam voluntaria. Invita enim eſt actio, ſi quis facit, quod non facere mallet, vel non facit, quod facere mallet, modo aliquod malum ex actione contraria imminens evitare poſſet (§. 581), veluti ſi vi adductus vel metu ab alio incuſſo permotus agit, vel non agit (§. 582). Cum itaque agere vel non agere velit (§. 928 *Pſychol. empir.*), anima vero in volendo & nolendo libera ſit (§. 942 *Pſychol. empir.*); quin libere agat, vel non agat, qui invitus agit, vel non agit, dubitandum non eſt. Imputatur vero actio, quatenus libera eſt (§. 532). Actio igitur invita imputatur. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam qui invitus agit, vel non agit, facit, quod non facere, & non facit, quod facere mallet (§. 581); qui vero volens agit, ſimpliciter facere vult, quod facit, & non facere vult, quod non facit (§. 583. 581), quin actio voluntaria magis libera ſit invita dubitandum non eſt (§. 941 *Pſychol. empir.*). Quoniam itaque actio imputatur, quatenus libera (§. 532); actio invita, utpote minus libera quam volontaria *per demonſtrata*, minus imputatur quam voluntaria. *Quod erat alterum.*

Non jam quæſtio eſt de eo, ad quid imputetur actio invita, ſed cum imputanda veniat, & quantum imputanda ſit. In ea enim reſpiciendum eſſe ad id, quod ex actione per ſe ſequitur, deinceps conſtabit & ex imputationis notione facile colligitur. Equidem non ignoro eſſe aliquos, qui ſimpliciter negant actionem invitam imputari poſſe; ſed hi ſunt, qui actionem coactam ab invita non ſatis diſtinguunt, nec perpendunt, quinam ſit effectus vis externæ, vel minarum, quibus quis adducitur ut faciat, quod facere nolebat, vel omittat, quod facere volebat (§. 928 *Pſychol. empir.*), aut perperam ſibi perſuadent voluntatem cogi poſſe (§. 927 *Pſychol. empir.*). Unde non mirum, quod in caſibus particularibus huc illucque ſe torqueant, & exceptionibus hypotheſin a veritate abhorrentem ſalvare conentur, manifeſto indicio, quam parum tuto in moralibus verſetur principiorum pſychologicorum non ſatis gnarus.

§. 590.

Quãtum actio imputetur metu pœnæ agentis.

Qui metu pœnæ poſitivæ tantum omittit, quod lubenter alias faceret, vel facit, quod non facere mallet, ei actio imputatur, etſi minus, quam voluntaria. Etenim in hypotheſi propoſitionis præſentis agens invitus agit, ſeu actio invita eſt (§. 585). Quamobrem cum actio invita imputetur, etſi

minus,

Digitized by Google

minus, quam voluntaria (§. 589); qui metu pœnæ poſitivæ tantum omittit, quod lubenter alias faceret, vel facit, quod non facere mallet; eſt actio imputatur, etſi minus, quam voluntaria.

Eadem hic tenenda ſunt, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus. Ceterum propoſitio præſens notioni communi reſpondet: audias enim vulgo homines derogare agenti laudem alias ob actionem debitam, ubi excipere valent, quod non voluntaria fuerit actio, ſed quod metui pœnæ accepta ferri debeat.

§. 591.

Principium generale non imputandæ actionis.

Si quis ſui non conſcius, vel ratiocinatione læſa, aut nulla judicii libertate agit, ei actio imputari nequit. Etenim quod actio imputari nequeat ei, qui ſui non conſcius, adeoque prorſus inſcius agit, jam oſtendimus, cum demonſtraremus, noctambulis actiones veras imputari non poſſe (§. 572). *Quod erat primum.*

Similiter quod ratiocinatione læſa actiones imputari nequeant, oſtendimus, cum demonſtraremus in comate vigili actiones imputari non poſſe (§. 573). *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi quis judicii (diſcurſivi ſcilicet) libertate deſtituitur, cum actiones non imputentur, niſi quatenus liberæ ſunt (§. 532), nec judicium de actione committenda agenti imputari poteſt. Quamobrem cum eidem convenienter agat, nec imputari poteſt actio, ſi quis nulla judicii libertate agit. *Quod erat tertium.*

Principium hoc generale non imputandæ actionis addere lubuit, quia ſubinde uſui eſſe poteſt. Imo cum in omnibus noctambulis, & comate vigili, melancholia præſertim & amore inſano laborantibus, vel etiam delirantibus non eodem modo lædantur functiones animæ, ſi qua forte in caſibus quibusdam particularibus aliter ſeſe habeant, quam ſuperius per ea, quæ communiter fiunt, ſumſimus; per propoſitionem præſentem facile definietur, quid de actionum imputatione ſit ſentiendum.

§. 592.

Cur actiones imputentur.

Actiones homini imputantur, quia ex ipſis ſequitur per ſe quidpiam agenti vel aliis mali aut boni. Si enim actio agenti imputatur, ſive poſitiva, ſive privativa fuerit, agens declaratur cauſa libera ejus, quod ex actione ipſius conſequitur boni, malique vel ſibi, vel aliis (§. 527). Quoniam itaque nulla eſſet imputatio, ſi ex actionibus hominum liberis nil per ſe ſequeretur, quod vel ipſis, vel aliis malum aut bonum eſſet; actiones homini utique non imputantur, niſi quia ex iisdem per ſe ſequitur quidpiam agenti vel aliis mali, aut boni.

Ut itaque actio imputari poſſit, duo adſint neceſſe eſt requiſita, nimirum 1. ut ſit libera, 2. ut ex ea per ſe ſequatur quidpiam, quod agenti vel aliis bonum, aut malum eſt. Quemadmodum itaque nullum locum habet imputatio, ſi libertas in agendo deficit; ita quoque nullus eidem eſſet locus, ſi quoad bona vel mala, quæ hominibus obtingunt, perinde foret, quicquid ageret. Nimirum bonum & malum, quod ex actionibus per ſe ſequitur, efficit, ut actio ſit iſtiusmodi, quæ imputari poſſit: libertas vero in cauſa eſt, ut eam perpetranti imputetur.

§. 593.

Extenſio actionum imputabilium.

Quoniam non minus mala, quam bona, vel ſunt animi, vel corporis, vel fortunæ (§. 556. 567 *Pſychol. empir.*); *actiones imputabiles ſunt, ex qui-*

bus vel intuitu agentis, vel alterius cujuſcunque ſequitur aliquod bonum vel malum animi, corporis, aut fortunæ (§. 592).

Hoc corollarium propoſitioni præcedenti jungimus, ut actionibus imputabilibus ſua conſtet amplitudo. Quoties enim de imputatione actionum cogitatio incidit, attentio excitatur, ne eam facile ſubterfugiat ratio, cur imputandæ veniant, modo non deſit acumen ſufficiens.

§. 594.

Quænam actio in ſe imputabilis non ſit.

Porro quia actio non imputatur, niſi quia ex eadem quidpiam ſequitur, quod agenti vel aliis bonum, aut malum eſt (§. 592); *ſi qua datur actio libera, ex qua nihil ſequitur, quod agenti vel aliis bonum eſt, aut malum, ea imputabilis non eſt.*

E. gr. Si quis nullo fine leniter fricet barbam, ex hac actione nil ſequi videtur, quod malum vel bonum ſit agenti aut aliis. Unde de imputando hoc actu nemo cogitat. Studio dico, ſi qua datur actio, ex qua nihil boni vel mali ſequitur: etenim ſi actionum effectus ſubtiliter rimeris, non immerito dubitatur, num aliqua reperiri poſſit, quæ nihil prorſus boni & mali pariat. Ita lenis barbæ fricatio nullo fine facta nihil mali parere videtur: qui tamen naturam animæ intimius perſpexere, eos non fugit, temerariam quamlibet actionem aliquid conferre ad habitum temere agendi (§. 195. 430 *Pſychol. empir.*), quem inter mala animi referendum eſſe non dubitabit, qui, quod nil temere ſit agendum, legem prudentiæ eſſe noverit.

§. 595.

An imputatio ſit tantum actionum alienarum, an etiam propriarum.

Homo non minus ſibi proprias, quam aliis ſuas imputat actiones. Imputantur enim actiones, dum judicatur, quod agens ſit cauſa libera ejus, quod ex actione ipſius conſequitur, boni malique vel ſibi, vel aliis (§. 527). Enimvero nemo eſt, qui neſciat non minus judicare homines quod ſint cauſæ liberæ ejus, quod ex actione propria, quam quod ex aliena conſequitur, boni vel mali ſibi aut aliis. Imputant igitur homines non minus ſibi proprias, quam aliis ſuas actiones.

Exempla quotidie obvia ſunt. Unde enatæ ſunt loquendi formulæ: tibi imputes, quod hoc feceris vel non feceris, & mihi imputo, quod hoc fuerim conſecutus, vel hoc evitaverim. Item quam bene a me factum, quod hæc fecerim vel non fecerim, & quæ ſunt his gemina. Imo imputatio actionum propriarum magni momenti eſt in moralibus, quemadmodum ſuo loco conſtabit. A vero igitur aberrant, qui hanc inter conſcientiam & imputationem differentiam comminiſcuntur, quaſi illa conſiſtat in judicio de actionibus propriis, hæc de alienis, utrum ſint legi conformes, an vero difformes. Error inde fluxit, quod genuinam imputationis notionem, quam ſupra explicavimus (§. 527), animo minime comprehenderunt, ſed ab uſu loquendi abhorrentem eidem ſubſtituerunt, quaſi imputatio in applicatione legis ad facta conſiſtat.

§. 596.

Cur actiones legi conformes & difformes imputentur.

Actiones legi naturæ & poſitivæ conformes ac difformes, agenti imputantur. Etenim quoniam lex naturæ nos obligat ad actiones intrinſece bonas committendas & intrinſece malas omittendas (§. 153); actiones eidem conformes bonitatem intrinſecam, eidem vero difformes malitiam intrinſecam habent. Enimvero tam bonitas (§. 57), quam malitia intrinſeca ponitur poſita notione actionis (§. 59). Ex actionibus itaque legi naturæ conformibus per ſe ſequitur aliquid, quod agenti vel cuidam alteri bonum, & ex eidem difformibus per ſe ſequitur aliquid, quod agenti vel alteri cuidam malum.

Digitized by Google

malum. Enimvero actiones imputantur, quia ex iis vel intuitu agentis, vel alterius cujuscunque ſequitur per ſe aliquid boni vel mali (§. 592). Quamobrem imputantur actiones legi naturæ conformes ac difformes. *Quod erat unum.*

Leges poſitivæ ſunt, quibus ad conformandas actiones noſtras voluntate entis cujusdam rationalis (§. 147), veluti Dei ac hominum (§. 149), obligamur. Quamobrem ſi rationi conformes eſſe debent, actiones eisdem conformes parere debent quidpiam hominibus boni, eisdem vero difformes quidpiam mali. Præterea obligatio poſitiva aliter quam ſanctione pœnali, adeoque adjectione pœnæ (§. 289) & præmiorum promiſſione introduci nequit (§. 301), adeoque ſi actiones legi poſitivæ conformes, committitur quidpiam, quod agenti bonum (§. 295), eidem vero ſi difformes, quidpiam, quod agenti malum (§. 285). Quoniam itaque actiones imputantur, quia ex iis ſequitur quidpiam, quod agenti bonum vel malum eſt (§. 592); actiones legi poſitivæ conformes ac difformes agenti imputantur. *Quod erat alterum.*

Ex propoſitione præſente intelligitur, actiones legi naturæ ac poſitivæ conſormes & difformes eſſe ex earum numero, quæ imputari poſſunt. Imo ſi omnem legum naturalium amplitudinem animo comprehendas & legum poſitivarum rationem intimius perſpicias, non aliæ dantur actiones, quæ imputantur, quam quæ legi naturali ac poſitivæ conformes vel difformes ſunt, & imputatio legi poſitivæ propria non excedit ea, niſi quæ ex obligatione poſitiva conſequuntur. Sed hæc ſua ſponte ex tractatione ſpeciali patebunt, ut adeo opus non ſit iis prolixe demonſtrandis nunc immorari. Quamobrem non opus eſt, ut quis ſcrupuloſius inquirat, utrum recte ſumatur, nec ne, quod leges poſitivæ diſponant de actionibus, quæ hominibus vel boni vel mali quidpiam afferunt, ſiquidem legum nomen tueri debeant. Quoniam actiones imputantur, quia ex iis ſequitur aliquid boni vel mali reſpectu agentis, vel alterius cujuscunque (§. 592), ut vero actio boni vel mali quidpiam afferat, ubi ab obligatione poſitiva, quæ præmiorum promiſſione & pœnarum conſtitutione abſolvitur (§. 301), receſſeris, non a voluntate legislatoris habent, ſed legislator potius ideo, quod vel mali, vel boni quidpiam afferunt, illas prohibet, has vero præcipit; ſicque imputatio actionum jam obtinet ante legem, nec per eam demum imputabiles efficiuntur, niſi quatenus vel ad præmia poſitiva, vel pœnas poſitivas imputantur. Probe autem notandum eſt, nobis jam non eſſe quæſtionem niſi de eo, quidnam efficiat, ut actiones in genere ſpectatæ imputari queant, easque imputabilium numero adſcribat, ne qui, cum ſine luci, lyncei ſibi videntur, ſumma imis miſcentes, difficultates inanes faceſſant, ſua ſponte inſtar nebulæ in auram abituras, ubi accurata diſcuſſione a ſe invicem ſeparaveris, quæ diſtinguenda ſunt.

§. 597.

Quoniam actiones legi naturæ ac poſitivæ conformes, ac difformes tales ſunt, quæ imputari poſſunt (§. 596), actiones autem agenti non imputantur niſi liberæ (§. 528); *ſi quis actiones legi naturæ ac poſitivæ conformes aut difformes committit vel omittit, eædem agenti actu in individuo imputantur.* *Quando agenti imputentur.*

§. 598.

Similiter quia actiones legi naturæ ac poſitivæ conformes iſtiusmodi ſunt, quæ imputari poſſunt (§. 596); *ex applicatione legis ad factum intelligitur, actionem eſſe talem, quæ imputari poſſit.* *Quomodo innoteſcat imputabilitas.*

An vero actu imputanda veniat agenti, ex libertate in agendo demum patet (§. 597). Apparet itaque actum imputationis definiri minime poſſe per applicationem legis ad facta.

Qui enim legem ad factum aliquod applicat, is de ejus convenientia vel disconvenientia cum lege judicat. Judicium vero hoc nec de imputabilitate actionis, nec de imputanda actione pronuntiat. Sed ex eo demum colligitur, actionem eſſe ex imputabilium numero: quo facto ulterius inquirendum, an & quatenus libera ſit, ut tandem feratur judicium, utrum agenti actu imputanda veniat, nec ne. Et in hoc demum actus imputationis conſiſtit (§. 527). Qui adeo imputationem per applicationem legis ad facta definiunt, judicium de convenientia actionis cum lege, & disconvenientia ejusdem cum eadem, judicium de imputabilitate actionis & actum imputationis inter ſe confundunt. Nec eſt quod excipias, actum imputationis præſupponere applicationem legis ad factum. Quamvis enim hoc concedatur, nondum tamen id, quod ab altero ſupponitur, nec ponitur, niſi illo ante poſito, cum illo ipſo idem eſt. Sane generatio filii præſupponit generationem parentis, nec fieri poteſt, ut generetur filius, antequam generetur pater: ecquis vero dixerit actum generationis, quo gignitur filius, eſſe eundem cum actu generationis, quo prodit pater? In doctrina de imputatione accurate omnia a ſe invicem diſtinguenda ſunt, quæ diverſa ſunt, ne in imputationem facile irrepat error (§. 631 *Log.*). Nec eſt quod excipias, legem non diſponere de actionibus niſi liberis. Etenim lex tantummodo ſupponit, actionem, de qua diſponit, eſſe ex illarum numero, quæ ab homine libere committi, vel omitti poſſunt, non vero definit, num in caſu dato actio agentis liberarum numero adſcribenda, an vero ex eodem eximenda ſit; ſed aliis utique principiis opus eſt, quorum ad facta applicatione non innoteſcit. Nec quicquam juvat, ſi porro excipias, hoc pertinere ad cognitionem facti. Actus enim imputationis judicium diſcurſivum eſt, quod tanquam concluſio per ſyllogiſmum illata non minus veritatem majoris, quam minoris ſupponit, conſequenter etiam principia, quorum ad factum applicatione veritas minoris, quatenus reſpicit libertatem in agendo, innoteſcit. Ita nimirum argumentamur vi præcedentium: Actio legi conformis vel difformis libere agenti imputanda (§. 597. 598). Sed actio Caji eſt legi conformis vel difformis, & Cajus libere eam commiſit vel omiſit. Ergo ea Cajo imputanda. Nemo non videt, ex lege conſtare, utrum actio ſit eidem conformis, an difformis, ſed aliunde probandum eſſe, quod agens libere eam commiſerit, vel omiſerit; conſequenter ſola legis ad factum applicatione nondum conſtare, an imputanda veniat Cajo in individuo. Imo patet per ſyllogiſmum imputativum catholicum, legis applicatione ad factum nonniſi alteram minoris partem probari; non autem ſubire legem majoris vicem, ubi quæritur, an actio imputanda ſit in individuo.

§. 599.

Imputatio actionis propriæ in conſcientia damnante.

Si conſcientia hominem damnat, is ſibi imputat actionem propriam. Etenim ſi conſcientia nos damnat, judicamus male facta eſſe cauſam malorum, quibus affligimur (§. 504), adeoque nosmetipſos declaramus cauſam liberam malorum ex actionibus noſtris liberis in nos redundantium. Quoniam itaque in judicio, quo agens declaratur cauſa libera ejus, quod ex actione ipſius conſequitur, boni malique vel ſibi, vel aliis, imputatio conſiſtit (§. 527); ſi conſcientia nos damnat, nobismetipſis imputamus actiones proprias.

In hoc caſu adeo evidens eſt hominem ſibi imputare actiones proprias, ut in dubium minime revocari poſſit, niſi notionibus communibus vim apertam inferre volueris.

§. 600.

Quando quis actionem propriam ſibi non imputet.

Si conſcientia te abſolvit, quod tibi actionem propriam imputare non debeas, agnoſcis. Etenim ſi conſcientia te abſolvit, certus es te actionibus tuis non promeruiſſe mala, quæ tibi obtingunt (§. 504), conſequenter agnoſcere debes te non eſſe eorum cauſam liberam, ſi vel maxime caſu actiones tuas conſequantur (§. 526 *Philoſ. pract. univ.* & §. 881 *Ontol.*). Enimvero qui judicat, ſe non eſſe cauſam liberam malorum, quæ ipſi obtingunt, ſi vel

maxime

Digitized by Google

maxime caſu actiones ipſius conſequantur, is agnoſcit, quod actiones ſuas ſibi imputare non debeat (§. 527). Quamobrem ſi conſcientia te abſolvit, quod tibi actionem propriam imputare non debeas, agnoſcis.

Nimirum abſolutio conſcientiæ opponitur damnationi ejuſdem. Quamobrem ſicuti conſcientia damnante imputatur actio propria: ita ex adverſo eadem te abſolvente, quod eam tibi imputare non debeas, agnoſcis. Pone nimirum te recte agendo incurrere inimicitiam alterius. Actio quatenus recta eſt, non parit inimicitiam, ſed quatenus diſplicet homini, qui eam ferre non poteſt. Etſi itaque inimicitia referatur inter mala fortunæ, quæ ſtatum noſtrum externum imperfectiorem reddunt; non tamen ideo hoc malum ex actione tua ſequitur, ſed caſu eandem conſequitur, quatenus alteri diſplicet, quod eidem placere, & quod tibi eundem amicum reddere debebat. Dum hæc cogitas, agnoſcis te non poſſe haberi pro cauſa libera iſtius inimicitiæ, conſequenter quod tibi actionem propriam imputare non debeas. Inde eſt, quod dicas: inimicitiam ejus non promerui, quatenus conſcientia te abſolvit, & viciſſim: ego in cauſa non ſum, quod ipſo utar inimico, nihil enim feci, quod ægre ferre poterat, quatenus tibi actionem propriam non imputas.

§. 601.

Actio deliberata quænam dicatur.

Deliberata dicitur *actio*, quæ conſulto, ſeu nonniſi prævia conſultatione editur. Quamobrem cum conſultatio ſit actus intellectus, quo disquiritur, quid ſit agendum, quid non agendum (§. 498 *part. I. Theol. nat.*) *ſi quis ante disquirit, quid ſit agendum, quid non agendum, quam agit, vel non agit; ejus actio deliberata eſt: vel deliberata actio eſt ejus, qui eam committit, vel omittit, facta diſcuſſione, num eam potius committere, quam omittere, vel omittere potius, quam committere debeat.*

E. gr. Si quis ante diſquirit, num furtum committere debeat, quam furatur; is de furto conſultat, & ubi prævia conſultatione ad furtum committendum ſe determinat, adeoque id decernit (§. 497 *part. I. Theol. nat.*), & quod decrevit, exequitur, ejus furtum deliberatum eſt. Quodſi porro diſquirit, quomodo furtum ſit committendum, ſeu de iis, quæ fieri debeant, ut ipſum committere poſſit; de executione deliberat. Atque in hoc caſu executio furti deliberata eſt, & furtum dicitur deliberatum quoad executionem, etſi ipſe actus furandi, quatenus conſiſtit in ablatione rei alienæ inſcio & invito domino, facta animo ſeſe locupletandi, ſit indeliberatus. Neque enim repugnat, ut factum aliquod in ſe ſpectatum ſit indeliberatum, hoc eſt, ut nulla prævia conſultatione quis ſeſe determinet ad hoc faciendum; idem tamen ſit deliberatum quoad executionem, quatenus in caſu dato ob circumſtantias particulares quædam prærequiruntur actiones particulares, antequam actionem, quam vis, committere vel omittere poſſis. Fieri tamen etiam poteſt, ut actio ſit deliberata tum in ſe ſpectata, tum quoad executionem.

§. 602.

Conſultationis ſpecies.

Si de actione in ſe ſpectata disquiritur, utrum ſit committenda, vel omittenda; *Conſultatio* dicitur *theoretica*; ſi vero disquiritur, quomodo ſit agendum, ſeu quænam fieri debeant, ut actionem, quam committere, vel omittere decreviſti, committere vel omittere poſſis; *Conſultatio practica* appellatur. Quodſi in caſu dato ſpectatis circumſtantiis ſingularibus ſeu particularibus, disquiris quomodo ſit agendum, *Conſultatio* vocatur *practice practica:* ubi vero disquiris de modo agendi nondum ſpectatis circumſtantiis particularibus, *Conſultatio theoretice practica* nuncupatur.

Cur conſultationem in ſuas ſpecies dividamus, ex iis intelligitur, quæ ad definitionem præcedentem annotavimus: neque enim de actione deliberata, quæ ex conſultatione procedit (§. 601), accuratum & ad amuſſim reſpondens veritati judicium ferre licet, niſi omni conſultationis differentia probe perpenſa. Denominationem diverſarum conſultationis

ſpecierum

Digitized by Google

ſpecierum propter analogiam deſumimus a denominatione diverſarum conſcientiæ ſpecierum (§. 423. 424), ne præter neceſſitatem termini multiplicentur, uſi cum ratione jure, illis ſuo loco vindicando, qui primi nomina rebus imponunt. Sed agedum, diverſas conſultationis ſpecies exemplis illuſtremus, ut earum differentia facilius intelligatur, nec temere conficta videatur. Ponamus itaque non habentem, unde vitam toleret, diſquirere, utrum furari debeat, nec ne; conſultatio nonniſi theoretica eſt. Quodſi, poſtquam furari decrevit, diſquirit, quomodo furandi propoſitum exequi debeat; conſultatio practica eſt, & quidem theoretice talis, cum nondum ſeſe offerat furandi occaſio animum ad circumſtantias particulares advocans. Quodſi jam iſtiusmodi occaſio offeratur, & perpenſis circumſtantiis particularibus inquiratur, quomodo furtum in dato caſu committi poſſit; conſultatio practice practica eſt. Vides itaque conſultationem theoreticam & practicam eſſe diverſas ſpecies, nec theoretice practicam cum practice practica eſſe eandem, ut ſubdiviſione non foret opus. Equidem non diffitemur, conſultationem omnem uno eodemque tempore abſolvi poſſe; ſed hoc differentiam minime tollit, quam diverſo tempore celebrati actus tanto apertius loquuntur.

§. 603.

Quænam actio dicatur indeliberata.

Indeliberata dicitur *actio*, aut, ſi mavis, *non deliberata*, ſi quis nulla prævia conſultatione agit. Unde *indeliberata eſt actio, ſi quis agit, vel non agit, non diſquirens, utrum ſit agendum vel non agendum* (§. 498 *part. I. Theol. nat.*).

E. gr. Si quis præteriens videat hypocauſto aperto nummum aureum in menſa collocatum, cumque nemo ibidem præſens ſit, eundem ſubito aufert; actio hæc indeliberata eſt. Similiter indeliberata eſt actio, ſi quis facit, quod faciunt alii, quia hoc ab aliis fieri videt; parum ſollicitus, utrum deceat, nec ne.

§. 604.

Actionis deliberatæ diviſiones.

Actio deliberata theoretice talis eſt, quæ prævia conſultatione theoretica editur. *Practice talis* eſt, quæ prævia practica conſultatione fit. Unde porro *theoretice practice* talis eſt, quæ fit prævia conſultatione theoretice practica, & *practice practice talis* eſt, quæ fit prævia conſultatione practice practica. Quodſi fit prævia deliberatione theoretica & non minus practice, quam theoretice practica; *prorſus deliberata* audit.

Exemplum, quo ante ſpecies conſultationis illuſtravimus (*not.* §. 602), definitiones quoque præſentes ſpecierum actionis deliberatæ illuſtrat. Quodſi & theoretica, & tam theoretice, quam practice practica conſultatio præceſſerit; nihil ſupereſt, quod ſub deliberationem cadat. Atque ideo prorſus deliberata dicitur. Nulla jam ratio habetur defectuum in conſultatione locum habentium, ubi tantummodo ad ea reſpicimus, quæ in genere de conſultatione in dato aliquo caſu ſunt obſervanda. Defectus enim conſultanti tribuendi ſunt, minime autem conſultationi per ſe inſunt. Quæ vero rei per ſe non inſunt, eorum nec in iis definiendis habetur ratio. Supponimus hic conſultationem omnem rite ſeſe habere.

§. 605.

Gradus libertatis in actionibus deliberatis.

Actio deliberata magis libera eſt, quam indeliberata, & quo magis deliberata fuerit, eo magis libera eſt. Etenim ſi actio fuerit deliberata, ante diſquirimus, quid ſit agendum, quid non agendum, quam agamus, vel non agamus (§. 601), conſequenter quid eligamus, ſeu ad quodnam voluntatem vel noluntatem determinemus, perpendimus. Contra ſi indeliberata fuerit actio, non ante diſquirimus, quid ſit agendum, quid non agendum, quam agamus, vel non agamus (§. 603), adeoque quid eligamus, ſeu ad quodnam voluntatem vel noluntatem determinemus, non perpendimus.

Digitized by Google

mus. Quoniam itaque libertas in eo conſiſtit, quod ex pluribus poſſibilibus ſponte eligamus, quod nobis placet (*§. 941 Pſychol. empir.*); libertate noſtra magis utimur, ſi deliberata fuerit actio, quam ſi indeliberata fuerit, conſequenter deliberata magis libera eſt, quam indeliberata. ***Quod erat unum.***

Quoniam actio deliberata variat pro diverſitate conſultationis prævix (§. 604), magis deliberata erit, quo plures conſultationes fuerint adhibitæ, conſequenter, ſi non ſolum de actione in ſe ſpectata disquiſiverimus, utrum ea potius committenda, an omittenda ſit; verum etiam in modum agendi inquiſiverimus, tam ſub circumſtantiis generalibus, quam particularibus (§. 602). Quamobrem magis perpendimus, quid eligamus, ſi magis deliberata fuerit actio, quam ſi minus deliberata ſit. Cum itaque actio libera ſit, quatenus ex pluribus poſſibilibus eligimus, quod placet (§. 941 *Pſychol. empir.*); libertate noſtra magis utimur, ſi magis deliberata fuerit actio, quam ſi minus deliberata ſit, conſequenter quo magis deliberata ea fuerit, eo magis libera eſt. ***Quod erat alterum.***

Poſterius etiam oſtenditur hoc modo. Actio libera eſt, quatenus deliberata *per demonſtrata n. 1.* Quamobrem quo magis fuerit deliberata, eo magis quoque erit libera.

Actiones hominum non modo compoſitæ ſunt, quatenus plures actiones animæ actionibus externis junguntur, quemadmodum ex iis intelligitur, quæ ſuperius de requiſitis humanæ actionis demonſtravimus (*§. 70. 72 & ſeqq.*), verum etiam quatenus ex pluribus actionibus ſimplicibus conſtant. Quoniam quo magis deliberata fuerit actio, eo plures actiones ſimplices, quæ ad compoſitam requiruntur, expendimus; libertas quoque in actionem deliberatam magis influit, quam in indeliberatam, & magis in eam, quæ magis, quam quæ minus deliberata eſt. Unde merito deliberata magis libera cenſetur, quam indeliberata, & magis deliberata magis libera, quam quæ minus deliberata eſt. Accedit quod deliberatam actionem diſtinctius cognoſcimus, quam indeliberatam, & magis deliberatam diſtinctius, quam eam, quæ minus deliberata eſt, ut adeo judicium de eo, quod agere volumus, vel nolumus, minime præcipitemus. Unde denuo agnoſcimus, nos pleniore libertatis uſu agere, ſi deliberata fuerit actio, quam ſi indeliberata fuerir, & ſi magis, quam ubi minus deliberata ſit (*§. 930 Pſychol. empir.*). Denique conſultatio non abſolvitur niſi in tempore, ut adeo facilius mentem in contrarium flectere valeremus, ſiquidem luberet. Atque ex hoc ipſo quoque intelligitur, quod liberior ſit in actione deliberata, quam indeliberata, & in actione magis deliberata, quam ea, quæ minus deliberata eſt, libertatis uſus. Quodſi quis hactenus dicta ad exemplum ſuperius de furto applicare voluerit (*not. §. 602*), & in ſingulis perpenderit, quomodo libertas in ea influat, ope principiorum, quæ de actionibus liberis ſeu earum a libertate dependentia demonſtravimus (*§. 16 & ſeqq.*); is diverſum libertatis uſum in actionibus humanis, prouti magis, vel minus deliberatæ ſunt, quam diſtinctiſſime percipiet. Quo quis in Pſychologia fuerit felicius verſatus; eo quoque intimius dependentiam actionis deliberatæ a libertate animæ perſpiciet.

§. 606.

Cur actio una magis imputetur altera.

Quo magis libera fuerit actio, eo quoque magis imputatur. Actio enim homini imputatur, quatenus libera eſt (§. 532). Quamobrem eo magis imputanda eſt actio, quo magis libera fuerit.

Dantur imputationis gradus; ſed hi non ab eodem dependent principio. Quoniam vero fundamentum imputationis eſt libertas, quippe quæ facit ut actio imputabilis homini actu imputetur, hæc autem diverſos admittit gradus; imputatio quoque a libertate diverſos gradus recipit. Propoſitio præſens non abhorret a notione communi. Omnes enim

vulgo

Digitized by Google

vulgo agnoſcunt, actiones ideo imputandas eſſe, quia liberæ ſunt. Quoniam tamen quotidie videmus, quod actionem ſpecie eandem uni magis imputent, quam alteri; neceſſe eſt, ut vulgo agnoſcatur, unum magis libere egiſſe, quam alterum, ac ideo uni magis imputandam eſſe actionem, quam alteri. Quodſi ad exempla quotidie obvia animum advertas, & in rationem diverſæ imputationis actionis ejusdem inquiras; facile deprehendes, quod vulgo judicent omnes, ea magis liberam efficere actionem, quæ eam magis deliberatam faciunt.

§. 607.

Gradus imputationis actionum deliberatarum.

Actiones deliberatæ magis imputantur, quam indeliberatæ, & quo magis deliberata fuerit actio, eo magis imputatur. Deliberata enim actio magis libera eſt, quam indeliberata, & quo magis deliberata, eo magis libera eſt (§. 605). Enimvero quo magis libera fuerit actio, eo magis imputatur (§. 606). Actiones itaque deliberatæ magis imputantur, quam indeliberatæ, & quo magis deliberata fuerit actio, eo magis imputatur.

Dantur adeo gradus imputationis actionum deliberatarum, quos a gradibus libertatis in conſultando recipit. In eos jam inquirere noſtri non eſt inſtituti. Pertinet hoc ad cognitionem animæ mathematicam, quam *Pſychometria* ſibi vindicat, hactenus deſiderata, ſuo tempore in apricum producenda, quando noſtro more philoſophantes Matheſin cum Philoſophia copulaturi ſunt. Ne vero aſſeruiſſe videamur, quæ a veritate aliena ſunt; id ipſum de libertate & imputatione ab eadem pendente in ſequente demonſtrare lubet propoſitione.

§. 608.

Cognitio libertatis animæ & imputationis mathematica quod detur.

Poſſibilis eſt cognitio mathematica libertatis animæ & imputationis actionum, in ſpecie deliberatarum. Etenim actio deliberata magis libera eſt, quam indeliberata, & quo magis deliberata fuerit, eo magis libera (§. 605). Quo magis libera fuerit actio & quo magis deliberata, eo magis imputatur (§. 606. 607). Recipit adeo tam libertas, quam imputatio, tanquam qualitas (§. 457 *Ontol.*), gradus (§. 746 *Ontol.*). Quamobrem cum gradibus competat magnitudo (§. 751 *Ontol.*), ope figurarum & numerorum exacte atque diſtincte intelligibilis (§. 754 *Ontol.*); cognitio autem rerum mathematica in cognitione quantitatis earundem conſiſtat (§. 14 *Diſc. præ-lim*); cognitionem mathematicam libertatis animæ & imputationis actionum, in ſpecie deliberatarum, poſſibilem eſſe, evidens eſt.

Nemo non videt, demonſtrationem propoſitionis præſentis ad alias quoque animæ qualitates applicari poſſe, ut adeo *Pſychometriæ* realitas in dubium revocari minime queat. Supponit ea diſtinctam qualitatum animæ cognitionem. De hac igitur ante laborandum, quam Pſychometriam animum appellere tuto datur. Maxima difficultas conſiſtit in reperienda iſtarum qualitatum menſura, qua data nemo non Mathematum gnarus cetera facile inveniet. Uſui hic eſſe poterat *Matheſis* vere *univerſalis*, in qua generales maxime omnium menſuræ conſtituendæ, & Ontologia ad cognitionem mathematicam reducenda. Sed ea non minus deſideratur, quam Pſychometria. Niſi quis auſu infelici negotium arduum aggredi voluerit; idem non minus Philoſophus noſtra methodo philoſophans, quam Mathematicus in cognitione naturæ mathematica verſatus eſſe debet. Neque enim putandum eſt, ardua levi negotio confici poſſe. Abſit autem, ut quis ſibi perſuadeat, iſtiusmodi ſubtilitatibus nos carere poſſe: neque enim ſine iis ſatisfacies juſtitiæ, veluti in criminalibus, ubi arbitrium judicis, cui multa relicta ſunt & relinqui debuerunt, vagum tam diſcrepantes de eodem facto parit ſententias. Nullus ego dubito fore, ut dictis facile aſſentiantur, qui non minorem operam in Metaphyſica, quam Matheſi collocarunt. Quodſi ceteris dixiſſe videar, quæ non ſatis intelliguntur; hi ſibi imputent, non mihi, quod, quæ clarius dici non poſſunt, non intelligant, æquos ſe præbituri in imputando, ubi de imputatione agitur.

Sunt

Digitized by Google

Sunt enim bene multa in ſcientiis, quæ non promiſcue omnibus, ſed intelligentibus dicuntur. Utinam hæc ad animum revocarent, qui cum ſint in Philoſophia tirones, in omni Matheſi prorſus hoſpites ac peregrini, dictatoria auctoritate de iis, quæ non intelligunt, nec ſatis intelligere poſſunt, ſententiam decretoriam ferunt, quaſi judices competentes, etſi omnium maxime incompetentes, propterea quod dignitate, qua eminent, omniſcientiam ſibi videntur conſecuti! Si vero ſapere nolint (ſero enim ſapiunt Phryges), nec ægre ferant, ſi eorum judicium tanquam temerarium contemnatur.

§. 609.

Aliud principium graduum imputationis ex rationis defectu.

Quo minus rationis agenti fuerit, ut ea fecerit, unde in alterum mali vel boni quidpiam redundat; tanto magis imputatur actio. Quo minus enim rationis fuerit agenti, ut ea faceret, unde in alterum mali vel boni quidpiam redundat; eo facilius erat, ut contrariam ederet actionem. Enimvero cum libertas conſiſtat in facultate ex pluribus poſſibilibus ſponte eligendi, quod placet (§. 491 *Pſychol. empir.*); eo magis libere quid feciſſe cenſetur, quo minus ipſi fuerit rationis, cur faceret. Quamobrem cum actiones eo magis imputentur, quo magis liberæ ſunt (§. 606); quo minus rationis agenti fuerit, ut ea fecerit, unde in alterum mali vel boni quidpiam redundat, eo magis actio imputanda.

Si propoſitionem hanc inter notiones communes retuleris, a vero non aberraveris. Exempla enim obvia imputationis docent, magis imputari actionem, ſi cui minus rationis fuerit, cur hoc fecerit, quam ſi plus rationis habuiſſe videtur. Probe autem tenendum eſt nobis hic nondum eſſe quæſtionem de actionis moralitate: qua ſuppoſita propria dantur pro diverſitate factorum imputationis principia, generalibus utique clariora, præſertim iis, qui ab his, quæ abſtracta ſunt, alienum habent animum. Ponamus e. gr. te in hominem tibi prorſus ignotum conferre beneficium. Nemo non id ipſum magis tibi imputabit, quam ſi idem contuleris in alium de te ante optime meritum. Similiter ſi male facias ei, a quo nunquam fueris læſus; magis imputatur, quam ſi malum malo rependis, præſertim minus majori. Imputantur agenti actiones, quatenus liberæ ſunt (§. 532): magis adeo imputantur, quo magis liberæ cenſentur. Quamobrem cum vulgo magis imputetur actio, ſi agenti minus rationis fuerit, cur eam ediderit; neceſſe utique eſt, ut ea magis libera cenſeatur. Non minus itaque demonſtratio, quam ipſa propoſitio, notionum communium terminis continetur: ſit ita, quod communis notio, generalibus terminis diſtincte enuntiata, non agnoſcatur promiſcue ab omnibus. Habent enim id, ſi non omnes, pleræque ſaltem inter ſe commune.

§. 610.

Gradus imputationis ex ratione in contrarium proſtante.

Si agenti non defuerit ratio, cur contrariam potius ederet actionem; ea ipſi magis imputatur. Si enim agenti non defuerit ratio, cur contrariam potius ederet actionem, impedimentum non agendi adfuiſſe intelligitur (§. 726 *Ontol.*). Quamobrem cum hoc tollendum fuerit, antequam voluntatem ad agendum determinet; actio non minus in ſe ſpectata, quam quoad ſublationem impedimenti libera eſt (§. 942 *Pſychol. empir.*), conſequenter magis libera cenſeri debet, quam ſi impedimentum nullum adfuiſſet. Magis imputatur actio, quo magis libera (§. 606). Actio igitur agenti magis imputatur, ſi ipſi non defuerit ratio, cur contrariam potius ederet.

Nec hæc propoſitio a notione communi diſtat. Quodſi enim quis male faciat ei, a quo beneficiis multis cumulatus fuit; actio eidem magis imputari ſolet, quam ſi male fecerit ei, a quo nullo beneficio mactatus unquam fuit. Et viciſſim magis imputatur actio,

ſi quis in hominem inimicum, quam ſi in ſibi ignotum contulerit beneficium. Non aliam ſubeſſe rationem majoris imputationis nemo non agnoſcit, quam quod agenti non defuerit ratio, cur contrarium faceret: id quod experiri datur, ubi rationem majoris imputationis requiſiveris. In caſu primo ultro provocantem audies ad beneficia in agentem ab eo collata, cui male fecit; in altero autem ad inimicitiam, conſequenter in utroque ad impedimentum, quod obſtare poterat, quo minus fieret, quod factum. Unde denuo apparet, ipſam quoque demonſtrationem propoſitionis præſentis intra notionum communium ambitum contineri. Plura notionibus communibus inſunt in omni ſcientiarum genere, quam quis ſibi perſuaſerit, qui non ſufficiens acumen ad eas rimandas affert, vel eas attentione ſua non dignatur. Noſtrum igitur eſſe exiſtimamus & aliorum provocare acumen, & aliorum excitare attentionem, ne in proficiendo ſibimet ipſi obſint.

§. 611.

Gradus imputationis ex exceſſu mali vel boni.

Si quis certo fine alteri male, vel bene facit, ad quem obtinendum minus malum vel minus bonum ſuffeciſſet, quam quod per actionem ipſius ponitur; actio illi magis imputatur. Etenim ſi quis certo fine alteri male vel bene facit, ad quem obtinendum minus malum vel minus bonum ſuffeciſſet, quam quod per actionem ipſius ponitur; quoad exceſſum nulla ipſi fuit agendi ratio. Quamobrem cum actio agenti tanto magis imputetur, quanto minus rationis eidem fuerit, ut ea faceret, unde in alterum mali, vel boni quidpiam redundat (§. 609); quin actio magis imputanda ſit agenti, qui cum certo fine alteri male vel bene faciat, majus malum vel bonum eligit, quam ad eum conſequendum ſufficit, dubitandum non eſt.

Quod jam ſæpius inculcavimus, hic in primis notandum eſt, nobis jam non eſſe quæſtionem de moralitate actionis, neque etiam de eo, ad quod imputatur actio; ſed de eo tantum, num & quantum ea imputanda veniat. Ponamus Titium inviſere Cajum, quod tibi maxime diſplicet. Ponamus ulterius eundem id lubentiſſime fuiſſe omiſſurum, ſiquidem ipſi hoc interdixiſſes ſub comminatione amicitiæ non amplius cum ipſo colendæ: imo nec Cajum inviſurum in poſterum, modo ipſi interdicas, ne hoc faciat. Te vero injuriam, quam tibi illatam exiſtimas, vindicaturum, non modo famam ejus apud ipſius Patronos laceſſere, verum etiam impedire, quo minus matrimonium cum cognata tibi virgine contrahere poſſit, in quo negotio ipſum & juvare poteras, & auxilium omne promiſeras; nemo non hancce vindictam tibi magis imputabit, quam interdictum de non inviſendo Cajo. Majorem imputationem colligas ex majore reprehenſione, quam incurrit, qui hoc facit, & ex indignatione eorum, qui ſuccenſent, quod hoc fecerit; quemadmodum ex adverſo minorem imputationem inferimus ex eo, quod factum alterius excuſatur.

§. 612.

Gradus imputationis ex gradu boni vel mali.

Quo majus bonum vel malum ex actione conſequitur; eo magis ea imputatur. Etenim actiones ideo imputabiles ſunt, quia ex ipſis per ſe ſequitur aliquid boni vel mali (§. 592). Quo igitur majus bonum vel malum ex actione conſequitur, eo utique magis imputanda eadem venit.

Inde eſt, quod ad condonandum alteri ſint difficiliores, qui magno malo affecti ſunt, hac ratione, ubi ad condonandum adhortantur, addita, quod nimis ingens ſit malum, quo alter ipſos affecerit.

§. 613.

Imputatio ob obligationem.

Si quis obligationi ſuæ ſatisfacit; actio eidem non imputatur quoad ea, quæ ex eadem ſequuntur, mala. Etenim obligatio, paſſiva ſcilicet, utpote de qua hic ſermo eſt, cum ſit neceſſitas moralis ſic & non aliter agendi (§. 118);

(§. 118); quatenus obligationi quis ſatisfacit, eatenus penes ipſum non ſtetit facere aliter, conſequenter actio quoad ea, quæ inde ſequuntur, non cenſetur libera (*§. 941 Pſychol. empir.*). Quamobrem cum actiones nemini imputentur, niſi quatenus liberæ ſunt (§. 528); ſi quis obligationi ſuæ ſatisfacit, actio, ex qua ſequuntur mala, eidem quoad hæc imputari nequit.

Nimirum, ſi cui actio imputatur, is cauſa libera declaratur boni vel mali, quod ex actione ipſius conſequitur (§. 527). Enimvero qui obligationi ſatisfacit, eum id facere neceſſe eſt, adeoque per ipſum minime ſtetit, ut declinaret malum, quod ex actione ejus conſequitur. Ecquis ergo ipſum diceret cauſam liberam iſtius mali? E. gr. Teſtis ad dicendam veritatem in judicio obligatus eſt. Quodſi adverſus amicum ſibi teſtimonium deponit, obligationi ſuæ ſatisfacit. Ponamus jam hoc teſtimonio eundem gravari, ut in pœnam incurrat. Quod verum dixerit, hoc reſpectu imputari nequit. Etenim ne gravaret alterum, penes ipſum minime ſtetit, cum neceſſe eſſet, ut diceret veritatem (§. 118), obligatione libertatem naturalem celandi veritatem, ne gravetur amicus, reſtringente. Unde eſt, quod amico actionem imputanti reſpondet, quod veritatem dicere oportuerit, manifeſto indicio, quod ſe adverſus imputationem tueatur non integro libertatis naturalis ſeu phyſicæ uſu.

§. 614.

Quatenus imputetur actio qua obligationi ſatisfit.

Si quis obligationi ſuæ ſatisfacit, actio ipſi imputatur quoad ea, ob quæ ad eam edendam obligatur, & quoad ea, quæ vi legis inde conſequuntur. Etenim ſi quis obligationi ſuæ ſatisfacit, cum etiam non ſatisfacere poſſet; libere eidem ſatisfacit (§. 941 *Pſychol. empir.*). Quamobrem ſi ea, ob quæ ad eam edendam obligatur, conſequuntur; cauſa eorum libera cenſetur (§. 526), conſequenter quoad ea actio ipſi imputatur (§. 527). ***Quod erat unum.***

Eodem vero modo intelligitur, quod etiam ſit cauſa libera eorum, quæ vi legis ex actione, ad quam obligatur, conſequuntur. ***Quod erat alterum.***

Ita in exemplo, quo propoſitionem præcedentem illuſtravimus, teſtis de veritate facti deponens in judicio, obligationi ſuæ ſatisfacit. Obligatur autem ad dicendum verum, ut judex de veritate facti informetur. Teſtimonium verum ipſi imputatur quoad informationem judicis. Teſtis enim utique in cauſa eſt, quod judici conſtet de veritate facti. Et quoniam libere dixit veritatem, quam celare poterat, ſiquidem obligationi ſuæ ſatisfacere noluiſſet; informationis judicis de veritate facti cauſa libera eſt. Ergo quoad hanc actio ipſi imputatur. Quodſi vero amicus, qui teſtimonio ejus gravatus fuit, urget malum inde profectum, nimirum condemnationem in pœnam; tunc demum ſe tuetur neceſſitate agendi, quatenus ſcilicet penes ſe non ſtetit avertere, quod alteri malum eſt. Quodſi lege præmium quoddam decernitur agenti, hoc vi legis actionem liberam conſequitur (§. 295). Agens adeo recte habetur cauſa libera præmii accepti (§. 526), adeoque actio quoad præmium acceptum ipſi imputatur.

§. 615.

Quatenus imputetur actio obligationi contraria.

Si quis obligationi ſuæ non ſatisfacit, actio agenti imputatur quoad ea, ob quæ ad non agendum obligatur, & quoad ea, quæ vi legis inde conſequuntur. Oſtenditur eodem modo, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus.

Ita in exemplo anteriore teſtis obligationi ſuæ de dicendo vero non ſatisfacit, ſi falſum perhibet teſtimonium. Obligatur vero ad non dicendum falſum teſtimonium, ne judex male informatus vel nocentem non puniat, vel innocentem damnet. Teſtimonium adeo falſum

imputatur teſti, tum quoad falſam judicis informationem, tum quatenus delictum manſit impunitum, vel quatenus innocens fuit condemnatus. Poſterius clarius adhuc patebit, ubi de facti alieni imputatione egerimus: unde etiam plenius conſtabit, cur in caſu oppoſito rei condemnatio teſti vera dicenti imputari nequeat. Quæ enim a facto judicis pendent, eorum nonniſi ratio haberi poteſt, ubi de imputatione actionis judicis quæſtio eſt. Cui enim actio judicis imputari nequit, ei nec imputari poteſt actio propria, unde iſta pendet, quoad ea, quæ inde conſequuntur. Enimvero ſi actio judicis agenti imputanda venit, propria etiam imputatur quoad ea, quæ inde fuere conſecuta. Quodſi lege pœna decernitur agenti, hæc vi legis actionem liberam conſequitur (§. 285). Agens adeo recte habetur cauſa libera pœnæ ſibi inflictæ (§. 526), adeoque actio quoad pœnam inflictam ipſi imputatur (§. 527). Vides adeo in imputatione acute a ſe invicem eſſe diſtinguenda, quæ ex actione tua per ſe conſequuntur, ab iis, quæ nonniſi facto alieno mediante ab eadem pendent. Vides præterea non minus acute diſcernendum eſſe, quantum, & quatenus libertas influat agentis in eam actionem, unde immediate conſequitur, quod alteri vel ipſi agenti bonum vel malum eſt. Qui in hiſce non ſatis acutum ſe probat, in imputandis actionibus facile a vero aberrat. Nulli tamen dubitamus per ea, quæ de imputatione tradimus, excitari acumen illorum, qui principia, quibus nititur hæc doctrina, probe perſpecta habent.

§. 616.

Intentio agentis quid ſit.

Agens *intendere* dicitur id, propter quod agit. Unde *intentio agentis* eſt volitio ejus, propter quod agit, ſeu volitio, qua vult, ut fiat id, vel non fiat, propter quod agit.

E. gr. Si quis falſum teſtimonium perhibet, ut innocens damnetur; damnationem innocentis intendit, & actus voluntatis, quem uno nomine volitionem dicimus, quo vult innocentem damnari, intentio ejus eſt. Similiter qui gladio percutit alterum animo vulnerandi, vulnerationem intendit & actus voluntatis, quo vult eundem vulnerari, intentio ipſius eſt. Et quoniam fur alteri rem ſuam aufert animo ſe locupletandi, locupletationem ſui intendit, & volitio locupletationis eſt intentio ipſius. Qui vero alteri rem ſuam aufert animo eam perdendi, ut ægre faciat; is & corruptionem rei alterius & tædium inde a domino percipiendum intendit, & intentio ejus in hoc conſiſtit, quod velit alterius rem deſtruere, & tædium alteri creare.

§. 617.

Finis ab agente intentus.

Finis ab agente intenditur. Etenim propter finem cauſa efficiens agit (§. 932 *Ontol.*). Quamobrem cum agens id intendat, propter quod agit (§. 616); quod finis ab agente intendatur, liquet.

V. g. Vindictæ cupidi finis eſt lædenti ægre facere. Quamobrem eidem ægre facere intendit. Ægroti Medicum conſulentis finis eſt recuperatio ſanitatis. Quare recuperationem ſanitatis intendit. Bibentis, dum ſitit, finis eſt ſitim reſtinguere. Reſtinctio itaque ſitis a bibente intenditur.

§. 618.

Intentionis imputatio.

Intentio agenti imputatur. Eſt enim intentio volitio, qua agens vult, ut fiat, vel non fiat, propter quod agit (§. 616). Enimvero anima cum ſit in volendo & nolendo libera (§. 942 *Pſychol. empir.*); intentio quin ſit actio libera, dubitari nequit. Imo idem ex eo quoque liquet, quod omnis volitio libera ſit (§. 13). Quoniam itaque actiones agenti imputantur, quatenus liberæ (§. 532); quin intentio imputanda veniat agenti dubitandum non eſt.

Ita ſi quis alterum gladio percutiens eidem vulnus infligere intendit, intentio ipſi imputatur, etiamſi non actu infligat. Unde videas ſubinde etiam actionem puniri ob intentionem, etiamſi id, quod agens intendit, non fuerit conſecutus.

§. 619.

Digitized by Google

§. 619.

Intentio primaria appellatur, qua quid ita intenditur ab agente, ut ſi nihil aliud præterea intendat, propter hanc ſolam ageret. *Secundaria* autem dicitur *intentio*, ſi quid juxta alterum intenditur, ita ut propter hanc ſolam non ageret, niſi præterea aliud intenderet agens.

Intentio primaria & ſecundaria.

Denominatio hæc deſumta eſt a denominatinne finis, qui eodem ſenſu in primarium & ſecundarium dividitur (§. 942 *Ontol.*). Agedum vero diſtinctionem intentionis illuſtremus aliquo exemplo. Si quis alterum conviciis proſcindit, ut ejus famæ maculam inurat, hoc facturus, ſi præterea nihil aliud intenderet; læſio famæ alterins primario intenditur. Ubi vero hoc præterea facit, ut voluptatem inde percipiat Titius, idem tamen non facturus, niſi famam ejus, quem conviciis prnſcindit, laceſſere vellet; voluptatem Titii ſecundarin intendit. Fieri poteſt, ut ſubinde per unam eandemque actionem multa ſimul intendantur, ut non minus primaria, quam ſecundaria intentio compoſita ſit, utraque ex pluribus ſimplicibus conſtante.

§. 620.

Finis primarius primario intenditur; ſecundarius nonniſi ſecundario. Quoniam propter finem primarium quis ita agit, ut, ſi nullum alium ſibi propoſitum haberet, ob hunc ſolum ageret (§. 942 *Ontol.*); agens eundem ita intendit, ut, ſi præterea nihil aliud intendat, propter eam intentionem ſolam ageret. Sed primaria eſt intentio, qua quid ita intenditur ab agente, ut, ſi præterea nihil aliud intendat, propter hoc ſolum ageret (§. 619). Finis adeo primarius primario intenditur. *Quod erat unum.*

Finis primarii & ſecundarii intentio.

Similiter quia agens propter finem ſecundarium ita agit, ut, ſi non præterea alium ſibi propoſitum haberet, non ageret (§. 942 *Ontol.*); eum juxta alterum intendit, ita ut propter hoc ſolum non ageret, niſi præterea aliud intendetet. Enimvero ſecundaria eſt intentio, qua quid juxta alterum intenditur, ita ut propter hanc ſolam non ageret, niſi præterea aliud intenderet (§. 619). Finis adeo ſecundarius ſecundario intenditur. *Quod erat alterum.*

E. g. Finis primarins ſtudioſi in Academiam proficiſcentis eſt ſtudiis operam navare; ſecundarius vero ſunt exercitia corporis (*not.* §. 942 *Ontol.*). Primario itaque intendit ſtudiis navare operam; ſecundario vero exercitiis corporis vacare.

§. 621.

Intentio directa eſt, qua id intenditur, propter quod agens agit. *Indirecta* vero *intentio* eſt, qua quidem agens per ſe non vult, quod ex actione ipſius ſequitur, quod tamen perinde, ac id, quod vult, ex eadem ſequi poteſt.

Intentio directa & indirecta.

E. gr. Ponamus gladio ferientem alterum intendere vulnus eidem infligendum, ſed, dum eundem ferit, eum interficere. Vulnus directe, aſt interfectionem indirecte intendiſſe dicitur.

§. 622.

Finis directe intenditur, ſed, quod indirecte intenditur, finis non eſt. Etenim propter finem agens agit (§. 932 *Ontol.*). Sed directe intenditur id, propter quod agens agit (§. 621). Ergo finis directe intenditur. *Quod erat unum.*

Quænam ſit intentio finis.

Quod

Quod indirecte intenditur, propter hoc agens non agit, etſi ex actione ſequatur, quod non ſequi maluiſſet (§. 621). Enimvero finis id eſſe nequit, propter quod agens non agit (§. 932 *Ontol.*). Ergo quod indirecte intenditur, finis non eſt.

Ita qui alterum indirecta intentione interficit, dum directa vulnus inſerre tentat, finem ſibi propoſitum non habet alterum interficiendi, eſt tamen ipſi finis eundem vulnerandi.

§. 623.

Directe & indirecte velle quid dicamur.

Quoniam intentio volitio quædam eſt (§. 616); ideo id, quod directe intendimus, *directe* etiam *velle*, & quod nonniſi indirecte intendimus, *indirecte velle* dicimur.

Ita qui alterum vult vulnerare, directe id velle dicitur; indirecte autem velle dicitur interfectionem alterius.

§. 624.

An indirecta volitio ſit vera volitio.

Quod quis vult indirecte, id vere vult. Etenim quod quis indirecte vult, id indirecte intendit (§. 623). Quod indirecte intenditur ex ea actione, quæ directa intentione editur, perinde ſequi poteſt, quam quod directe intenditur, nec in agentis poteſtate eſt efficere, ut hoc potius ſequatur, quam alterum (§. 621). Quamobrem quod quis vult indirecte, idem non averſatur; ſi enim averſaretur, non poſſet edere actionem, unde eadem facilitate ſequitur, quam alterum, quod fieri mallet. Qui quid non averſatur, ubi aut appetere, aut averſari debet; id utique appetere debet. Patet itaque, quod quis vult indirecte, id eundem vere velle.

Qui alterum gladio percutit animo vulnerandi, vulnus inſerre poteſt & lethale, & minus lethale. In agentis poteſtate poſitum non eſt ſibi cavere, ne vulnus infligat lethale; ſed ob circumſtantias particulares evenire poteſt, ut accidat, quod non accidere mallet. Quamobrem ſi nollet alteri infligi vulnus lethale, ipſum gladio ferire minime deberet, ſed ei ab actione prorſus deſiſtere neceſſe foret. Quoniam igitur nondum certus, utrum horum evenire poſſit, agit; vulnus alteri lethale minime averſatur, ubi idem aut averſari, aut appetere deberet. Quamvis itaque mallet vulnus, quod infligere alteri vult, eſſe potius non lethale, quam lethale; non tamen dici poteſt, quod nolit vulnus lethale eidem infligi, ſed vere potius vult, utut, ſi per ipſum ſtaret, contrarium fieri mallet. Nimirum in intentione, adeoque volitione indirecta pugnant quaſi inter ſe voluntas & noluntas, prævalet tamen voluntas ob intentionem ſeu volitionem directam, quoniam ſi noluntas prævaleret, agens ab agendo abſtineret, ſicuti voluntate prævalente agit. Quodſi actio indirecte quid volentis fuerit deliberata, pugnam, quam diximus, voluntatis & noluntatis & victoriam voluntatis diſtincte obſervare licet: imo ſi cum alio fiat conſultatio, verba quoque, quæ miſcentur, utramque aperte loquuntur. Actus vero, qui tum diſtincte ſeſe produnt, non minus in caſu oppoſito ideis confuſis inſunt, ea quibus decretoria agendi voluntas reſultat. Diſtinctæ perceptiones in evolutione confuſarum conſiſtunt.

§. 625.

Imputatio intentionis indirectæ.

Indirecta intentio agenti imputatur. Quod enim quis indirecte intendit, idem indirecte vult (§. 623). Enimvero quod quis vult indirecte, id vere vult (§. 624). Quamobrem cum volitiones animæ ſint actiones liberæ (§. 13); indirecta volitio, conſequenter indirecta intentio (§. 623) actio libera eſt. Enimvero imputantur homini actiones, quatenus ſunt liberæ (§. 532). Quamobrem indirecta quoque intentio agenti imputatur.

Ponamus

Digitized by Google

Ponamus e. g. Sempronium interficere Titium intentione directa eum nonniſi vulnerandi. Quoniam indirecte intendit hujus interfectionem, interfectio ipſi imputatur, nec indirecta intentio eum ab imputatione abſolvit. Quoniam actionem omittere poterat, qua Titium interfecit; ea utique libera cenſetur (§. 941 *Pſychol. empir.*). Cauſa igitur libera eſt necis alterius (§. 526), ac ideo interfectio Titii eidem imputatur (§. 527).

§. 626.

Gradus imputationis indirectæ & directæ intentionis.

Intentio directa magis imputatur, quam indirecta. Quod enim directe intenditur, propter id agens agit (§. 621), adeoque id per ſe ipſum vult (§. 623). Quod vero indirecte intenditur, id per ſe non vult, ſed vult tantummodo, quatenus ob intentionem directam agere nequit, niſi idem velit (§. 621. 623). Quoniam itaque libertate ſponte eligimus ex pluribus poſſibilibus, quod placet (§. 941 *Pſychol. empir.*); intentio directa magis libera eſt, quam indirecta. Quamobrem cum actio magis imputetur, quo magis ea libera fuerit (§. 606); quin directa intentio magis imputanda veniat, quam indirecta, dubitandum non eſt.

Ita ſi quis directa intentione alterum interficit, magis hoc ipſum imputatur, quam ſi interfecerit intentione indirecta.

§. 627.

Intentio immediata & mediata.

Intentio immediata eſt, qua quid propter ſe intenditur: *mediata* vero, qua quid intenditur propter alterum, quatenus ſcilicet per hoc conſequimur alterum, quod intenditur.

E. gr. Bellum alteri inferens per ſe intendit conſecutionem juris ſui, quod ab altero ipſi denegatur. Quoniam autem nonniſi vi adhibita idem conſequi datur; vaſtationem rerum hoſtilium intendit, quatenus ea alterum adigere vult, ut jus ſuum ſibi reddat. Conſecutio adeo juris ſui eſt id, quod immediate intendit, & volitio juris ſui conſequendi intentio immediata eſt. Aſt vaſtationem rerum hoſtilium mediate intendimus, & velle eandem mediata intentio eſt.

§. 628.

Utriusque imputatio.

Intentio non minus mediata, quam immediata agenti imputatur. Etenim quod immediate intendimus, id propter ſe volumus; quod vero mediate intendimus, id volumus propter aliud, quod intenditur, ut ſcilicet ipſum conſequi valeamus (§. 627). Quamobrem cum omnis volitio actio libera ſit (§. 13); non minus mediata, quam immediata intentio, actio libera eſt. Enimvero actiones agenti imputantur, quatenus ſunt liberæ (§. 532); agenti adeo imputatur non minus mediata, quam immediata intentio.

E. gr. Si quis ad celebritatem nominis contendere decrevit, ac ideo profundam ſcientiam acquirere ſtudet; celebritatem nominis immediate intendit, mediate autem ſcientiam profundam. Non minus autem ipſi imputatur, quod ſcientiam profundam acquirere velit, quam quod ad nominis celebritatem contendere decreverit. Similiter ſi quis conviciis alterius famam laceſſit & ſparſis calumniis eidem maculam inurere conatur, ne munere, quod ambit, potiatur; is immediate intendit, ne alter Spartam nanciſcatur, quam ornare poſſit, mediate vero læſionem famæ ejusdem. Utraque intentio agenti imputatur.

§. 629.

Relatio intentionis mediatæ

Quod immediate intenditur, per modum finis ſe habet; quod vero intenditur mediate, id ſe habet per modum medii ad finem iſtum conſequendum adhibiti.

Digitized by Google

ad immediatam.

adhibiti. Etenim quod immediate intenditur, propter ſe intenditur (§. 627), adeoque propter iſtum agens agit. Quare cum id finis ſit, propter quod agens agit (§. 932 *Ontol.*); quod immediate intenditur, per modum finis ſeſe habet. *Quod erat unum*.

Enimvero quod mediate intenditur, id ideo intenditur, ut alterum, quod intenditur, conſequamur (§. 627), conſequenter quod mediate intenditur, in ſe rationem continere debet, cur alterum a nobis intentum conſequi detur (§. 56 *Ontol.*). Enimvero medium eſt, quicquid rationem continet, cur finis actum conſequatur (§. 937 *Ontol.*), & quod immediate intenditur, per modum finis ſeſe habet *per demonſtrata n. 1*. Quamobrem quod mediate intenditur, ad id, quod immediate intenditur, ſeſe habet per modum medii ad finem conſequendum adhibiti. *Quod erat alterum*.

Ita celebritas nominis, ad quam quis contendere decrevit, ſeſe habet per modum finis, & ſtudium, quod collocatur in ſcientia profunda, aut, ſi mavis, ipſa ſcientia profunda, quam acquirere ſtudet, per modum medii, quo finem intentum conſequi daiur. Celebritas nominis intenditur immediate; ſcientia autem profunda mediate. Habet igitur id, quod immediaie intenditur, ſeſe per modum finis, & quod mediate intenditur, per modum medii ad iſtum conſequendum adhibendi, vel actu adhibiti. Similiter dum quis impedire decrevit, ne alter munus, quod ambit, nanciſcatur; id ipſum per modum finis ſeſe habet. Dum vero alterum conviciatur & calumnias de eo ſpargit; id ipſum per modum medii eſt, quo finem iſtum conſequi ſeſe poſſe exiſtimat. Intenditur prius immediate; poſterius vero mediate. Unde denuo liquet, quod mediate intenditur habere ſeſe ad id, quod intenditur immediate, per modum medii ad finem. Quoniam qui vult finem, media etiam velit neceſſe eſt (§. 941 *Ontol.*); non minus intentio mediata, quam immediata volitio quædam eſt, adeoque actio libera (§. 13). Unde ſequitur, quod jam aliter demonſtravimus (§. 628), non minus intentionem mediatam, quam immediatam imputandam eſſe agenti (§. 532).

§. 630.

Qualis ſit finis ac medii intentio.

Finis intenditur immediate, medium vero mediate. Cum enim agens propter finem agat (§. 932 *Ontol.*), eundem quoque intendit propter ſe. Quoniam itaque immediate intenditur, quod propter ſe intenditur (§. 627); finis immediate intenditur. *Quod erat unum*.

Enimvero agens media non vult, niſi propter finem (§. 941 *Ontol.*), adeoque medium non intendit, niſi propter eundem. Quamobrem cum mediate intendatur, quod propter aliud intenditur (§. 627); medium nonniſi mediate intenditur.

Confirmatur veritas propoſitionis præſentis exemplis, quæ modo dedimus (*not.* §. 629).

§. 631.

Finis cur primus in intentione.

Quoniam finis immediate intenditur (§. 630), adeoque propter ſe, non propter aliud (§. 627); *Finis primus eſt in intentione*.

Nimirum finis primo ſubit mentem noſtram, & ubi eum intendimus, tum demum cogitamus de mediis, quibus decretis, hæc demum intenduntur. De hiſce enim non cogitaremus, niſi finem intenderemus.

§. 632.

§. 632.

Medium cur ſecũdum in intentione.

Et quia media mediate intendimus (§. 630), adeoque propter aliud (§. 627), ſcilicet propter finem (§. 941 *Ontol.*), qui primus intenditur (§. 631); *medium ſecundum eſt in intentione*.

Repetenda hic ſunt, quæ modo ad corollarium præcedens annotavimus. Neque vero exiſtimandum eſt, duo hæc corollaria nullius eſſe uſus. Habent enim uſum in praxi morali de evitandis delictis, ſeu in genere de evitandis actionibus legi naturæ contrariis & fuga vitiorum. Imo nec deſunt caſus imputandorum delictorum, ubi eorundem habenda eſt ratio. Fidem oculatam dabimus ſuo loco. Conſultum autem ducimus de uſu quædam præmoneri, ne ſterilibus principiis præter neceſſitatem theoriam multiplicaſſe videamur.

§. 633.

Differentia intentionis & propoſiti.

Intentio differt a propoſito. Etenim intentio eſt actus voluntatis, quo volumus id, propter quod agimus (§. 616): propoſitum vero eſt actus voluntatis, quo determinatur executio decreti (§. 503 *part. I. Theol. nat.*), conſequenter quo voluntatem agendi vel non agendi non mutare volumus. Enimvero diverſa utique ſunt velle agere propter hoc & nolle agendi voluntatem mutare (§. 183 *Ontol.*). Quamobrem patet, intentionem a propoſito agendi differre.

Falluntur adeo, qui intentionem & propoſitum pro uno eodemque actu voluntatis habent (§. 181 *Ontol.*). Facile tamen confundi potuerunt, quæ diverſa ſunt. Etenim intentio & propoſitum ſunt actus voluntatis, qui eandem reſpiciunt actionem. Quodſi ergo de notione actionum humanarum ſatis diſtincta non fueris ſollicitus, diverſus ille reſpectus non facile obſervatur, vago præſertim loquendi uſu, quem confuſis notionibus deberi conſtat, acumen obtundente. Hoc vero latente non perſpicitur differentia, quæ inter intentionem & propoſitum intercedit. Neceſſe tamen eſt in actionibus humanis diſtingui, quæ diverſa ſunt, ſiquidem judicia de iis ferenda veritati ad amuſſim reſpondere debent. Exemplum dabimus mox ad propoſitionem ſequentem, ne deſit idea, ad quam notio præſenti reſpondens referatur, ut omnem, quam habere poteſt, nanciſcatur claritatem.

§. 634.

Differentia intentionis a decreto.

Intentio differt a decreto. Etenim intentio eſt actus voluntatis, quo volumus id, propter quod agimus (§. 616), conſequenter qui quid intendit, is vult, ut quid ſit, vel fiat, vel ut non ſit, vel non fiat. Sed decretum eſt determinatio voluntatis ad aliquid agendum, vel non agendum (§. 497 *part. I. Theol. nat.*). Quoniam itaque velle, ut quid ſit, vel non ſit, aut ut quid fiat, vel non fiat, & determinare voluntatem ad agendum vel non agendum, diverſa ſunt (§. 183 *Ontol.*); intentionem a decreto differre liquet.

Ponamus te velle vulnus faciei alterius infligere, ut deformetur. Dum vis alterius faciem deformari, deformationem intendis (§. 616). Dum voluntatem determinas ad vulnus faciei alterius infligendum, vulnus infligere decernis (§. 497 *part. I. Theol. nat.*). Dum ipſo opere exequi vis, quod decernis, conſequenter animus tibi manet vulnus faciei alteri infligendi; tibi hoc facere proponis. Evidens adeo eſt differre inter ſe intentionem, decretum, & propoſitum. Ecquis enim eſt, qui pro uno eodemque actu venditaverit, velle deformationem faciei alterius, determinare voluntatem ad infligendum vulnus faciei alterius, quo ea deformetur, & non mutare voluntatem vulneris infligendi? Notandum vero, poſſe etiam decerni deformationem faciei alterius, nullo adhuc habito reſpectu ad modum deformandi. Sed tum actus deformandi in genere decernitur, & conſultatione eruitur, qualis actus iſte eſſe debeat in ſpecie, adeoque decretum actus in ſpecie ſequitur decretum actus in genere. Inde vero eſt, quod decretum facile confundatur cum intentione,

tione, aut ſaltem non appareat, quomodo ab hac diſtingui debeat, quemadmodum vulgo cum propoſito confundi ſolet. Ne igitur hoc fiat, decretum generale, quod implicatur intentioni, ab hac probe diſtinguendum. Ad unum eundemque actum externum plures concurrunt volitiones, quæ non ſatis diſcernuntur ab iis, qui acumen ſuum & attentionem ſuam in ſe deſiderari patiuntur.

§. 635.

Executio decreti & propoſiti.

Executio decreti & propoſiti eſt editio illarum actionum, quas committere decrevimus & nobis propoſuimus.

E. g. Si quis actu vulnus infligere tentat, vel etiam infligit faciei alterius, quam deformare intendit; decretum & propoſitum ſuum exequitur. Et executio decreti atque propoſiti conſiſtit in iis actibus, quibus vulnus infligere conatur vel etiam infligit alterius faciei. Abſit autem, ut quis ſibi perſuadeat executionem decreti ac propoſiti ſemper conſiſtere in actibus externis. Etenim decernere quoque & proponere nobis poſſumus actus intellectus, veluti ſi Mathematicus decernit ſolutionem alicujus problematis ad ſolvendum publice propoſiti, ſibique proponit, quod cras ſolutioni incumbere velit. Solvitur enim problema meditando: meditatio autem operationibus intellectus, aliis facultatis cognoſcitivæ inferioris ſubinde concurrentibus, abſolvitur.

§. 636.

Imputatio executionis decreti & propoſiti.

Executio decreti & propoſiti agenti imputari poteſt. Qui enim decretum & propoſitum exequitur, eas committit actiones, quas committere decrevit ſibique propoſuit (§. 635), conſequenter eas committere vult, voluntate conſtante, (§. 497. 503 *part. I. Theol. nat.*). Quoniam itaque volitiones omnes liberæ ſunt (§. 13); executio decreti & propoſiti a libertate animæ dependet (§. 56. 851 *Ontol.*), adeoque actio libera eſt (§. 12). Quamobrem cum actiones agenti imputentur, quatenus liberæ ſunt (§. 532); executio decreti & propoſiti agenti imputatur.

De imputatione executionis decreti atque propoſiti nemo dubitat, cum nimis manifeſta ſit ejus a libertate animæ dependentia.

§. 637.

Imputatio decreti & propoſiti.

Decretum atque propoſitum imputatur. Eſt enim non minus decretum (§. 497 *part. I. Theol. nat.*), quam propoſitum, volitio quædam (§. 503 *part. I. Theol. nat.*). Quamobrem cum omnis volitio ſit actio libera (§. 13), & actiones agenti imputentur, quatenus ſunt liberæ (§. 532); decretum atque propoſitum homini imputantur.

Non eſt, quod excipias, imputari actiones, quia ex iis ſequitur per ſe quidpiam agenti aut aliis boni vel mali (§. 592), ea ſolo autem decreto ac propoſito agenti, niſi executioni demandetur, nihil tale ſequi: quod idem de intentione nuda valet (§. 616). Etſi enim dici non poſſit cauſa libera boni vel mali, quod nondum exiſtit; recte tamen dicitur, quod velit eſſe mali vel boni ex eo, quod agere decrevit, ſibique propoſuit, conſequentis cauſa libera. Quoniam actiones non imputantur niſi quatenus liberæ (§. 528); imputativitas a volitione in actionem, quam decreto & propoſito convenienter committimus, derivatur; non vero eidem per ſe ineſt. Ecquis ergo dubitet, imputationi jam eſſe locum in decreto atque propoſito, etſi nondum locum habeat quoad bonum, vel malum actuale? Non abhorrent hæc a notionibus communibus. Ecquis enim eſt, qui neſciat, imputari homini benefaciendi voluntatem, etſi quod maxime vult, facere non poſſit? imputari etiam propoſitum lædendi, etſi actu nondum læſerit? Inde eſt, quod eum laudemus & amemus, qui benefaciendi voluntatem habet, etſi deſint vires; & ex adverſo alterum, cui alterum lædendi propoſitum eſt, vituperemus & odio proſequamur, eidemque indignemur, utut nondum læſerit alterum. Imo nec deſunt exempla, ubi delinquendi propoſitum punitur, etſi ſint rationes, cur vulgo non puniantur delicta, niſi actu commiſſa. Haud parum intereſt,

ut

Digitized by Google

ut agnoſcatur, quænam ſint ea, quæ in qualibet actione imputanda veniunt. Inde enim innoteſcit, quantum imputanda veniat actio. Etenim eaodem duo committere poſſunt actionem, unde idem prorſus ſequitur bonum vel malum; nec tamen utrique æqualiter imputanda eſt.

§. 638.

Effectus caſualis num imputari poſſit.

Actio quoad effectum caſualem agenti per ſe imputari nequit. Etenim effectus caſualis oritur ex concurſu cauſarum, alterius effectus gratia agentium (*§. 460 part. II. Theol. nat.*). Quamobrem ſi ex actione hominis emergit, agens nec eum prævidere, multo minus intendere potuit, adeoque præter ejus expectationem & voluntatem accidit. Patet adeo actionem quoad effectum caſualem non dependere a libertate animæ (§. 491 *Pſychol. empir.*), conſequenter non eſſe liberam (*§. 12*). Quoniam itaque actiones non imputantur, niſi quatenus liberæ ſunt (§. 528); actio quoad effectum caſualem agenti per ſe imputari nequit.

E. gr. Si quis menſæ aſſidens ipſum alloquenti vultum obvertit, & a tergo advenientem cum vitro, quod vino plenum eſt, non videns, in vitrum impingit, ut vinum in alterius veſtem effundatur; effectus hic caſualis eſt. Quæcunque enim ad eum concurrunt cauſæ, alterius effectus gratia agunt: ex earum vero concurſu effectus reſultat, cujus gratia cauſa nulla egit. Tum vero effectum eſſe caſualem patet (§. 460 *part. II. Theol. nat.*). Etſi itaque effuſio vini in veſtem alterius ab actione tunc ita dependet, ut, ea non poſita, nec ipſa poſita fuiſſet; non tamen ab eadem dependet, quatenus libera eſt. Quamobrem nec tibi imputari poteſt, quod vinum in alterius veſtem fuerit effuſum. Conſideratur autem hic effectus caſualis in ſe, quatenus exiſtit, nulla habita ratione, num a te evitari potuiſſet. Atque ideo dicimus, actionem quoad effectum caſualem per ſe imputari non poſſe. Quatenus enim caſualis eſt, ejus actualitas nullatenus a libertate tua dependet. Hinc eſt, quod in criminalibus homicidium caſuale non imputetur.

§. 639.

Quatenus imputationi actionis quoad effectum caſualem locus ſit.

Si in tua fuerit poteſtate effectum caſualem evitare; actio quoad eundem tibi imputatur, quatenus eundem evitare poteras. Etenim ſi in tua fuerit poteſtate effectum caſualem evitare, quatenus vel non agere, vel aliter agere poteras; in tantum effectus caſualis a libertate tua dependet (§. 491 *Pſychol. empir.*), conſequenter actio tua reſpectu ejusdem habetur pro libera (*§. 12*). Quamobrem cum actiones imputentur, quatenus liberæ ſunt (*§. 532*); actio quoad effectum caſualem, quem evitare poteras non agendo, vel aliter agendo, tibi imputatur, quatenus eum evitare poteras.

§. 640.

Quatum effectus caſualis imputetur contra legem agenti.

Si ad actionem omittendam fueris obligatus, ex qua effectus caſualis reſultat, eundem evitare poteras, ſiquidem obligationi tuæ ſatisfeciſſes, conſequenter juxta legem eandem determinaſſes (*§. 120. 131*). Quamobrem cum actio legi difformis tibi imputetur (§. 596); ***tibi*** etiam ***imputandum eſt, quod caſum non evitaveris*** (§. 639).

Nimirum effectus caſualis non imputatur (§. 638), ſed imputatur tibi, quod eundem non evitaveris. Ita parentes imputant liberis actiones, quatenus evitare poterant effectus caſuales, ſi contra ipſorum juſſum fecerint, quod non facere debebant, vel ſua ſponte fecerint, quod facere non tenebantur. Vulgus haud raro acutius judicat, quam eruditus, cui notiones diſtinctæ non ſunt ſatis determinatæ. Quamobrem ne in his determinandis

aberres a ſcopo, judicia vulgi majorem merentur attentionem, & majore acumine diſcutienda, quam vulgo putatur. Scientia imperfecta obeſt; perfecta autem, quæ nomen ſuum tuetur, demum prodeſt. Hæc probe perpendant velim, qui importune ſeſe theoriis condendis immiſcent, magnum aggredientes opus, quod vires ipſorum ſuperat.

§. 641.

Num & quatenus actiones imputentur quoad ea, quæ fortunæ debentur.

Quoniam effectus caſuales homini vel boni vel mali ad fortunam referendi (§. 465 *part. II. Theol. nat.*), actiones autem agenti non imputantur quoad effectum caſualem per ſe (§. 638), ſed quatenus eum evitare potuit (§. 639), & actionem committenti, ad quam omittendam fuerat obligatus, imputetur, quod caſum non evitaverit (§. 640); *actiones quoad ea, quæ a fortuna pendent, ſive ſecunda, ſive adverſa, per ſe agenti non imputantur, ſed quatenus ea evitare poterat*, & *ſi ad actionem omittendam fuerat obligatus, quam fortuna adverſa comitatur, agenti imputandum, quod eam non evitaverit.*

Quæ ad propoſitiones præcedentes annotavimus (*not.* §. 638. 640); ea hic repetenda ſunt. Ceterum nemo non videt, nos hic agere de caſu mere tali. Quodſi enim concurrat culpa, ut mere talis non ſit; de eo diſpiciemus deinceps.

§. 642.

Imputationis phyſicæ ac moralis differentia.

Imputatio dici ſolet *phyſica*, ſi ſepoſita omni moralitate actionis judicatur, num agens ſit cauſa libera ejus, quod ex actione ipſius ſequitur, ac ſibi aliiſque bonum vel malum eſt. *Imputatio moralis* eſt, qua actiones agenti imputantur, quatenus ex iis ſequitur quidpiam, quod agenti vel aliis bonum aut malum, ob earum cum lege convenientiam vel diſconvenientiam.

Unde patet, in imputatione morali opus eſſe applicatione legis ad facta, ut intelligatur, utrum actio ſit ejus generis, ut moraliter imputari poſſit, necne. Quamdiu enim de imputatione tantummodo phyſica ſermo fuerit; nulla legis habetur ratio, ſed ſufficit, ex actione per ſe ſequi, quod tibi aut alteri bonum vel malum eſt, ut ea ſit ex imputandarum numero, utrobique autem libertatis in eam influxui, aut ſi mavis, dependentiæ ejusdem a libertate tribuendum, quod actu imputetur. Vi definitionum præſentium haud difficulter diſcernentur, quæ ex antea dictis ad imputationem moralem ſint referenda, quænam vero nonniſi ad imputationem phyſicam ſpectent, præſertim ubi imputatio ſecundum naturæ ſit legem. Lubet tamen adhuc generalia quædam imputationis moralis addere principia, ne quid deſiderari poſſe videatur.

§. 643.

Ad quidnam imputentur actiones legi naturæ conformes & difformes.

Actiones legi naturæ conformes & difformes moraliter imputantur quoad bona, & mala, quæ ex iisdem tum reſpectu noſtri, tum reſpectu aliorum neceſſario conſequuntur. Etenim lex naturæ nos obligat ad committendas actiones, quæ per ſe ad noſtram ſtatusque noſtri & aliorum ſtatusque eorundem perfectionem tendunt, & ad omittendas actiones, quæ per ſe ad noſtram ſtatusque noſtri & aliorum ſtatusque eorundem imperfectionem tendunt (§. 152. 223), conſequenter ad committendas actiones ex quibus neceſſario ſequitur, quod nobis vel aliis bonum eſt (§. 554 *Pſychol. empir.*), & ad omittendas actiones, ex quibus per ſe ſequitur, quod nobis vel aliis malum eſt (§. 565 *Pſychol. empir.*). Quodſi

ergo

Digitized by Google

ergo actiones legi naturæ fuerint conformes, ex iis neceſſario ſequitur, quod nobis vel aliis bonum eſt, ubi fuerint poſitivæ; aut malum quoddam a nobis vel aliis avertitur, ubi privativæ fuerint: id quod etiam in bonorum numero cenſetur. Aſt ubi eidem fuerint difformes, ex iis neceſſario ſequitur, quod nobis vel aliis malum eſt, ubi fuerint poſitivæ; aut bonum quoddam, quo minus conſequamur vel alii conſequantur, impeditur, ubi fuerint privativæ: id quod etiam in malorum numero cenſetur. Enimvero actiones homini imputantur, quia ex ipſis ſequitur per ſe quidpiam agenti vel aliis mali aut boni (§. 592). Actiones itaque legi naturæ conformes & difformes imputantur quoad bona & mala, quæ ex iisdem tum reſpectu noſtri, tum aliorum neceſſario conſequuntur. Imputantur autem actiones moraliter, quatenus ex iis ſequitur, quod agenti vel aliis bonum aut malum eſt, ob earundem convenientiam vel disconvenientiam cum lege (§. 642). Quamobrem cum ea, quæ nobis vel aliis bona ſunt, ex actionibus legi naturæ conformibus conſequantur, quatenus cum eadem conveniunt, & quæ nobis vel aliis mala ſunt, ex iisdem conſequantur, quatenus cum ea disconveniunt *per demonſtrata*; actiones legi naturæ conformes ac difformes agenti imputantur moraliter quoad bona & mala, quæ ex iisdem tum reſpectu noſtri, tum reſpectu aliorum neceſſario conſequuntur.

Ipſa nimirum actionum intrinſeca bonitas & malitia, ob quam ad alias committendas, alias vero omittendas lege naturali obligamur (§. 153), eas imputabiles efficit. Et quia eadem ratio eſt, cur imputabiles ſint, & cur legi naturæ conformes aut difformes ſint; quin ob convenientiam & disconvenientiam cum lege, ſeu quatenus eidem conveniunt, aut disconveniunt, imputandæ veniant, dubitandum non eſt. Ceterum propoſitio præſens principium fœcundiſſimum eſt. Ejus enim uſus tam late patet, quantus eſt ambitus bonitatis & malitiæ intrinſecæ. Hic cum latior ſit quam vulgo putatur, quemadmodum ex tractatione ſpeciali conſtabit; uſus quoque propoſitionis præſentis ad ea ſe extendit, quæ imputationi ſubeſſe vulgo non creduntur. Qui legem naturæ intra arctos admodum cancellos coarctant; imputationem quoque moralem, quæ a lege naturæ venit, nimis arctis limitibus coercent: unde ad phyſicam nonniſi imputationem referunt, quæ ad moralem referri debebant, & longe plurima ex imputabilium numero prorſus eximunt, quæ eidem adſcribenda, imo imputationi actionum morali non omnem ſuam extenſionem tribuunt, quæ eidem convenit, ita ut actiones multo minus imputentur, quam imputari debebant. Plurimum adeo intereſt, actionum intrinſecam bonitatem atque malitiam intimius perſpici, quæ actiones legi naturæ conformes ac difformes imputabiles efficit, ſiquidem de imputatione judicium ferre volueris, in quo nihil prorſus deſiderari poſſit.

§. 644.

Qualis ſit imputativitas actionum legi naturæ conformium & difformium.

Actiones legi naturæ conformes & difformes per ſe imputabiles ſunt. Etenim lex naturæ nos obligat ad actiones intrinſece bonas committendas & intrinſece malas omittendas (§. 153), conſequenter quæ eidem conformes ſunt, intrinſecam bonitatem habent, quæ autem eidem difformes ſunt, malitiam habent intrinſecam. Enimvero actiones bonitatem intrinſecam habentes per ſe bonæ ſunt (§. 174) & actiones intrinſecam malitiam habentes per ſe malæ ſunt (§. 176), hoc eſt, tales, ut ex ipſis neceſſario ſequatur quidpiam, quod agenti vel aliis bonum aut malum eſt

(§. 172.

(§. 172. 173). Quamobrem cum actiones ideo imputari poſſint, quia ex ipſis ſequitur per ſe quidpiam agenti vel aliis boni aut mali (§. 592); quin actiones legi naturæ conformes & difformes per ſe tales ſint, quæ imputari debeant, ſeu per ſe imputabiles, dubitandum non eſt.

Quemadmodum actiones intrinſece bonæ & malæ tales ſunt per ſe, ut eas eſſe bonas vel malas independenter a voluntate Dei, vel hominis, qui nos obligandi jus habet, demonſtrari poſſit (§. 172. 173); ita etiam eædem actiones per ſe imputabiles ſunt, ita ut eas imputandas eſſe demonſtretur independenter a voluntate Dei, vel hominis, qui nos obligandi jus habet. Imo videas etiam homines tam ſibi quam aliis imputare actiones quoad earundem malitiam & bonitatem intrinſecam citra reſpectum ad legislatorem. Quodſi excipias hanc imputationem nonniſi phyſicam eſſe, non vero moralem; in verbis diſſenſus erit, non in re, imputationem tamen moralem præter neceſſitatem arctioribus limitibus conſtringis, quam par erat: imo proprie ſic dictam imputationem phyſicam, cui locus eſt, quando imputatio moralis locum non habet, a morali non ſatis diſcernis.

§. 645.

Imputatio actionum legi naturæ conformium & difformium in hypotheſi athei.

Imputatio moralis actionum legi naturæ conformium & difformium ſubſiſtit etiam in hypotheſi athei. Etenim lex naturæ ſubſiſtit etiam in hypotheſi impoſſibili athei (§. 245). Quamobrem cum imputatio moralis locum habeat ob actionum cum lege convenientiam & disconvenientiam (§. 642); imputatio moralis actionum legi naturæ conformium & difformium etiam ſubſiſtere debet in hypotheſi athei.

Quodſi excipias, ſubſiſtere tantummodo imputationem phyſicam, non vero moralem; non modo repetenda ſunt, quæ modo ad propoſitionem præcedentem annotavimus; verum etiam cogitandum eſt, dari caſus, in quibus atheus agnoſcit, actionem, quæ phyſicam imputationem recipit, non tamen agenti imputari poſſe. Spectat huc, quod ſuperius demonſtravimus, de non imputanda actione, qua ſatisfit obligationi, quoad mala, quæ inde ſequuntur (§. 613), veluti ſi quis teſtimonium deponit contra amicum, quo eum ad pœnam gravat (*not. §. cit.*). Dicendum itaque in hoc caſu, eandem actionem quoad idem agenti phyſice imputari & non imputari debere: quod quam ſit abſonum, nemo non videt. Taceo alia bene multa, quæ magno numero cumulari poterant, niſi abunde ſatis demonſtraſſemus, legem naturæ & obligationem naturalem, quæ hinc manat, ſubſiſtere in hypotheſi impia.

§. 646.

Imputatio actionum quoad præmia & pœnas divinas.

Actiones legi naturæ conformes & difformes homini imputantur quoad præmia poſitiva divina & quoad pœnas poſitivas divinas. Quæ enim vi nexus rerum hominibus eveniunt bona, qui actiones bonas committunt, pro præmiis divinis recte habentur (§. 313), & quidem poſitivis (§. 317). Similiter quæ vi nexus rerum hominibus accidunt mala phyſica, actionibus malis perpetratis, pro pœnis divinis recte habentur (§. 308), & quidem poſitivis (§. 309). Quoniam itaque præmium poſitivum divinum eſt bonum, quod a Deo in agentem confertur ob actionem ſive poſitivam, ſive privativam (§. 295), & cum actione iſta voluntate Dei connectitur (§. 312): pœna autem poſitiva divina eſt malum, quod a Deo ob actionem agenti immittitur (§. 285), & cum actione voluntate Dei connectitur (§. 307); præmia ſunt bona, pœnæ autem mala, quæ ex actionibus ipſius conſequuntur. Enimvero actiones homini imputantur, quia ex ipſis ſequitur per ſe, quatenus ſcilicet actio editur, quidpiam agenti boni vel mali (§. 592).

Digitized by Google

(§. 592). Quamobrem actiones legi naturæ conformes & difformes homini imputantur quoad præmia poſitiva divina & quoad pœnas poſitivas divinas.

Solent quoque homiues aliis imputare actioues quoad pœnas divinas poſitivas & præmia divina. Unde ſi vi nexus rerum mala male agentibus obtingunt phyſica, ajunt, eos ſibi imputare debere, quod mala patiantur, quia vitam peſſimam egerunt. Imo qui ipſos actionibus ſuis mala iſta promeruiſſe pronuntiant, eas quoad pœnas divinas ipſis imputant. Equidem cum mala phyſica, quæ vi nexus rerum homini actiones bonas committenti, malas omittenti obtingunt, pœnæ non ſint, ſed ſaltem actionum committendarum & omittendarum motiva (§. 314), non nego temeraria ſæpius eſſe hominum judicia; ad ea tamen hic provocare licet, ubi oſtendendum, quæ a nobis demonſtrantur, eſſe notionibus commuuibus conſentanea. Nec eſt quod excipias, vulgo non agnoſci mala iſta phyſica, quæ pœnarum nomine compellantur, vi uexus rerum conſequi: ſufficit enim, quod habeantur pro effectibus cauſarum naturalium ex intentione divina ob fines ab ipſo præſtitutos agentium, cum hoſce vi nexus rerum conſequi, a Deo ſapientia ſua determinari (§. 666 *part. I. Theol. nat.*), certum ſit (§. 54 *Coſmol.*). Chriſtus & Apoſtoli alia adhuc commemorant præmia poſitiva divina, alias pœnas poſitivas divinas, quæ homines manent poſt hanc vitam. Ex demonſtratione propoſitionis præſeutis intelligitur, quoad hæc etiam præmia & quoad haſce pœnas actiones legi naturæ conformes ac difformes homini imputandas eſſe.

§. 647.

Imputatio actionum legi poſitivæ conformium & difformium qualis ſit.

Actiones legi poſitivæ conformes & difformes agenti imputantur quoad præmia poſitiva & pœnas poſitivas. Etenim pœnæ poſitivæ ſunt mala phyſica, quæ a legiſlatore agenti immittuntur ob actiones moraliter malas (§. 285) & voluntate ipſius cum actionibus iſtis connectuntur (§. 307): præmia vero poſitiva ſunt bona, quæ a legiſlatore conferuntur in agentem ob actionem moraliter bonam (§. 295) & ipſius voluntate cum eadem connectuntur (§. 312). Quoniam itaque actiones moraliter bonæ ſunt, quæ legi conformes ſunt, moraliter autem malæ, quæ eidem difformes ſunt (§. 244); poſitiva præmia & pœnæ poſitivæ ſunt bona atque mala, quæ ex actione per ſe, hoc eſt, quatenus iſtiusmodi actio editur, conſequuntur. Imputantur autem actiones, quia ex ipſis per ſe ſequitur quidpiam, quod agenti bonum vel malum eſt (§. 592). Quamobrem actiones legi poſitivæ conformes & eidem difformes agenti imputantur quoad præmia poſitiva & pœnas poſitivas.

Demonſtratio propoſitiouis præſentis parum differt a demouſtratione præcedentis (§. 646). Eteuim lex naturæ abit in poſitivam divinam, ſeu eidem ſaltem æquipollet, quando Deus præmiis & pœnis poſitivis, quibus ſolis obligatio poſitiva introduci poteſt (§. 301), nos obligat ad actiones eidem conformes committendas & eidem difformes omittendas (§. 150). Quamobrem lex uaturæ quoad pœnas & præmia poſitiva divina haberi poteſt pro lege poſitiva, & quatenus tanquam poſitiva ſpectatur, imputatio actionum eidem conformium atque difformium quoad pœnas & præmia poſitiva divina evincitur.

§. 648.

Imputatio actionum quoad obligationes & jura.

Facta, quibus vi legis obligationes contrahuntur & jura acquiruntur, quoad haſce obligationes & hæc jura imputantur. Etenim ſi vi legis facto quodam alteri obligaris ad quidpiam, v. gr. ad quid dandum vel faciendum; id ei, cui obligaris, bonum eſt, adeoque ipſa obligatio refertur inter ea,

quæ

quæ alteri bona ſunt. Quamobrem cum vi legis facto tuo alteri obligaris, ex actione tua ſequitur, quod bonum eſt alteri, quatenus ea legi conformis eſt. Similiter cum jus, quod facto tuo acquiris, tibi bonum ſit; ex actione tua bonum conſequitur ex parte tui, quatenus ea legi conformis eſt. Nec abſimili modo patet, obligationem, quatenus tibi oneroſa eſt, ex parte tui cenſeri malum quodpiam. Actiones homini imputantur, quæ legi conformes ſunt, quoad bona & mala, quæ inde conſequuntur moraliter (§. 592. 643). Ergo facta, quibus vi legis obligationes contrahuntur & jura acquiruntur, quoad haſce obligationes & jura hæcce imputantur.

Quæ in demonſtratione ſumimus, facile a quovis conceduntur, ſuo autem loco clarius patebunt, ubi de obligationibus, quæ contrahuntur, & de juribus, quæ acquiruntur, egerimus. Ponamus te promiſiſſe Titio 10. aureos. Conſtabit ſuo loco, quod hac promiſſione contrahas obligationem eidem 10. aureos ſolvendi. Hæc obligatio bona eſt quoad Titium, quoad te vero cenſetur mala, non quidem moraliter, ſed phyſice. Et ſane obligationes, quibus aliis tenemur, haud raro ſunt moleſtæ, ubi eisdem ſatisfieri debet, ita ut iis ſatisfacere nolit, vel ſaltem ægre ſatisfaciat, qui alteri obligatur. Unde termino mali in ſignificatu generali non invita definitione (§. 565 *Pſychol. empir.*) in definitione imputationis comprehenditur. Factum adeo tibi imputatur quoad obligationem tum reſpectu tui, cui cenſetur mala; tum reſpectu Titii, cui bona exiſtimatur. Ex promiſſo tuo Titius acquirit jus a te exigendi 10. aureos. Nemo dubitat, hoc in numero bonorum externorum eſſe (§. 556 *Pſychol. empir.*). Imputatur adeo tibi promiſſum etiam quoad hoc jus ex eo acquiſitum. Sane ſi obligatio tibi moleſta eſt, quando eidem ſatisfaciendum, ut de eodem querelas moveas; nemo non affirmat, te tibi imputare debere, quod promiſeris. Et ubi Titius gaudet de jure ſuo, ſcilicet quod accepturus ſit 10. aureos; tibi imputat, quod habeat materiam gaudendi. Nimirum quando promiſſo te obligas Titio ad dandum 10. aureos, cauſa libera evadis non minus obligationis a te contractæ, quam juris ab altero acquiſiti. Abunde igitur patet, actiones legi conformes imputari quoad obligationes inde contractas & quoad jura per eaſdem quæſita. Eodem modo idem patet in quovis exemplo alio.

§. 649.

Imputatio facti alieni.

Facti alieni imputatio eſt judicium, quo quis declaratur cauſa libera ejus, quod ex actione alterius ſive poſitiva, ſive privativa conſequitur, & agenti vel alteri bonum aut malum eſt.

Ponamus e. g. te Titio perſuaſiſſe, ut vulnus infligat Sempronio injuriam ab *ipſo* illatam vindicaturus. Factum Titii tibi imputatur, non modo ab ipſo, verum etiam ab aliis, qui de cauſa vulneris judicium ferunt. Unde ſi Titium ſacti pœnitet, de te conqueritur, quod ipſi perſuaſeris id, a quo faciendo erat alienus, & alii tibi indignantur, quod hoc ſeceris. Enimvero nec Titius de te conquereretur, nec alii tibi indignarentur, niſi ſactum alienum tibi imputaretur.

§. 650.

Quãdonam factum alienum nobis imputetur.

Factum alienum tibi imputatur, ſi quomodocunque a voluntate tua libera dependet. Etenim ſi factum alterius quomodocunque a voluntate tua libera dependet; ratio, cur hoc fecerit alter, conſequenter ut exiſtat bonum vel malum inde conſecutum, aliqua in voluntate tua libera continetur (§. 851 *Ontol.*). Quamobrem cum cauſa efficiens ſit, cujus actio eſt ratio exiſtentiæ alterius (§. 886 *Ontol.*), cauſaque ſit libera, quæ libere agit (§. 526); tu utique cauſa libera es, etſi non unica, mali vel boni,

quod

quod ex actione alterius conſequitur. Imputatur nobis actio, ſive poſitiva fuerit, ſive privativa, quando declaramur cauſa libera ejus, quod ex actione conſequitur, boni malique, vel agenti vel aliis (§. 527). Patet adeo, factum alienum tibi imputandum eſſe, ſi quomodocunque a voluntate tua libera dependet.

Habemus hic principium generale imputationis actionis alienæ, nimirum hujus dependentiam a libertate voluntatis tuæ. Et hoc ſufficit ad demonſtrandam imputationem facti alieni in caſu quocunque particulari. Ceterum per propoſitionem præſentem patet realitas definitionis imputationis facti alieni: etenim per eam conſtat, factum alienum nobis imputari poſſe in ſignificatu proprio, ſimulque ex demonſtratione pateſcit, imputationem facti alieni recte a nobis definiri (§. 649). Quodſi caſus particulares deſideres, in quibus alienum factum tibi recte imputatur; inquirendum tantummodo eſt in diverſos modos, quibus actio alterius a voluntate tua dependere poteſt. Quot enim dantur modi diverſi dependentiæ actionis alterius a voluntate tua; tot etiam dantur caſus particulares imputandarum actionum alienarum.

§. 651.

Gradus imputationis facti alieni.

Quo magis factum alienum a voluntate tua dependet, eo magis tibi imputatur. Factum enim alienum tibi imputatur, quatenus a voluntate tua dependet (§. 650), quam ſemper liberam eſſe conſtat (§. 942 *Pſychol. empir.*). Quo magis itaque a voluntate tua dependet actio alterius, eo magis tibi imputanda venit.

Ubi ergo de imputatione facti alieni quæſtio incidit; ſollicite inquirendum, quantum a voluntate tua idem dependeat, ne judicium a veritate abhorreat. In æſtimanda autem dependentia facti alieni a voluntate tua, non tantummodo ad hanc reſpiciendum eſt, verum etiam ad circumſtantias agentis, ob quas in caſibus diverſis ab eodem actu volitionis nunc magis nunc minus eadem alterius actio dependere poteſt. Sane nemo eſt, qui neſciat, ſi alter plurimum tribuit judicio tuo, nudam approbationem facti plus apud eundem valere, quam operoſa perſuaſio in alio, qui tanti judicium tuum non facit. Scrupuloſius hæc inquirenda ſunt in Moralibus: ſic ita, quod fora humana iſtiusmodi ſubtilitates inſuper habeant, quamvis nec deſit occaſio, ubi earundem quoque ratio utiliter habetur in foro. Talia utique monenda ſunt, ne judicium deproperent, qui veritatem ſibi nondum perſpectam, aut cognitu ſive difficilem, ſive moleſtam, ſub prætextu inutilitatis damnant. Prodeſt etiam ad Pſychometriam condendam, ut conſtet undenam dependeant gradus imputationis actionis alienæ, & quorum in iis rite determinandis habenda ſit ratio. Sed hic uſus nonniſi e longinquo ſpectatur.

§. 652.

Aliud graduum imputationis facti alieni fundamentum.

Quo majus eſt bonum vel malum, quod ex facto alieno emergit, eo magis tibi imputatur. Factum enim alienum tibi imputatur, quia ex eo ſequitur, quod vel agenti vel alii bonum aut malum eſt (§. 649). Quamobrem patet, id eo magis tibi imputandum eſſe, quo majus fuerit bonum vel malum ex eodem emergens.

Nimirum ſi factum alienum tibi imputatur, cauſa libera es boni vel mali, quod ex eodem conſequitur (§. 649). Quodſi ergo malum vel bonum fuerit majus, majoris utique boni vel mali cauſa libera es. Quamobrem cum factum alienum tibi non imputetur, niſi quoad bonum vel malum, quod inde reſultat (§. 592); magis utique imputari debet, ſi majus bonum vel malum ex facto alieno emergit tibi imputando, quam ſi minus ex eodem reſultat. Ecce igitur tibi aliud adhuc fundamentum graduum imputationis facti alieni, ad quod omnino reſpiciendum eſt, imo & vulgo reſpici ſolet, ubi de eo quæſtio eſt, quantum factum alienum tibi ſit imputandum. Si ſuaſeris homicidium, magis hoc tibi imputetur, quam ſi ſuaſeris, ut alteri alapa infligatur, vel ut de eodem propalentur, quæ celari debebant. De veritate itaque propoſitionis in caſu particulari nemo dubitat.

Digitized by Google

§. 653.

Actio mercede conducti vel præmio inducti cur conducenti & inducenti imputanda.

Quod quis ab altero mercede conductus, vel præmiis inductus facit; id conducenti vel inducenti imputatur. Etenim ſi quis mercede conducitur ad aliquid faciendum; is facit, quod conducens fieri vult, & ideo facit, quia mercedem ab altero recipit, non facturus, niſi ab eodem mercede conduceretur. Dependet adeo factum ipſius a voluntate conducentis (§. 56. 851 *Ontol.*). Quamobrem cum factum alienum tibi imputetur, ſi quomodocunque a voluntate tua dependeat (§. 650); quin factum ejus, qui ad faciendum a te mercede conductus fuit, tibi imputandum ſit, dubitandum non eſt. *Quod erat primum.*

Eodem prorſus modo oſtenditur, quod factum illius tibi ſit imputandum, quem præmiis inducis ad faciendum, alias idem non facturum, niſi præmium a te acciperet. *Quod erat alterum.*

Nemo non videt, ſermonem hic eſſe de iſtiusmodi actionibus, quæ in imputabilium numero ſunt, conſequenter ex quibus ſequitur, quod vel agenti vel aliis bonum aut malum eſt. E. gr. Ponamus te mercede conducere Cajum, ut Sempronium interficiat. Quodſi hoc fecerit, homicidium tibi imputatur. Hoc tamen minus obſtat, quo minus idem & Cajo ipſi imputetur. Etſi enim fecerit ideo, quod mercede eum conduxeris ad Sempronium interficiendum; fecit tamen libere, quod non facere poterat, conſequenter ipſi imputatur actio propria (§. 532). Hæc ſibi mutuo minime contradicunt, ut una eademque actio imputetur & agenti, quatenus propria, & tibi, quatenus aliena, quia non minus a volitione tua, quam a volitione agentis, adeoque a libertate utriusque in agendo dependet. Quodſi dicas, vi propoſitionis præſentis actionem tuam legi conformem etiam imputandam eſſe quoad effectum bonum, quem habet, legislatori, qui te ad eam committendam præmio induxit; lubens id concedo. Hinc enim eſt, quod laudem mereatur ob legem prudenter latam, qua bonum promovet, & quod eidem convenienter agens gratias ipſi debeat, quod hanc tulerit legem. Abſit, ut quis dicat, nos imputationem ultra ſuos limites extendere. Neque enim nobis jam res eſt de imputatione civili, quæ fit in foro humano, & arctioribus utique limitibus coercetur; ſed de imputatione, qualis obtinet vi legis naturæ & per naturam animæ, in omni ſua latitudine ſpectata. Cur enim in foro humano, ſicuti alia bene multa, ita etiam imputatio plurimum reſtringatur, ſuo docebimus loco. Hæc ideo monere viſum fuit, ne, qui in Jure civili verſati, reſtrictiores notiones in philoſophiam inferunt, ab uſu aliena vel eidem contraria a nobis tradi exiſtiment.

§. 654.

Imputatio facti alieni ob juſſum.

Quod quis juſſu alterius facit, jubenti imputatur. Etenim ſi quem quid facere jubes, hoc ab eo fieri vis, nec in arbitrio ejus relinquis, quid facere velit (§. 983 *part. I. Theol. nat.*), conſequenter ſeria tibi eſt voluntas, ut hoc faciat. Quoniam itaque actio alterius a voluntate tua dependet, actio autem tibi imputatur aliena, quæ quomodocunque a tua dependet voluntate (§. 650); quod actio ejus, qui tuo juſſu quid facit, tibi imputanda veniat, evidens eſt.

E. gr. Si Titio a Cajo alapam infligi jubes, & tuo juſſu hoc faciat Cajus; id tibi imputatur, non obſtante quod eadem actio imputetur etiam Cajo per ea, quæ modo ad propoſitionem præcedentem annotavimus. Quæ enim ibi annotata ſunt, præſentem quoque propoſitionem magis illuſtrant.

§. 655.

Imputatio actionis alie-

Si quis non agit, quia ab altero vetatur, vel diſſuadetur; actio privativa imputatur vetanti, vel diſſuadenti. Quodſi enim vetas, ne alter agat, ne

agat

Digitized by Google

agat vis, nec in arbitrio ejus poſitum relinquis, utrum id omittere velit, necne (§. 985 *part. I. Theol. nat.*). Quamobrem ſi non agit, quia vetas; actio ipſius privativa a noluntate tua dependet. Enimvero tibi imputatur actio aliena, quæ a voluntate tua dependet (*§.650*). Ergo tibi quoque imputanda eſt actio privativa alterius, ſi non agit, quia vetas. *Quod erat primum.*

næ, quæ vetarur vel diſſuadetur

Quodſi actionem aliquam alteri diſſuades, ut non agat vis, etſi in arbitrio ejus relinquas, utrum actionem omittere velit, necne (*§.* 985 *part. I. Theol. nat.*). Quodſi ergo non agit, quia diſſuades; actio privativa alterius a voluntate tua dependet (*§. 56. 851 Ontol.*). Quoniam itaque actio aliena tibi imputatur, ſi quomodocunque a voluntate tua dependet (§.650); tibi etiam imputanda eſt actio privativa alterius, ſi is non agit, quia diſſuades. *Quod erat alterum.*

Ita ſi quis vetat, ne petenti opem feras, cum poſſes, & tu opem non fers petenti, quia vetatur; is, cui opem ferre non vis, actionem tuam privativam quoad damnum, quod inde ſentit, vetanti imputat. Similiter ſi quis diſſuadet, ne pecuniam mutuo des Titio, & tu pecuniam petenti mutuo dare recuſas; actionem hanc privativam diſſuadenti imputat Titius. Hinc illæ querelæ, quas de vetante ac diſſuadente movent, quicunque actionem privativam ſibi moleſtam vel damnoſam experiuntur.

§. 656.

Actio aliena jubenti magis imputatur, quam ſuadenti, & præcipienti magis, quam jubenti. Etenim ſi jubes alterum, ut agat, in arbitrio ejus non relinquis, utrum agere velit, necne, ſed ſerio vis, ut agat; aſt ubi actionem ſuades, in ejus arbitrio relinquis, utrum agere velit, necne, etſi tibi magis arrideat, ſi agat (§. 983 *part. I. Theol. nat.*). Ubi adeo agenti ſunt rationes, cur faciat, quod jubes vel ſuades; facilius permovebitur, ne omittat, quod fieri jubes, quam ne omittat, quod ſuades (§. 888 *Pſychol. empir.*). In caſu adeo priore actio aliena magis dependet a voluntate tua, quam in poſteriore (*§.56.851 Ontol.*). Quamobrem cum actio aliena eo magis tibi imputetur, quo magis a voluntate tua dependet (*§.* 651); actio aliena jubenti magis imputanda venit quam ſuadenti. *Quod erat primum.*

Gradus imputationis actionum alienarum, quæ præcipiuntur, jubentur, aut ſuadentur.

Quodſi præcipis, ut alter agat, alterum obligandi jus habes (§. 984 *part. I. Theol. nat.*): ſi vero ſimpliciter jubes, ut alter agat, eundem obligandi jus nullum habes (*§.* 983 *part. I. Theol. nat.*). Quoniam itaque præcipiens jure tuo uteris, vel abuteris, nec ſimpliciter vis ut agat alter, quemadmodum in nuda juſſione, extrinſecum quoddam agendi motivum ſuppeditans (§. 118), atque adeo alter facilius permovetur, ut faciat, quod præcipitur, quam quod jubetur (§. 888 *Pſychol. empir.*); actio alterius a voluntate tua magis dependet, ſi præcipitur, quam ſi ſimpliciter jubetur. Patet igitur, ut ante, actionem alienam tibi magis imputari præcipienti, quam jubenti.

Exempla diverſitatem imputationis in caſibus propoſitionis præſentis manifeſto loquuntur, ita ut non aberres a vero, ſi eam notionibus communibus conſentaneam pronuntiaveris. Ponamus patrem præcipere filio, ut alteri damnum quoddam inferat. Quoniam pater filium non obſequentem plagis afficere poteſt, et ſi jure ſuo ſeu patria poteſtate abuſus; filius a plagis ſibi metuens facilius permovetur, ut faciat, quod non faceret, utut alias juberet, qui nullum in ipſum jus habet. Unde actio filii patri magis imputatur, quam ſi juſſu alterius committeretur. Accedit, quod abuſus poteſtatis patriæ patri quoque imputetur, atque hoc ipſo imputatio facti filii efficiatur major. Similiter ſi tibi ſunt rationes, cur non facias, quod alteri diſpliciturum eſſe noſti; magis eædem urgent, ubi alter jubet, quam ubi tantummodo ſuadet. Etenim cum jubens non relinquat arbitrio tuo, num facere velis, quod fieri vult, quemadmodum qui factum ſuadet (§. 983 *part. I. Theol. nat.*); magis utique diſplicebit jubenti quam ſuadenti, ſi non facias.

§. 657.

Gradus in imputanda actione aliena privativa prohibenti, vetanti, & diſſuadenti.

Actio aliena privativa prohibenti magis imputatur, quam vetanti, & vetanti magis quam diſſuadenti. Etenim qui prohibet, te obligandi jus habet, ne quid facias: qui vero ſimpliciter vetat, te obligare nequit (§. 985 *part. I. Theol. nat.*), adeoque prohibitio a vetatione eodem modo differt, quo præceptum a ſimplici juſſu (§. 983. 984 *part. I. Theol. nat.*). Quamobrem eodem modo patet, actionem alienam privativam prohibenti magis imputari, quam vetanti, quo oſtendimus præcipienti magis imputari actionem alienam poſitivam, quam jubenti (§. 656). *Quod erat unum.*

Similiter quia vetans in alterius arbitrio poſitum non relinquis, quod ab eo non fieri vis, utrum id non faciat, an vero faciat, relinquis autem, ubi diſſuades (§. 985 *part. I. Theol. nat.*); eadem differentia eſt inter vetationem & diſſuaſionem, quæ inter juſſum & ſuaſionem intercedit (§. 983 *part. I. Theol. nat.*). Eodem igitur modo liquet, actionem alienam privativam vetanti magis imputari, quam diſſuadenti, quo ante evicimus, jubenti magis imputari actionem alienam poſitivam, quam ſuadenti (§. 656). *Quod erat alterum.*

E. gr. Ponamus patrem prohibere, ne filius die ſolis templum frequentet, & filium hoc non facere; id patri magis imputabitur, ſepoſito jam abuſu poteſtatis patriæ, quam alteri, qui ne in templum te conferas, vetat. Equidem vulgo ad abuſum reſpicitur patriæ poteſtatis, dum magis imputatur eidem actio privativa filii, propterea quod is magis in oculos incurrit, quam influxus major voluntatis patris in voluntatem filii; cum tamen hic non minus pateat iis, qui acumine utuntur, quam abuſus patriæ poteſtatis, major imputatio actionis filii privativæ ob hunc influxum non minus admittenda, quam ea, quæ ab abuſu patriæ poteſtatis pendet. Accedit quod ad hunc animum advertentes patri magis imputent actionem propriam, quam alienam, & minorem efficiant imputationem actionis privativæ filii reſpectu hujus. Similiter ſi actionem ideo omittis, ne offendas alterum, cui ea diſplicet; ratio hæc magis urget, ne facias, ſi quis vetet, quam ſi tantummodo diſſuadet. Cum enim vetans in arbitrio tuo poſitum non relinquat, utrum actionem omittere velis, necne; tuo autem hoc relinquat arbitrio, qui tantummodo diſſuadet (§. 985 *part. I Theol. nat.*); magis utique offenderetur, qui vetat ne quid fiat, quam qui tantummodo fieri idem diſſuadet, ubi feceris.

§. 658.

Conſenſus definitio.

Conſentire dicitur, qui vult ut hoc fiat vel non fiat, quod fieri vel non fieri vult alter. Unde *Conſenſus* eſt actus voluntatis, quo idem fieri vel non fieri volumus, quod fieri vel non fieri vult alter. Et *conſenſum al-*

terius

Digitized by Google

terius ad factum aliquod *requirere* dicitur, ſi rogat eundem, ut conſentiat in factum.

Ita ſi filius quærit ex patre, num velit permittere, ut Sempronii filiam uxorem ducat; conſenſum ejus requirit. Quodſi pater reſpondet, ſe minime repugnare ne hoc faciat; in matrimonium filii cum filia Sempronii ineundum conſentit. Hinc & in collegio conſentire dicuntur, quorum eadem ſunt vota, & conſenſus eorum in hoc conſiſtit, quod idem fieri vel non fieri volunt.

§. 659.

Contra *Diſſentire* dicitur, qui vult ut non fiat, quod fieri vult alter, vel ut fiat, quod non fieri vult alter. Eſt adeo *Diſſenſus* actus voluntatis, quo idem fieri nolumus, quod fieri vult alter, vel fieri volumus, quod fieri non vult alter.

Diſſenſus definitio.

Ita ſi filius quærit ex patre, num velit permittere, ut filiam Sempronii uxorem ducat, & pater reſpondet, ſeſe nolle ut hoc faciat; pater diſſentit, & diſſenſus ejus in eo conſiſtit, quod nolit filium ducere uxorem, quam ducere vult. Hinc & in collegio a ceteris diſſentire dicitur, qui quod fieri volunt ceteri, id fieri non vult, vel quod ceteri fieri nolunt, id fieri vult, ſeu cujus votum diverſum eſt a votis ceterorum. Opponitur nimirum diſſenſus conſenſui. Quamobrem ſicuti conſenſus requirit identitatem volitionis; ita diſſenſus in diverſitate ejusdem conſiſtit.

§. 660.

Conſenſus dicitur *expreſſus*, ſi disertis verbis vel alio ſigno ſignificamus, nos velle idem, quod vult alter: *Tacitus* autem *Conſenſus*, qui aliunde, veluti ex factis & non factis, colligitur.

Conſenſus expreſſi & taciti differentia.

E. gr. Si emtor venditori promittit aliquod pretium pro merce ſolvendum, & venditor affirmat ſe velle pro hoc pretio eandem ipſi tradere; hic conſentit in pretium ab emtore oblatum expreſſe. Expreſſus adeo conſenſus in eo conſiſtit, quod verbis manifeſtis ſignificet, ſe velle pro pretio iſto tradere emtori mercem, quam ſibi pro eodem tradi vult. Enimvero ubi nihil regerens, ſed tacens eidem tradit mercem; ex hoc facto colligitur, quod pro illo pretio eam tradere velit, adeoque tacite conſentit, & ideo tacitus dicitur, qui expreſſis verbis non declaratur, ſed ſaltem ex facto colligitur, quod ſupponit, venditorem pro merce oblatum ab emtore pretium accipere velle. Similiter filius requirens patris ad factum aliquod conſenſum, ex nutu eundem intelligit.

§. 661.

Simili prorſus modo *Diſſenſus* dicitur *expreſſus*, ſi disertis verbis vel alio ſigno ſignificamus, nos nolle idem, quod vult alter. *Tacitus* autem *diſſenſus* eſt, qui aliunde, veluti ex factis & non factis, colligitur.

Diſſenſus expreſſi & taciti differentia.

E. gr. Si emtori pretium certum pro merce ſibi tradenda offerenti reſpondet venditor, ſe pro hoc pretio eandem tradere non poſſe, utique diſſentit, & expreſſus eſt diſſenſus, quatenus verbis disertis declarat, nolle ſeſe mercem pro hoc pretio tradere. Enimvero ſi oblato pretio ab emtore, mercem aufert & reponit; diſſenſum ſuum tacite declarat, & ideo diſſenſus dicitur tacitus, quia ex hoc facto venditoris colligitur, quod mercem pro hoc pretio tradere nolit.

§. 662.

Conſenſus tacitus eſt verus conſenſus, & diſſenſus tacitus eſt verus diſſenſus. Etenim conſenſus eſt actus voluntatis, quo idem volumus, quod vult alter (§. 658), verbis autem aut alio ſigno externo ideo declarandus, ut alteri, cujus intereſt, innoteſcat. Quamobrem cum conſenſus expreſſus verbis vel alio ſigno alteri ſignificetur, tacitus vero aliunde, veluti ex

An conſenſus & diſſenſus tacitus ſit verus conſenſus.

facto

facto & non facto, colligatur (*§.* 660); conſenſus tacitus & expreſſus unus idemque voluntatis actus eſt, & ſolum differunt modo, quo alteri, cujus intereſt, innoteſcunt. Eſt igitur tacitus non minus, quam expreſſus, verus conſenſus. *Quod erat unum.*

Simili prorſus modo patet, diſſenſum tacitum eſſe verum diſſenſum.

Nimirum conſenſui tam tacito, quam expreſſo, eadem conſenſus definitio competit, & ſimiliter diſſenſui tam tacito, quam expreſſo, eadem convenit diſſenſus definitio (§. 658 *& ſeqq.*). Quamobrem uterque verus eſt conſenſus & diſſenſus (§. 349 *Log.*), & quia eadem ſunt, quæ ſub communi notione comprehenduntur (§. 187 *Ontol.*), uterque idem eſt conſenſus & diſſenſus, ſive alteri verbis aut alio quodam ſigno manifeſtetur, ſive aliunde quomodocunque colligatur, modo rite colligatur, ne conſenſum vel diſſenſum fingas, ubi nullus eſt. E. gr. Conſenſus venditoris in pretium ab emtore oblatum conſiſtit in eo, quod velit mercem pro eodem emtori tradere. Sive igitur dicat, ſe hoc velle, ſive alteri actu tradat mercem; actus voluntatis unus idemque manet. Similiter diſſenſus venditoris in eo conſiſtit, quod nolit mercem pro pretio ab emtore oblato tradere. Sive igitur apertis verbis dicat ſe hoc nolle, ſive mercem auferat & reponat, idem prorſus manet actus noluntatis. Modus indicandi alteri actum voluntatis vel noluntatis nullam infert actui huic mutationem, nec niſi extrinſece eundem afficit.

§. 663.

Quando facto colligitur cõſenſus.

Si quis id facit, quod facere non poterat, niſi aliud quid fieri vellet; in hoc ipſum conſentit. Ponamus enim ipſum nolle, ut alterum hoc fiat. Quoniam id, quod facit, fieri nequit, niſi etiam velit, ut alterum hoc fiat *per hypotheſin* quod non vult facit. Quod cum vi libertatis animæ in volendo (§. 942 *Pſychol. empir.*), & voluntatis cogi neſciæ ſit abſurdum (§. 927 *Pſychol. empir.*); evidens eſt, ſi quis facit, quod fieri non poterat, niſi aliud quid fieri vellet, ipſum in hoc conſentire.

In caſu particulari veritas propoſitionis manifeſta eſt, & demonſtratio indirecta, quam dedimus, luce ſua abundat. Nemo non dicit, venditorem conſentire in pretium ab emtore oblatum, ſi mercem eidem tradit. Etenim ſi non conſentiret, nec eam tradere poterat. Offertur pretium pro re tradenda. Quamobrem fieri non poteſt, ut venditor rem tradat, niſi pro iſto pretio eandem tradere velit. Traditio nimirum conſenſum in pretium ſupponit. Qui mercem emtori tradit, eam tradere vult. Qui vult tradere, pretio ab emtore oblato, is pro eodem mercem tradere vult, adeoque in pretium conſentit (§. 658), conſequenter ipſa traditione mercis ſuum in pretium oblatum conſenſum ſufficienter indicat. Videmus adeo, quomodo ex facto conſenſus colligatur.

§. 664.

Quomodo ex non facto colligatur conſenſus.

Si quis non facit, quod facere debebat, niſi aliud quid fieri vellet; in hoc ipſum conſentit. Ponamus enim, ipſum nolle, ut hoc alterum fiat. Quoniam non facit, quod facere debebat, niſi hoc alterum fieri velit *per hypoth.* quod vult, non facit. Quod cum per naturam animæ, utpote liberæ in volendo & nolendo (*§.* 942 *Pſychol. empir.*) & quoad voluntatem ac noluntatem cogi neſciæ (*§.* 927 *Pſychol. empir.*), ſit abſurdum; evidens eſt, ſi quis non facit, quod facere debebat, niſi aliud quid fieri vellet; in hoc ipſum conſentire.

In caſu particulari veritas propoſitionis, quæ inſtar axiomatis ſumi poterat, utpote ex conſenſus taciti definitione (§. 660) ſatis manifeſta (§. 273 *Log.*), & demonſtratio indirecta, qua uſi ſumus ad eam evincendam, omni luce radiat. Nemo dubitat, quin venditor in pretium oblatum conſentiat, ſi mercem, quam manu tenet emtor, eidem relinquit,

& , ut

& ut abiens eandem ſecum auferat, permittit. Etenim ſi in pretium non conſentiret, aut ipſe mercem auferre & reponere, aut cum eadem abituro emtori diſſenſum expreſſe declarare debebat. Neutrum horum cum faciat, neceſſe eſt ipſum velle pretium oblatum pro merce accipere, conſequenter in idem conſentire (§. 658). Videmus adeo, quomodo ex non facto conſenſus colligatur.

§. 665.

Quomodo ex facto colligatur diſſenſus.

Si quis facit, quod facere non poterat, niſi aliud quid fieri nollet; quoad hoc ipſum diſſentit. Patet non abſimili modo, quo ante oſtendimus (§. 663), ſi quis facit, quod facere non poterat, niſi aliud quid fieri vellet, eum in hoc ipſum conſentire.

Veritas propoſitionis per definitionem diſſenſus traditam (§. 659) adeo manifeſta eſt, ut ea jure axiomatum numero adſcribatur (§. 273 *Log.*), atque adeo de ea demonſtranda parum ſolliciti eſſe debemus (§. 267 *Log.*). Exemplo eſt venditor, qui pretio ab emtore oblato, mercem aufert & reponit. Etenim ſi nollet mercem pro iſto pretio tradere, nec eam auferre ac reponere poterat, cum mercem vendere velit. Hoc ipſo facto ſufficienter indicat, quod nolit pro iſto pretio mercem tradere: imo diſſenſum ſuum magis declarat, quam ſi apertis verbis dixiſſet, ſeſe pro iſto pretio eam tradere non poſſe: etenim haud obſcure ſimul indigitat, quod de juſto pretio ab emtore dando deſperet, imo quod ægre ferat, non majus pretium ab emtore afferri.

§. 666.

Quomodo ex non facto colligatur diſſenſus.

Si quis non facit, quod facere debebat, niſi aliquid fieri nollet; quoad hoc ipſum diſſentit. Patet hoc non abſimili modo, quo paulo ante (§. 664) oſtendimus, ſi quis non facit, quod facere debebat, niſi aliud quid fieri vellet, eum conſentire.

Quæ modo de propoſitione præcedente annotavimus, ea de preſente quoque tenenda ſunt. Exemplo veritas propoſitionis fit manifeſta. Si emtor, qui mercem jam ante viderat, redit, & pretium paulo majus offert, quam ante obtulerat, venditor vero mercem non depromit; ex eo abunde intelligitur, quod hoc ideo non faciat, quod pro pretio iſto mercem tradere nolit, conſequenter quod in eodem adhuc diſſentiat (§. 659), etiamſi ne verbulum quidem dicat.

§. 667.

Quomodo ſigno declaretur conſenſus.

Si conſenſus alicujus requiritur; ſigno, quod affirmationem ſignificat, veluti nutu, declaratur conſenſus. Etenim qui conſenſum alterius requirit, ex eo quærit, num conſentiat (§. 658). Quamobrem ſi conſentit, affirmare debet, quod fieri velit illud, ad quod conſenſum impertiri debet. Quoniam itaque perinde eſt, ſive verbis, quibus affirmationem ſignificare, ſive ſigno quocunque alio, quo eandem indigitare ſolemus, affirmationem indigitemus; ideo patet, ſigno, quod affirmationem ſignificat, veluti nutu, conſenſum declarari, qui requiritur.

Vocabula ſunt ſigna artificialia, quæ adeo affirmationem & per eam conſenſum aliter indicare nequeunt, quam quia homines voluerunt, ut, qui ea profert, affirmare quid intelligatur (§. 958 *Ontol.*). Quamobrem ſi alii cuique ſigno idem tributus fuerit ſignificatus; eundem habet cum vocabulis uſum. Ita ſi emtor quærit ex venditore, an pro hoc pretio, quod ipſi offert, mercem tradere velit; quod velit, non minus ex nutu intelligitur, quam ſi reſpondeat: *volo*, vel *imo*: alterutrum enim vocabulorum & nutus in caſu dato eandem ſignificandi vim habet: quod de voluntate alterius nobis innoteſcit per vocabula, idem quoque intelligitur ex nutu.

§. 668.

§. 668.

Quando ſigno declaretur diſſenſus.

Si num quid fieri velimus, rogamur, vel quid velint alii, audiamus; ſigno quod negationem ſignificat, diſſenſus declaratur. Etenim ſi rogamur, num quid fieri velimus; diſſenſum declaraturi negare tenemur nos velle (§.659). Quoniam itaque eodem recidit, ſive verba proferas, quæ negationem ſignificant, ſive ſigno quocunque alio utaris, quo eandem indigitare ſolemus; ſi num quid fieri velimus, rogamur; ſigno, quod negationem ſignificat, diſſenſus declaratur.

Eodem fere modo idem patet, ubi diſſenſum ſuum declarat ſigno negationem ſignificante, qui audit, quid alii fieri vel facere velint.

Quæ ad propoſitionem præcedentem de æquipollentia vocabulorum & ſignorum aliorum idem ſignificantium in declarando conſenſu diximus; ea de declaratione quoque diſſenſus tenenda ſunt. E. gr. Si emtor quærit ex venditore, num pro pretio, quod ipſi offert, mercem tradere velit; ex levi capitis agitatione, huc illucve in latus facta, non minus intelligitur, quam ſi reſpondeat: *nolo*, vel *non*, aut *neutiquam*. Diſſenſum itaque non minus ſigno iſto, quam verbis hiſce declarat. Ita ſi quis audit, quid alii facere decreverint, eadem capitis agitatione indicat, ſe hoc minus probare, adeoque ſuum tam aperte declarat diſſenſum, quam eum verbis declarare poterat.

§. 669.

Quando tacens conſentire intelligatur.

Qui vultu non mutato, tacet, ubi conſenſum aut diſſenſum ſuum declarare debet; is conſentit. Etenim ubi quis conſenſum aut diſſenſum ſuum declarare debet, is vel verbis, vel ſigno quodam alio indicare debet, utrum fieri velit, an nolit id, de quo quæſtio eſt, ſiquidem expreſſe conſentire vel diſſentire velit (§.660. 661). Quod ſi neutrum facit, nec mutato vultu, tacet; nullum præbet indicium, unde colligi poſſit, quod id, de quo quæſtio eſt, num fieri debeat, diſpliceat. Quoniam itaque anima quid non vult, quia ipſi diſplicet (§.937 *Pſychol.empir.*); hinc colligitur, quod, dum, non mutato vultu, tacet, non nolit, conſequenter quod velit, hoc fieri, de quo quæſtio eſt. Quamobrem cum conſentiat, qui fieri hoc vult, quod fieri vult alter (§.658); qui vultu non mutato, tacet, ubi conſenſum aut diſſenſum ſuum declarare debet, is conſentit.

Nimirum quoniam conſenſum tuum aut diſſenſum tuum vel verbis, vel ſigno aliquo externo ſufficienter indicare debes; hoc ipſo, quod taces, ſignificare vis, quid velis. Enimvero ex eo ſolo, quod taces, nec conſenſus nec diſſenſus colligi poteſt, cum tacere poſſit & qui conſentit, & qui diſſentit. Ratio igitur habenda quoque eſt vultus, ut exinde colligatur, quanam de cauſa taceas, an ſcilicet taceas, quod nulla adeſſe videatur ratio, cur conſentire non debeas, an vero ideo, quod tantopere diſpliceat, ut quærentem ne reſponſione quidem dignum exiſtimes. Ubi nulla vultus mutatio accidit, prius utique colligendum. Unde ex eo, quod vultu non mutato taces, intelligitur, quod conſentias. Et in hoc caſu tantummodo valet, quod vulgo dicitur: *Qui tacet, conſentire videtur.*

§. 670.

Quando tacens diſſentire intelligatur.

Qui vultu indignabundo aut affectum quemvis alium moleſtum ſpirante, tacet, ubi conſenſum ſuum declarare debet aut diſſenſum; is diſſentit. Etenim, ſi quis conſenſum ſuum aut diſſenſum declarare debet, is ſufficienter indicare tenetur, num velit fieri, quod vult alter, an idem fieri nolit (§.658. 659)

659). Quoniam itaque affectus moleſti in averſando conſiſtunt (§.609 *Pſychol. empir.*); ubi vultus indignabundus, vel affectum quemvis alium moleſtum ſpirat, ex eo ſufficienter intelligitur, quod factum, de quo quæſtio eſt, averſetur, conſequenter quod nolit fieri, quod ut fiat vult alter (§. 881 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum diſſentiat, qui idem fieri non vult, quod vult alter (§. 659); qui vultu indignabundo aut affectum quemvis moleſtum ſpirante, tacet, ubi conſenſum aut diſſenſum ſuum declarare debet, diſſentit.

Nimirum ex vultu hic intelligitur, non aliam eſſe tacendi rationem, quam quod adeo ægre ferat id, quod alter fieri vult, ut nulla reſponſione opus eſſe exiſtimet ob diſſenſum facile prævidendum. Quodſi ad affectus particulares, qui vultus mutatione ſeſe produnt, animum advertere libeat; ex hac non modo diſſenſus intelligitur, verum etiam colligere datur, quale ipſi videatur factum, ad quod conſenſum ſuum præbere recuſat. Enimvero cum hic tantummodo quæratur, undenam alterius colligatur diſſenſus, minime autem doceri debeat, quo modo in rationem inquiramus, cur, qui tacet, diſſentiat, nec conſentire velit; ut in tantas ambages deſcendamus opus non eſt. Ceterum in hoc caſu fallit, quod vulgo dicitur: *Qui tacet, conſentire videtur*. Nimirum regula hæc nonniſi probabiliter conſenſum alterius colligere docet. Sed cum nobis jam quæſtio ſit de eo, quomodo certo colligatur diſſenſus, vel conſenſus; quæ in ea deſiderantur, ut ad hunc uſum apta evadat, addenda fuere.

§. 671.

Imputatio facti alieni ob conſenſum.

Factum alienum in idem conſentienti, ubi alter conſenſum ejus requirit, imputatur, tanto autem magis imputatur, ſi ſine conſenſu ipſius quidpiam fieri non potuit. Si enim in factum alterius conſentis; ut hoc faciat, vis (§. 658). Quoniam itaque abſque conſenſu tuo alter facere noluit, quod fecit, *per hypotheſin*, factum alienum a voluntate tua dependet (§. 56. 851 *Ontol.*). Quamobrem cum factum alienum tibi imputetur, ſi quomodocunque a voluntate tua dependet (§. 650); factum alienum tibi imputatur, ad quod conſenſum requiſitum adhibes. *Quod erat unum.*

Quodſi abſque conſenſu tuo alter facere non potuit, quod facere voluit; penes te magis ſtetit, ut impedires, ne faceret. Quamobrem cum conſenſiſti, hoc non obſtante, a voluntate tua quin magis dependeat factum alterius, dubitare nequit, qui notionem conſenſus (§. 658) & dependentiæ perſpectam habet (§.56.851 *Ontol.*). Quoniam itaque factum alienum tibi tanto magis imputatur, quanto magis a voluntate tua dependet (§.651); factum alienum, ad quod conſenſum requiſitum adhibes; tibi tanto magis imputabitur, ſi quidem abſque conſenſu tuo fieri non potuit. *Quod erat alterum.*

Si amicus tuus ex te quærit, num velis, ut hoc faciat, cum facere nolit, quod ægre ferre poſſes; conſenſum tuum requirit (§. 658). Quodſi igitur conſentis; factum ejus tibi imputabitur. Enimvero ſi filius tuus, cui prohibere potes, ne faciat, quod vult, & qui obligatur ne te invito quid faciat, conſenſum tuum ad factum aliquod requirit, & tu conſentis; magis utique tibi imputabitur factum filii, quam factum amici in anteriore caſu. Probe autem notandum eſt, nos hic agere de imputatione in omni ſua latitudine ſpectata; nondum autem definire, ad quod quis alteri teneatur ob hanc imputationem. Etenim hic loci id nondum definiri poteſt, ubi jura & obligationes ex lege naturali vel poſitiva deſcendentes nondum ſupponere poſſumus.

§. 672.

Imputatio facti alieni ob opem latam.

Factum alienum imputatur adjuvanti. Etenim ſi quis alterum adjuvat, ut facere poſſit, quod velit; quin ipſe quoque dicendus ſit cauſa libera ejus, quod ex facto iſto conſequitur, ſive bonum fuerit, ſive malum; dubitandum non eſt (§. 886 *Ontol.* & §. 526 *Phil. pract. univ.*), etenim ſine ope noſtra alter facere non potuiſſet, quod fecit, aut non feciſſet hoc modo, vel non eadem facilitate. Enimvero factum alienum nobis imputatur, quatenus ſumus cauſa libera ejus, quod ex actione alterius poſitiva conſequitur, & agenti vel alteri bonum aut malum eſt (§. 649). Quamobrem factum alienum imputatur adjuvanti.

Ita furtum imputatur ei, qui ſcalas attulit, per quas in ædes fur aſcendere potuit, furtum in iis commiſſurus. Quodſi enim ſcalis caruiſſet, nec in eas aſcendere potuiſſet, ideo qui ſcalas affert, ad furtum ipſum concurrit.

§. 673.

Factum alienum laudanti & approbãti imputandum.

Factum alienum imputatur laudanti & approbanti. Etenim ſi quis tibi dicat, ſe hoc facturum, & tu id approbes vel laudes; quod tuo judicio bonum ſit, ſibi perſuadet. Quamobrem quo tuo judicio plus tribuit, eo magis ſibi perſuadet, bonum eſſe, ut hoc faciat. Quoniam itaque repræſentatio boni eſt motivum voluntatis (§. 890 *Pſychol. empir.*); factum alienum ab approbatione & laude tua dependet, conſequenter cum libere a te approbetur ac laudetur (§. 941 *Pſychol. empir.*), a libera voluntate tua dependet. Enimvero factum alienum imputatur tibi, quatenus a voluntate tua dependet (§. 650). Imputandum adeo venit approbanti & laudanti.

Me non monente, liquet, ſuppoui factum approbari & laudari, antequam committatur. Qui enim, quod ab alio jam factum eſt, approbat & laudat, ei non ipſum factum, ſed ejus ſaltem approbatio & laus imputari poteſt tanquam actio propria, non aliena. Ceterum approbationem & laudem facti alieni haud parum ſæpe conferre, ut committatur, experientia abunde conſtat. Sunt enim longe plurimi, qui in iis, quæ faciunt, aliorum magis ſtant judicio, quam ſuo. Sunt etiam nonnulli, qui in quorundam auctoritate unice acquieſcunt, quæ plus apud eosdem valet, quam ratio. Aliis incitamento eſt, ne a propoſito ſuo deſiſtant, ubi audiunt, approbari, imo laudari, quæ facere volunt. Quamobrem in caſibus particularibus multo clarius patet, ubi animum ad circumſtantias particulares advertimus, quod & quantum factum alienum approbanti ac laudanti ſit imputandum, quam ex demonſtratione præſente, in qua earundem nulla habetur ratio. Eſt autem propoſitio præſens intellectu facilis, ut exemplis eam illuſtrari non ſit opus.

§. 674.

Factum alienum cõſilium danti imputãdum.

Qui conſilium dat, ei factum alienum imputatur. Duo hic diſtinguendi ſunt caſus; aut enim conſilium alterius expetitur de eo, utrum quid facere debeamus, necne; aut de modo exequendi propoſitum. Quoniam qui conſilium dat, quid ſibi videatur, ut fiat, ſignificat (§. 983 *part. I. Theol. nat.*); ubi conſilium alterius tantummodo expetis de eo, num quid facere debeas; perinde eſt ac ſi, quod facere vis, approbaret, imo laudaret. Quamobrem cum factum alienum imputetur approbanti & laudanti (§. 673); idem quoque in caſu priore imputandum venit conſilium danti.

Quodſi vero conſilium alteri des de modo, quo propoſitum ſuum exequi

equi debet, quod exequi minime poſſet, niſi tu conſilio tuo eum juvares; patet te in cauſa eſſe, ut alter hoc faciat, & hoc præſertim modo faciat (§. 886 *Ontol.*). Quamobrem cum factum alienum tibi imputetur, quatenus es cauſa ejus, quod ex facto alterius conſequitur, & ſive agenti ſive aliis bonum aut malum eſt (*§. 649*); quin conſilium danti de modo exequendi propoſitum, factum alienum ſit imputandum, extra omnem dubitationem poſitum eſt.

Facile intelligitur, factum alienum magis imputandum eſſe, ubi conſilium datur de modo propoſitum exequendi, quam ubi tantummodo mentem noſtram alteri declaramus, num conſultum nobis videatur, ut hoc faciat. Ita tibi furtum imputabitur magis, ſi furem docueris, quomodo in caſu dato furtum committere poſſit, quam ſi ex te quærenti dicas, quid tibi videatur, num furandi occaſione oblata, eam amplecti debeat. Enimvero cum in delictis alienis imputandis plures occurrant circumſtantiæ, ad quas in præſenti animum advertere nondum licet; aliud exemplum addere lubet. Si Titius conſilium tuum expetit, num Mevii filiam uxorem ducere debeat, & tu reſpondeas quod tuo judicio ducenda ſit; matrimonium cum ea contractum minus tibi imputabitur, quam ubi eum docueris, quid agere debeat, ut negotium hoc ex voto ſuccedat. In caſu particulari magis patet, quomodo conſilium tuum in factum alterius influat: unde tota pendet imputatio. Si Titio dicis, conſultum tibi videri, ut filiam Mevii uxorem ducat; aut rationes addis, cur tibi videatur conſultum, particulares; aut generalem tantummodo affers, quod judicio tuo bonum ſit Titio hanc uxorem ducere. In priori caſu manifeſtum eſt, quod motiva matrimonii cum filia Mevii contrahendi Titio ſuppedites (§. 887 *Pſychol. empir.*). Quoniam etiam in caſu poſteriori Titius conſilio tuo agere ſupponitur; judicium tuum ſequitur, & auctoritate tua confiſus, bonum judicat cum Mevii filia matrimonium contrahere, adeoque motivum ipſi denuo eſt conſilium tuum (*§. cit.*). Enimvero ſi eundem docueris, quid facere debeat, ſi voti ſui compos reddi voluerit, & is conſilio tuo agit; omnia agit tuo nutu, adeoque totus in agendo a voluntate tua dependet, & tu in cauſa es, cur hoc agat modo, non alio. In imputando facto alieno ob conſilium datum caſus hi diverſi a ſe invicem probe ſunt diſtinguendi, ubi quæritur ad quid tibi imputari debeat. Sed talia clarius patebunt, ubi ad ſpecialem tractationem deſcenderimus tum quoad theoriam, tum quoad praxin.

§. 675.

Factum alienum imputatur non vetanti | *Factum alienum non vetanti & non prohibenti imputatur.*

Factum alienum imputatur non vetanti, itemque non prohibenti, ubi vetare ac prohibere poterat. Etenim ſi quis fieri non vetat, quod vetare poterat; agenti voluntatem ſuam ſignificare omittit, quod ſcilicet ſerio nolit hoc ab ipſo fieri, nec in ejus arbitrio poſitum relinquat, utrum id, quod facit, omittere velit, necne (*§. 985 part. I. Theol. nat.*). Quoniam igitur voluntas tua non agendi motivum eſſe poteſt, ubi tua penes alterum eſt aliqua auctoritas, vel ſaltem excitare attentionem agentis, ut animum ad actionem reflectat; agenti dare motivum omittis, quo forſan a propoſito ſuo abſtrahi poterat, & attentionem ejus ad id, quod agere vult, probe perpendendum excitare negligis, conſequenter ea omittis, quibus factum alienum ex parte tua impedire poteras. Ob non factum igitur tuum in cauſa es, cur hoc fecerit alter (§. 881 *Ontol.*), conſequenter & cauſa aliqua libera cenſeris ejus mali, quod agenti vel aliis ex eodem reſultat. Quamobrem cum factum alienum tibi imputetur, ſi cauſa libera declararis ejus, quod ex alterius actione conſequitur, & vel agenti vel aliis bonum aut malum eſt (§. 649);

eadem dependet, nemine diſſentiente, ſi ad notiones communes reſpicimus in imputationibus, quæ vulgo fiunt, obſervandas. E. gr. Si pater non prohibet, ne filius injuriam ſibi illatam vindicaturus, alterum gladio percutiat, quem id facturum novit; magis hoc ipſi imputatur, quam ſi alius, qui te hoc facturum novit, non vetet.

§. 677.

Factum alienum imputatur non diſſuadenti, ubi diſſuadere poterat. Etenim ſi alteri diſſuades, ne quid faciat, eidem ſignificas, nolle te ut hoc faciat (§. 985 *part. I. Theol. nat.*). Ex eo igitur intelligit, tuo judicio malum cenſeri factum (§. 892 *Pſychol. empir.*): id quod multo magis liquet, ubi rationes addis, cur ita judices. Quodſi itaque diſſuadere negligis, cum poſſes; motivum actionis non committendæ ipſi minime præbes, quod dare poteras (§. 890 *Pſychol. empir.*), quo illum permovere poteras, ne faceret, aut ſaltem dubium reddere, num facere deberet, ut accuratius perpenderet, quid facere vellet. Cauſa igitur cenſeris ejus, quod ex facto alieno reſultat, mali, quatenus forſan impedire poteras (§. 881 *Ontol.*). Quamobrem cum factum alienum imputetur, ſi cauſa libera cenſearis ejus, quod ex actione alterius conſequitur, & agenti vel alteri bonum aut malum eſt (§. 649); factum alienum utique imputandum venit non diſſuadenti, ubi diſſuadere poteras. Quodſi ideo diſſuadere nolis, quod ab altero hoc fieri velis; malum, quod ex alterius facto reſultat, intendis (§. 616), & quidem dum non diſſuades, cum poſſes, directe (§. 621). Quamobrem cum imputetur intentio (§. 618); in hoc etiam caſu non diſſuadenti imputandum venit factum alienum.

Imputatio facti alieni, eo quod non diſſuadetur.

E. gr. Si vides alterum in arborem aſcendere velle, cujus ramos putredine laborare noſti, nec diſſuades; dum vero aſcendit, fracto ramo in terram decidit, fractis cruribus: factum alienum tibi imputatur. Quodſi ideo non diſſuades, ut periculum ſubeat; multo adhuc magis imputabitur. Aſt hoc diſcrimen manifeſtius evadet per ea, quæ de differentia doli & culpæ dicentur paulo poſt.

§. 678.

Qui non impedit factum alterius, quod impedire poterat; ei factum alienum imputatur. Etenim ſi non impedis, quo minus alter hoc faciat, cum poſſes; nemo non ob actionem hanc privativam te in cauſa eſſe agnoſcet, quod fecerit (§. 881 *Ontol.*), conſequenter cauſam cenſebit liberam ejus mali, quod ex facto alieno reſultavit. Quoniam itaque factum alienum tibi imputatur, ſi cauſa libera exiſtimaris ejus, quod ex actione alterius ſive poſitiva ſive privativa conſequitur, & agenti vel alteri bonum aut malum eſt (§. 649); factum alienum, quod impedire poteras, non impedienti imputatur.

Imputatio facti alieni ex eo, quod non impediatur.

E. gr. Noctu proſpiciens e feneſtra vides incendiarios ignem ædibus alterius ſubjicientes. Eos vociferando in fugam conjicere, vel accurrendo ignem extinguere poteras, ne in flammam feralem erumperet. Neutrum cum feceris, incendium oritur, quo ædes conſumuntur. Tibi non impedienti incendium, cum poſſes, imputabitur incendium. Quodſi in rationes inquiramus, cur impedire nolueris; clarius patebit, quantum tibi imputari poſſit. Sed de eo, quemadmodum jam ante monuimus, nobis non jam quæſtio, quantum imputari debeat, neque etiam ad quid imputandum veniat, ſed tantummodo num imputari debeat.

§. 679.

Digitized by Google

§. 679.

Imputatio facti alieni, quia reticetur.

Factum alienum imputatur reticenti, ubi non reticendo impediri poterat. Si non reticendo impedire poteras, ne alter faceret, quod fecit, & tamen reticuiſti; factum alienum non impediviſti, cum impedire poſſes. Enimvero factum alienum imputatur non impedienti, ubi impedire id poterat (§. 678). Quamobrem etiam imputandum venit reticenti, ubi non reticendo poterat impediri.

E. gr. Tibi conſtat, quod quis venenum propinare decreverit alteri. Quodſi hoc non reticeres, quo minus propoſitum ſuum exequeretur, impediri poterat. Enimvero quia reticuiſti, veneno e medio tollitur is, cui propinatum fuit. Factum venenum propinantis tibi imputabitur reticenti.

§. 680.

Gradus imputationis ex facilitate agendi contrarium.

Quo quis facilius actionem, quam committit, omittere, & quam omittit, committere poterat; eo magis actio imputatur. Etenim quo facilius tibi eſt omittere actionem, quam committis; eo magis penes te ſtat actionem, quam committis, omittere, conſequenter magis a libertate tua dependet, quod eam omiſeris (§. 941 *Pſychol. empir.*). Quoniam igitur actio tibi eo magis imputatur, quo magis a tua libertate dependet (§. 606); actio poſitiva tibi eo magis imputatur, quo facilius tibi fuit eam omittere. *Quod erat primum.*

Eodem prorſus modo oſtenditur, quo facilius tibi fuit committere actionem, quam omittis, eo etiam magis tibi imputandam eſſe actionem privativam. *Quod erat alterum.*

Propoſitio præſens notioni communi reſpondet. Exempla obvia loquuntur, quod nemo non in imputandis actionibus ſecundum eam judicet. Ita ſi alteri auxilium deneges, quod aidem ferre tibi admodum facile erat; magis tibi imputabitur, quod auxilium denegaveſis, quam ſi tibi hoc facere fuerit admodum difficile. Nec alia eſt ratio, cur hoc fiat, quam quod penes te magis ſtetiſſe cenſeatur, ut ferres auxilium alteri, quod difficultas te abſterrere non poterat, quo minus velles, & ipſa facilitas motivum ferendi auxilii præbere poterat, ut tanto facilius voluntatem determinare potuiſſes ad actionem committendam. Quilibet nimirum in ſeipſo experitur, eſſe facilitatem agendi motivum actionis committendæ, & ex adverſo difficultatem agendi motivum actionis omittendæ, ac ſe facilius voluntatem ad agendum determinare in caſu priore, quam in poſteriore. Quamobrem cum imputationis fundamentum quoad agentem nemo agnoſcat aliud niſi libertatem in volendo & nolendo; quæ facile fieri poſſunt, ea, ut magis a libertate tua dependent, quam, quæ difficulter facere licet, ſic magis ſunt imputanda.

§. 681.

Gradus imputationis ex differentia motivorum.

Quo plura & fortiora agenti fuerint motiva non agendi vel agendi, eo magis in caſu priori actio poſitiva, in poſteriori privativa imputanda. Etenim cum voluntas & noluntas determinetur per motiva (§. 932 *Pſychol. empir.*), ita ut ſine motivis nulla detur in anima volitio, nulla nolitio (§. 889 *Pſychol. empir.*); quo plura & fortiora tibi ſunt motiva non agendi, eo facilius tibi erat te determinare ad nolendum, conſequenter omittere actionem: & ex adverſo quo plura & fortiora tibi ſunt motiva agendi, eo facilius tibi erat te determinare ad volendum, conſequenter committere actionem. Enimvero quo facilius tibi eſt actionem omittere, quam committis, & viciſſim

Digitized by Google

tiſſim committere, quam omittis; eo magis tibi imputatur actio poſitiva in caſu priori, & privativa in poſteriori (§. 680). Quamobrem quo plura & fortiora tibi fuerint motiva non agendi, eo magis imputatur actio poſitiva, & quo plura & fortiora fuerint motiva agendi, eo magis imputatur actio privativa.

Principium hoc longe fecundiſſimum eſt in imputandis actionibus, a notionibus communibus non abhorrens, quemadmodum caſus particulares aperte loquuntur: in applicatione tamen non adeo facile, quemadmodum videri poterat. Etenim in determinationem actus voluntatis & noluntatis plura influunt, quam vulgo putatur, nec obvio acumine in caſu dato diſtincte agnoſcuntur, quæ probe diſcernenda veniunt ſi de facilitate vel difficultate eliciendi volitionem & nolitionem judicium ferre volueris, in quo nihil deſideretur. Præterea unum idemque motivum non æque fortiter movet voluntatem vel noluntatem unius, quam alterius. Et quod hoc non fiat, nunc imputari tibi poteſt magis, nunc minus, prouti vel a liberis tuis actionibus ſive poſitivis, ſive privativis præcedentibus, vel a cauſis phyſicis dependet. Subtilior & intricatior hæc theoria eſt, quam videbitur illis, qui vel in Pſychologia omni ſunt prorſus alieni ac hoſpites, vel in eadem nonniſi perſunctoriam operam collocarunt. Nec eſt quod regeras, eam ab uſu fori eſſe alienam, cum eadem hactenus tuto carere potuerit, nec ibidem ad tantas ſubtilitates deſcendere liceat. Sæpius enim jam monuimus, nos non agere de imputatione, quatenus in foro humano fieri debet, ſed qualis eſt, ſi in ſe & in omni ſua latitudine ſpectetur. Quid enim uſui fori conveniat, ſuo loco expoſituri ſumus. Nullum eſt dubium, quin Deus in imputandis actionibus nihil eorum prætermittat, quorum habenda eſt ratio vi libertatis, quam animæ in agendo & non agendo conceſſit. Et ſi ea mentis nobis eſſet perſpicacia, ut nihil illorum eidem ſeſe ſubducere poſſet; dubium non eſt, quin judicium noſtrum, quo actiones imputantur, eidem conformaremus. Imo quæ in genere ſpectata pro ſubtilitatibus inanibus reputantur, iisdem tamen in caſu particulari haud raro utimur, etſi nonniſi particulariter ad ea provocemus, prouti nunc hoc, nunc illud animo noſtro obvertitur, quod vel ad excuſationem facere, vel imputationem augere videtur. Qui attentionem & acumen ad judicia communia hominum afferunt, quæ modo dixi, a veritate non aliena deprehendent. Ceterum cavendum eſt, ne per præcipitantiam judices ab uſu fori abhorrere, quæ in idem recipi non potuerunt, quia ignorantur. Sed agedum propoſitionem præſentem exemplo aliquo illuſtremus. Si quis dives, nec in elargiendis pecuniis parcus, homini miſero & maxime egenti eleemoſynam dare recuſat, vel parum admodum largitur; magis hoc ipſi imputatur, quam alteri, qui paucos habet nummos, vel in iis erogandis admodum tenax eſt.

§. 682.

Si quis facit, quod dignitatem, ætatem, prudentiam, cognationem dedecet; id ipſi magis imputatur, quam ſi id alius facit, cujus contraria eſt conditio. *Applicatio ad caſus particulares.* Etenim cum motiva non agendi etiam deſumantur a dignitate, ætate, prudentia, cognatione, quatenus agens facit, quod ipſum dedecet, quod nemo non admittit; plura omnino motiva non agendi adſunt, quam ubi contraria eſt agentis conditio. Quamobrem cum actio magis imputetur, ſi plura ſint non agendi motiva, quam ſi ea abſint (§. 681); ſi quis facit, quod dignitatem ſuam, ætatem, prudentiam, cognationem dedecet; id ipſum ei magis imputatur, quam ſi id facit alius, cujus contraria eſt conditio.

Equidem diſertius doceri poterat, quomodo a dignitate, ætate, prudentia & cognatione petantur motiva; ſed in re manifeſta non opus eſſe judicamus in tantas deſcendere ambages, præſertim cum principiorum noſtrorum & methodi gnarus in caſu particulari dato demonſtrationes particulares majore luce radiantes abſque multo negotio condere poſſit. Ita viro dignitate eccleſiaſtica eminenti magis imputatur ebrietas, quam militi. Qui enim dignitate eccleſiaſtica eminet, non modo populum exemplo ſuo decere debet, verum

etiam

etiam exemplo eſſe debet paſtoribus curæ ſuæ commiſſis, quomodo exemplo ſuo docere debeant eos, quorum animæ ipſorum curæ committuntur, non minus illum, quam hos adhortans verbis Apoſtoli: *Eſtote imitatores mei, quemadmodum ego Chriſti*, & ipſo opere demonſtrans, firmo aſſenſu ſeſe complecti aſſertum Scripturæ, quod, qui ebrietati indulgent olim vitæ æternæ participes minime ſint evaſuri. Fortiſſima igitur ipſi ſunt motiva ebrietatis vitandæ, quæ militi non ſunt. Accedit quod ſcandalum præbeat ſuis multo majus, quam miles, ut ebrietas ipſum magis dedecere videatur, quam militem. Taceo alia, quæ ipſum magis, quam militem, ab ebrietate avocare poterant. Sui adeo multo magis obliviſcitur, quam miles, ubi ebrietati litat. Similiter delicta carnis magis imputantur ſeni, præſertim grandævo, quam juveni, qui carnis illecebris magis irritatur, quam ſenex, ut iis difficilius reſiſtere queat. Homini prudenti magis imputatur, ſi alios exagitet & deridendos propinet, quam juveni petulanti, cum vanitatem voluptatis exinde percipiendæ rectius perſpicere poſſit, quam huic datum eſt. Et inceſtus patri, quem cum filia tenerrimæ ætatis committit, magis imputatur, quam ſtuprum cum femina extranea commiſſum. Rationes in promptu ſunt, modo in eas inquirere volueris, ut earum recenſione prolixa non ſit opus. Nemo non ſic judicat, etiamſi omni theoria fuerit deſtitutus. Sunt enim homines ſolertes & ſatis acuti in inveſtigandis rationibus, quando de aliis querelas movent, ne videantur injuſtæ.

§. 683.

Gradus imputationis ob difficultatem agendi vel non agendi.

Quo difficilius quis actionem quandam committere, vel malam omittere poterat; eo magis ipſi imputatur in caſu priore actio poſitiva, in poſteriore privativa. Etenim ſi tibi difficile fuerit actionem quandam committere, vel malam omittere; impedimentum aliquod vel plura impedimenta adeſſe debent ante ſuperanda, quam actionem committere, vel omittere poſſis. Quamobrem non modo actio a libertate tua dependet, quatenus eam committis, vel omittis, verum etiam quatenus impedimentum vel impedimenta plura, quæ tibi objiciuntur, ſuperas (§. 941 *Pſychol. empir.*). Magis igitur dependet actio tua, ſive poſitiva ſive privativa, a libertate tua, conſequenter magis libera eſt, quam ſi agendi vel non agendi nulla adfuiſſet difficultas (*§. 12*). Enimvero actio tibi magis imputatur, quo magis libera fuerit (§. 606). Ergo quo difficilius tibi fuerit actionem quandam committere vel malam omittere, eo magis tibi imputatur in caſu priore actio poſitiva, in poſteriore privativa.

Nimirum ubi agendi vel non agendi difficultas locum habet, plures actiones liberæ ad agendum vel non agendum requiruntur, quam ubi illa abeſt. Pro earum igitur numero magis in actionem tuam ſive poſitivam, ſive privativam influit libertas, ut adeo amplior ſit hujus uſus, quam in actionibus non adeo difficilibus. In caſibus particularibus multo magis id patet, ubi ſingulæ actiones particulares, quæ ad actionem quandam difficilem concurrunt, in oculos incurrunt, ut nemo non eas videat. Unde & præſens propoſitio inter notiones communes locum ſuum tuetur. Quoniam gradus imputationis dependet a difficultate agendi vel non agendi, præciſa moralitate; per ſe patet, propoſitionem præſentem valere in imputandis actionibus quibuscunque, ſive moraliter bonæ fuerint, ſive malæ. Sed demus exempla. Furi magis imputatur furtum cum violenta effractione conjunctum, quam ſi ex apertis ædibus & aperto conclavi ea abſtulerit, quæ menſæ erant impoſita. Etenim in caſu priore difficilius erat rem alteri auferre ſuam, quam in poſteriore, ubi aderat impedimentum ante ſuperandum, quam furtum committi poterat. Effringendæ erant fores clauſæ, effringendæ erant ciſtæ, antequam rem alienam auferre poterat. Plures adeo actiones liberæ concurrunt ad furtum cum violenta effractione conjunctum, quam ad alterum, ad quod ipſa occaſio eum invitabat. Non jam verba facio de aliis, cur furtum iſtiusmodi violentum magis imputandum veniat, quam alterum, cujus committendi commoda ſeſe offerebat occaſio. Etenim una eademque actio non una de cauſa magis imputatur,

quam

quam altera. Hic vero furtum tantummodo conſideramus, quatenus magis imputandum venit ob idem committendi difficultatem. Quodſi quis omittit furtum, ad quod ipſum invitabat occaſio, cum ſit rerum alienarum cupidus; omiſſio ejusdem difficilior exiſtimatur, quatenus cupidinem rei alienæ vincere debet, antequam idem committere nolit. Quamobrem non modo libera requiritur actio ad cupidinem rei alienæ ſupprimendam, quam occaſio oblata ſuſcitat & fovet, verum etiam ipſa omiſſio actionis libera eſt. Atque adeo denuo libertas magis influit in actionem hanc privativam, ſeu furtum non committendum, quam ubi ipſa idem committendi difficultas te deterret, quo minus committas. Vides adeo, ne in applicanda propoſitione præſente a vero aberres, probe diſtinguendum eſſe inter difficultatem actionem committendi, & difficultatem eam omittendi. Si enim actionem omittis propter committendi difficultatem, omiſſio facilis, non vero difficilis tibi videtur. Ipſa enim committendi difficultas eſt eam omittendi motivum: Aſt ubi omiſſio difficilis eſt, motivum committendi actionem, quæ omittitur, eſt eam committendi facilitas. Similiter ſi quis beneficium collocat in inimicum, beneficium ipſi magis imputatur, quam ſi idem contulerit in amicum. Nemo enim non agnoſcit, quod ſuo loco apertius docebitur, difficilius eſſe benefacere inimico, quam amico, cum multa ſint, quæ te ad non benefaciendum inimico invitent, quemadmodum e contrario multa ſunt, quæ tibi beneficium in amicum collocandum perſuadent. Enimvero ubi non noces inimico, cum nocere poſſes, actio privativa magis tibi imputabitur, quam ſi nocere nolis homini, a quo nunquam læſus es. Difficilius vero eſt, non nocere inimico, quam non nocere alteri, qui te nunquam malo quopiam affecit. Plura ſunt, quæ tibi læſionem inimici perſuadent, cum ex adverſo plura ſint, quæ diſſuadent læſionem ejus, a quo nunquam ante læſus fuiſti.

§. 684.

Quo facilius quis actionem quandam committere vel omittere poterat; eo minus imputatur actio in caſu priore poſitiva, in poſteriore privativa. Si enim tibi facile fuerit actionem quandam committere vel omittere; nullæ adſunt rationes, quæ tibi actionem, quam committis, omittendam, vel quam omittis, committendam eſſe, ſuadere poterant; conſequenter in caſu priori nullum eſt actionis committendæ, in poſteriori vero nullum actionis omittendæ impedimentum (§. 726 *Ontol.*). Quoniam itaque impedimentum nullum ſuperandum, antequam in caſu priore actionem committas, vel in poſteriore omittas; non tot actibus liberis opus eſt, ut actionem committas vel omittas, quot in caſu oppoſito, conſequenter actio tam poſitiva, quam privativa minus libera eſt (§. 941 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum actio tua tibi magis imputetur, quo magis libera fuerit (§.606), adeoque eo minus, quo minus libera fuerit; quo facilius actionem quandam committere vel omittere poteras, eo minus tibi imputabitur actio poſitiva in caſu priore, privativa in poſteriore.

Minor imputatio ob facilitatem actionis.

Si beneficium beneficio rependis, facilius hoc fieri poteſt, quam ut beneficium conferas in eum, qui nunquam bono quopiam te affecit, vel qui te antea læſit. Minus ergo tibi imputatur beneficium in benefactorem collatum, quam in alterum, a quo ante ne minimum quidem accepiſti, quod in bonorum numerum referre poſſes, aut in eum, qui ægre tibi fecerat. Unde Chriſtus amorem inimicorum commendaturus, nihil ſingulare eſſe pronuntiat, ſi iis benefacimus, qui nobis benefaciunt. Movent enim beneficia ab alio accepta voluntatem, ut adeo ejus determinatio omni difficultate careat, cum in caſu beneficii ab altero non accepti deſit hoc motivum, & in caſu mali ab altero in nos profecti adſit motivum beneficii non conferendi. Similiter, ſi quis ægre facere recuſat benefactori ſuo, minus hoc ipſi imputabitur, quam ubi ægre facere noluerat ei, a quo nullum unquam beneficium accepit, vel a quo ante damnum ipſi datum fuit. Etenim facilius eſt non ægre facere benefactori, cum id diſſuadeant beneficia ab eodem accepta, quam non ægre facere homini, qui nihil unquam boni in nos contulit, cum hic deſit motivum iſtud non lædendi, vel non ægre

facere iuimico, cum hic adſit motivum lædendi. Hinc minus laudatur, qui benefactori ægre facere recuſat, quam qui ægre facere detrectat homini, cui nullas debet gratias, vel inimico, a quo multa damna perpeſſus ſuit, vel qui ad ægre ipſi faciendum prono eſt animo. Similiter furtum minus imputatur furi, ſi ipſa occaſio ad idem committendum iuvitabat, quam ubi difficultas executionis eum ab eodem deterrere poterat; minus autem imputatur omiſſio furti iu caſu poſteriori, quam iu priori. Suut ea, quæ diximus, judiciis quotidianis etiam imperitorum conſentanea, ut propoſitiouem præſeutem ad communes notiones non iuvita experieutia referre liceat.

§. 685.

Quomodo minor imputatio a motivis dependeat.

Quo plura & fortiora ſunt agenti motiva agendi & non agendi, eo minus actio imputatur in caſu priori poſitiva, in poſteriori privativa. Quo enim tibi plura & fortiora ſunt motiva agendi, eo facilius tibi erat determinare voluntatem ad agendum (§. 932. 889 *Pſychol. empir.*); & ſimiliter quo plura & fortiora tibi ſunt motiva non agendi, eo facilius tibi erat actionem omittere (§. §. *cit.*). Quoniam itaque actio tam poſitiva, quam privativa tibi tanto minus imputatur, quanto facilius illam committere, hanc omittere poteras (§. 684); actio poſitiva tibi eo minus imputabitur, quo plura & fortiora tibi ſunt eam committendi motiva, & privativa imputabitur eo minus, quo plura & fortiora tibi ſunt eam omittendi motiva.

Exempla, quæ dedimus propoſitionem præcedentem illuſtraturi, præſeutem quoque illuſtrant, ut adeo ſuperfluum videatur alia in medium afferri. Non tamen ideo exiſtimandum eſt, propoſitionem præſentem cum præcedente eſſe prorſus eandem; etenim ſub ea nonniſi comprehenditur per modum caſus particularis ſub univerſali, præcedens vero latius patet, cum agendi præſertim facilitas etiam eſſe poſſit ex parte facultatis locomotivæ, ſeu actuum externorum, qoibus propoſitum exequimur. Ceterum quæ ſupra monuimus, cum inculcaremus, actionem poſitivam magis imputandum eſſe, ubi plura & fortiora agenti ſunt non agendi motiva, & privativam magis imputari debere, ubi plura & fortiora ſunt agendi motiva (*not.* §. 681); ea hic quoque repetenda ſunt, ſive fecunditatem principii, ſive applicationem eiusdem, ſive denique theoriæ ſubtilitatem ſpectes, ſine qua applicatio fieri uequit, ne quid in ea deſideretur. Hinc vero etiam diſcimos, cur actiones malæ minus imputentur gentilibus, quam chriſtianis, cum his fortiora ſint atque plura omittendarum motiva, qoam illis; quemadmodum ex propoſitione anteriore (§. 683) intelligimus, cur actiones bonæ magis imputentur gentilibus, quam chriſtianis, atque adeo magis in ipſis laudeutur & eo fine allegentur, ut in ruborem dentur chriſtiani easdem omittentes, cum homini gentili difficilius ſit virtutem colere, quam chriſtiano, cui plura ſuut & fortiora virtutis motiva,

§. 686.

Minor imputatio ob dignitatem, ætatem, prudentiam, cognationem.

Si quis facit, quæ dignitatem ſuam, ætatem, prudentiam, cognationem decent, aut non facit, quæ eam dedecent; id ipſi minus imputatur, quam ſi idem facit, vel non facit, cujus contraria eſt conditio. Suppono, quod jam in caſu ſimili ſumſimus (§. 682), a dignitate, ætate, prudentia & cognatione deſumi poſſe motiva agendi & non agendi, conſequenter plura & fortiora agendi & non agendi motiva eſſe ei, qui facit, quod dignitatem, ætatem, prudentiam & cognationem ſuam decet, vel non facit, quod dedecet, quam ubi contraria eſt conditio agentis. Quamobrem cum actio poſitiva minus imputetur, ubi plura & fortiora ſunt agendi motiva, actio autem privativa minus imputetur, ubi plura & fortiora ſunt non agendi motiva (§. 685); actio poſitiva minus imputatur, ſi quis ea facit, quæ digni-

Digitized by Google

dignitatem, ætatem, prudentiam vel cognationem ſuam decent; & privativa minus imputatur, ſi ea non facit, quæ dignitati, ætati, prudentiæ & cognationi ipſius non conveniunt, quam ubi contraria eſt agentis vel non agentis conditio.

Ita ſi vir, qui dignitate eccleſiaſtica eminet, comem ac facilem ſe præbet aliis; id minus ipſi imputatur, quam militi. Unde hic magis laudatur, ubi id facit, quam ille. Si ille ab ebrietate abſtinet, minus hoc ipſi imputatur, quam huic, & denuo hic magis, quam ille laudatur. Ita ſeni minus laudi datur, quam juveni, ſi circumſpectum ſe gerat converſando cum aliis: minus laudi tribuitur, quam juveni, ſi rerum novarum non fuerit cupidus. Similiter minus laudatur in homine prudente, ſi nimiam familiaritatem vitando ſibi cavet a contemtu, quam in aliis, quibus omnia accurata lance ponderare datum non eſt. Denique minus imputatur parenti, ſi ſalutis filii curam gerit; quam ei, qui extraneorum ſalutis curam habet.

§. 687.

Applicatio dictorum ad imputationem facti alieni.

Quo magis propria actio agenti imputanda, eo magis etiam imputandum factum alienum, quod ab eadem dependet. Et viciſſim quo minus propria actio agenti imputanda, eo minus etiam factum alienum imputandum. Valent hæc etiam de non facto. Etenim cum imputationis tam actionis propriæ, quam alienæ principium ſit libertas animæ (§. 528. 651); actio aliena tibi non imputatur, niſi quia imputatur propria, a qua illa dependet. Quo magis igitur actio propria tibi imputatur, eo magis etiam imputatur factum alienum, quod ab eadem dependet: & viciſſim quo minus tibi imputatur actio propria, eo minus quoque imputatur factum alienum, quod ab eadem dependet.

Equidem principium hoc adeo manifeſtum eſt, ut probatione non indigeat, ſed inſtar axiomatis ſumi poſſit: imo principio hoc, quod actio aliena hæc nobis imputetur, quatenus propria, unde eadem dependet, imputatur, & unde veritas propoſitionis præſentis perſpicitur, jam uſi ſumus in demonſtrationibus ſuperioribus. Conſultum tamen duximus eidem hic locum concedere, ut pateat, quomodo ea, quæ de actionibus magis vel minus agenti imputandis demonſtravimus, etiam applicentur ad imputationem facti alieni. Quæ nimirum propoſitionis præſentis per modum corollarii inferre licet, quando idem factum alienum, in quod eadem actio tua influit, tibi magis vel minus imputandum veniat, quemadmodum ex ſequentibus apparet.

§. 688.

Caſus ſpeciales

Quoniam factum alienum imputatur jubenti (§. 654), præcipienti & ſuadenti (§. 656), conſenſum requiſitum adhibenti (§. 671), adjuvanti (§. 672), laudanti & approbanti (§. 673), conſilium danti (§. 674); *quo magis tibi imputari poteſt, quod alterum facere juſſeris, quod præceperis, quod ſuaſeris, quod conſenſum requiſitum adhibueris, quod adjuveris, quod laudaveris & approbaveris, quod conſilium dederis, eo magis tibi factum alienum imputandum, & contra.*

Qui ad exempla anteriora animum advertit, ea ad corollarium præſens illuſtrandum facile aptabit. E. gr. Si pater jubet filium furtum committere, magis hoc ipſi imputatur, quam ſi jubet alius quicunque, & furtum a filio commiſſum magis imputatur eidem patri, quam extraneo, aut alii cuicunque.

§. 689.

Caſus alii. Similiter quia actio privativa imputatur vetanti & diſſuadenti (§. 655), ac prohibenti (§. 657); *quo magis tibi imputatur, quod vetes, prohibeas vel diſſuadeas, eo magis tibi imputabitur non factum alienum, & contra.*

E. gr. Si pater prohibet, ne filius die dominica Sacris interſit, magis hoc ipſi imputatur, quam ſi vetet alius, & ideo ipſi quoque magis, quam alii vetanti imputatur abſentia hujus a templo.

§. 690.

Adhuc alii. Denique quia factum alienum imputatur non vetanti, itemque non prohibenti, ubi vetare ac prohibere poterat (§. 675), & non diſſuadenti (§. 677), non impedienti (§. 678), reticenti, ubi non reticendo impediri poterat (§. 679); *quo magis imputari poteſt, quod non vetes, non prohibeas, non diſſuadeas, non impedias, aut reticeas; eo magis tibi imputabitur factum alienum, & contra.*

E. gr. Si filius reticet, quod inſidiæ ſtruantur vitæ patris; magis ipſi imputatur, quam amico, qui nulla cognatione eum attingit. Unde & magis imputatur eidem cædes inde ſecuta. Quodſi expoſita hactenus principia ad diverſos caſus, qui occurrere ſoleat, applicare quis velit, ampliſſimam de imputandis factis tam propriis, quam alienis theoriam condere poterit. Eorundem vero principiorum gnarus in dato caſu particulari, penſitatis omnibus circumſtantiis, ex iis facile definiet, quantum imputanda ſit actio, præſertim ubi theoriam omnem legum naturalium & ex ea naſcentium jurium ac obligationum habuerit perſpectam, cum ſine hac non intelligatur, ad quidnam imputandum ſit factum vel non factum, ſive proprium, ſive alienum.

§. 691.

Imputatio actionum quoad rectitudinem. *Actiones agenti imputantur quoad rectitudinem, ſeu quatenus rectæ ſunt, aut a rectitudine deficiunt, ubi penes nos ſtetit, ne ab eadem deficerent.* Etenim lex naturæ nos obligat ad actionum liberarum rectitudinem (§. 189), conſequenter eædem legi naturæ conformes ſunt, quatenus rectæ ſunt, difformes autem ſunt, quatenus a rectitudine deficiunt. Enimvero actiones legi naturæ conformes & difformes per ſe imputabiles ſunt (§. 644). Ergo etiam actiones imputandæ ſunt, quatenus rectæ ſunt, aut a rectitudine deficiunt. Enimvero nulla homini actio imputatur, niſi quatenus libera eſt (§. 528. 532). Quamobrem nec actio, quatenus a rectitudine deficit, imputari poteſt, niſi ubi penes nos ſtetit, ne ab eadem deficeret.

Propoſitio hæc maximi momenti eſt, quemadmodum ex ſequentibus mox clarius pateſcet. In imputandis actionibus quam maxime habenda eſt ratio rectitudinis actionum, niſi judicium tuum a vero aberrare debet. Quamobrem ſi tuto tramite hic incedere volueris, danda eſt opera, ut non modo generalem rectitudinis notionem ſatis diſtinctam animo comprehendas, quam ideo in ſuperioribus explicavimus (§. 72 & ſeqq.); verum etiam cujuslibet actionis rectitudinem in caſu quocunque particulari penitus perſpicias, quo facit theoria omnis philoſophiæ practicæ. Hic tantummodo generalia trademus, inſtituto noſtro convenienter.

§. 692.

Differentia defectus rectitudinis actionis. *Defectus rectitudinis actionis* dicitur *vincibilis*, ſi eum evitare potuiſſes, modo voluiſſes. Idem vero *Invincibilis* appellatur, ubi penes te non ſtetit, ut eum evitares.

Conſtat

Conſtat ex ſuperioribus ignorantiam eodem ſenſu dividi in vincibilem & invincibilem (§. 28), & nos hanc appellationem etiam applicaſſe errori (§. 30). Ne igitur terminos præter neceſſitatem multiplicemus, eandem quoque ad deſignandum differentiam defectus rectitudinis actionis adhibere lubuit.

§. 693.

Imputatio defectus rectitudinis.

Defectus rectitudinis invincibilis imputari nequit: vincibilis vero in caſu ſingulari imputatur. Prius oſtenditur eodem modo, quo ſupra evicimus, ignorantiam invincibilem imputari non poſſe (§. 550); poſterius autem eodem modo, quo ſupra demonſtravimus, ignorantiam vincibilem in caſu ſingulari imputandam eſſe (§. 549).

Suppoſuimus in ſuperioribus, ignorantiam vincibilem in caſu ſingulari accenſendam eſſe actionibus liberis. Eodem autem modo patet, in caſu ſingulari defectum rectitudinis vincibilem accenſeri debere actionibus liberis, quo demonſtravimus, ignorantiam vincibilem in caſu ſingulari iisdem accenſendam eſſe (§. 29). Non igitur opus eſt, ut demonſtrationes de ignorantia traditas ipſimet ad defectum rectitudinis actionum humanarum transferamus.

§. 694.

Gradus hujus imputationis.

Quo facilius evitare poteras defectum rectitudinis, eo magis tibi imputabitur: quo autem difficilius eundem evitare poteras, eo minus imputabitur. Etenim defectus rectitudinis tibi non imputatur, niſi quatenus vincibilis eſt (§. 693). Quoniam vincibilis eſt, ſi eum evitare potuiſſes, modo voluiſſes (§. 692); quo magis penes te ſtetit, ut eum evitares, eo facilius eundem evitare poteras; quo minus vero penes te ſtetit, ut eum evitares, eo difficilius eundem evitare poteras, conſequenter quo facilius evitari poterat, eo magis liber cenſetur, & quo difficilius evitari poterat, eo minus liber exiſtimatur (§. 941 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum actiones tibi imputentur, quatenus liberæ ſunt) §. 532); defectus rectitudinis tanto magis tibi imputabitur, quanto facilius eum evitare poteras, & tanto minus imputabitur, quanto difficilius eundem evitare poteras.

§. 695.

Gradus imputationis defectus rectitudinis vincibilis.

Quoniam defectus rectitudinis vincibilis eſt, ſi eum evitare potuiſſes, modo voluiſſes (§. 692), conſequenter facile vincibilis, qui facile evitari poteſt, difficulter vincibilis, qui difficulter evitari poteſt, & difficillime vincibilis, qui nonniſi difficillime evitari poteſt; quo facilius autem evitare poteras defectum rectitudinis, eo magis tibi imputabitur, quo autem difficilius evitare poteras, eo minus imputandus (§. 694); *defectus rectitudinis facile vincibilis magis imputatur, quam difficulter vincibilis, & omnium minime imputatur nonniſi difficillime vincibilis.*

Habemus hic principium, quo nituntur diverſi gradus imputationis quoad defectum rectitudinis actionum, quod probe perpendi velim, cum lucem forſan inexpectatam affundat iis, quæ hactenus in doctrina de imputatione obſcuriora & intricatiora viſa. Patebit autem ex ſubſequentibus, cui uſui ſit hoc principium.

§. 696.

Culpa in genere quid ſit.

Defectus rectitudinis actionis vincibilis dicitur *in genere culpa*.

Receptus

Receptus hic ſignificatus eſt tam in Jure Romano, quam apud Scriptores Latinos. Neque enim inſolitum eſt, ut ob defectum vocabulorum nomen generis tribuatur etiam ſpeciei. Ceterum hic culpam in genere ſumimus in omni ſua latitudine, non attento ſignificatu ſtrictiori, quem uſus fori probare videtur, etſi is ſub latiori comprehendatur, quemadmodum ſuo loco conſtabit. In ea enim latitudine, quam nos legi naturæ tribuimus, & tribuere tenemur, ubi rem ex ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura derivamus (§. 135); actionum quoque rectitudo & defectus ab eadem ampliores nanciſcuntur limites.

§. 697.

Actio culpabilis quænam dicatur.

Hinc *Actio culpabilis* dicitur, ſive poſitiva, ſive privativa fuerit, quæ defectu quodam rectitudinis vincibili laborat. Vocatur etiam *Factum culpabile* &, ſi privativa fuerit actio, *Non factum culpabile*.

Unde ſi horologiopæus conſtruit horologium defectu quodam laborans, quem evitare poterat; factum ejus culpabile dicetur non minus, ac ſi quis alterius corpori cupidine vindictæ ductus vulnus infligit. Non recte agit artifex, dum conſtruit horologium defectu quodam laborans, cum melius conſtruere poſſet, modo diligentiam ſuam in ſe deſiderari non pateretur, agendo contra ipſam naturæ legem, quemadmodum ex iis conſtabit, quæ ſuo loco demonſtrabuntur. Nec recte agit, qui cupidine vindictæ vulnus infligit alterius corpori, agendo contra legem naturæ, quæ omnem animum vindictæ cupidum damnat & alios lædi a nobis vetat.

§. 698.

Quænam actio ſit inculpabilis.

Actio recta eſt inculpabilis. In actione enim recta nihil deſideratur ex parte intellectus, voluntatis ac noluntatis atque facultatis locomotivæ (§. 79). Quamobrem cum defectus rectitudinis in eo conſiſtat, quod in actione libera ex parte intellectus, vel voluntatis ac noluntatis, vel denique locomotivæ deſideratur (§. 81); actio recta nullo prorſus defectu rectitudinis laborat. Quoniam itaque tum demum culpabilis eſt actio, cum defectu quodam rectitudinis vincibili laborat (§. 697); actio recta eſt inculpabilis.

Videmus adeo omnimodam demum actionis rectitudinem eandem efficere inculpabilem, ut nihil in ea agenti imputari, nec quicquam in eadem jure reprehendi aut taxari poſſit; minime autem ſufficere actus poſitivi externi cum lege conformitatem aut privativi difformitatem. Fieri enim poteſt, ut actus externus legi conveniat, aut qui omittitur, disconveniat; hoc tamen non obſtante ſit culpabilis, quatenus ſcilicet aliqua ex parte deficit a rectitudine, veluti cum hypocrita dat eleemoſynam, ut videatur ab hominibus, non vero ut ſublevet miſeriam egentis: ubi actio a rectitudine deficit quoad voluntatem (§. 80). Ita etiam ab omni prorſus culpa immunis eſt horologiopæus, quando ea arte conſtruit horologium, ut tam exactum ſit, quantum ab arte expectari poteſt. Et hinc liquet, quando ab omni culpæ ſenſu vacuum habeamus animum: quod cum nobis uſui ſit in ſequentibus, per modum corollarii ſubjicere lubet.

§. 699.

Quando animus ab omni culpa vacuus.

Quoniam actio recta eſt inculpabilis (§. 698), adeoque ſi actiones noſtræ rectæ fuerint, nullius culpæ nobis ſumus conſcii (§. 697. 696); *ſi actiones agentis fuerint rectæ, ab omni ſenſu culpæ vacuum is habet animum.*

Sumitur hic vocabulum culpæ in ſignificatu generali: cumque hæc propoſitio maximi ſit momenti in praxi morali, & maximum ad felicitatem præſidium in eo ſitum ſit, ut ab omni culpa vacuum poſſideamus animum, quemadmodum ſuo tempore abunde conſtabit; ſignificatum culpæ in genere ſic dictæ retinere debuimus.

§. 700.

Digitized by Google

§. 700.

Imputatio culpæ in genere ſic dictæ

Culpa in genere ſic dicta agenti imputatur. Cum enim culpa ſit in genere defectus rectitudinis actionis vincibilis (§. 696), penes agentem ſtat, ut eum evitet, ſeu ne actio a rectitudine deficiat (§. 692). Enimvero actio agenti imputatur, quatenus deficit a rectitudine, ubi penes eum ſtetit, ne ab eadem deficeret (§. 691); conſequenter defectus rectitudinis vincibilis imputatur. Quare culpa in genere ſic dicta agenti imputatur.

Ita artifici perito imputatur, quod horologium minus accurate conſtruxerit. Similiter paſtori eccleſiæ imputatur, ſi ſermones ſacros componat ad oſtentationem.

§. 701.

Dolus quid ſit.

Defectus actionis a rectitudine quoad voluntatem & noluntatem dicitur *Dolus*.

Sumimus vocabulum doli in omni ſua latitudine, quam in jure naturali tanquam ſpecies culpæ in genere ſic dictæ habere poteſt. Unde hic repetenda ſunt, quæ paulo ante ad definitionem culpæ in genere annotavimus (§. 696). Non tamen ideo tradimus, quæ Juri Romano contraria ſint. Quæ enim JCti Romani de dolo malo inculcant; ea ex hac noſtra definitione apodictice conſequuntur. Noſtrum inſtitutum non fert, ut certi uſus gratia ſignificatum vocabulorum reſtringamus, ubi receptus ampliationem notionis admittit, nec aliud ſuppetit vocabulum, quo notionem a particularibus liberatam, quæ ad demonſtrationes nil faciunt, indigitare poſſimus. Sed demus exemplum. Si artifex peritus ſtudio conſtruit horologium minus exactum, quod exiſtimet conductorem non intelligere quale eſſe debeat horologium accurate conſtructum, vel quia novit, ſe eodem pretio idem vendere poſſe, quo vendere poterat, ſi accurate conſtruxiſſet; doloſe agit. Quo minus enim accurate conſtruat horologium, quemadmodum debebat, a voluntate ipſius pendet, conſequenter actio deficit ex parte voluntatis, minime autem ex parte intellectus, vel facultatis locomotivæ. Similiter ſi quis ea intentione aggreditur alterum, ut eum interficiat; doloſe eum interficit. Vult enim interficere, etſi norit ſibi nullum eſſe jus eum interficiendi, ſed ſeſe potius obligatum eſſe ad actionem hanc omittendam. Deficit adeo actio a rectitudine quoad voluntatem, dum vult, quod velle minime debebat. Omnes admittunt in hoc caſu doloſe agere homicidam, nec aliam reddunt rationem, quam quod ſciens ac volens hoc fecerit, conſequenter dolum tribuunt homicidæ, quia actio ipſius deficit a rectitudine quoad voluntatem, cum voluerit, quod per legem, rectitudinis normam, velle non debebat. Vides adeo definitionem doli, quam dedimus, conſentientia cum jure civili in caſu particulari parere judicia, neque noſtram definitionem eidem contrariam eſſe. JCti dolum ſpectant in illis actionibus, cum quibus ipſis negotium; philoſophi in omnibus, in quibus locum habere poteſt, quoniam ipſis cum omnibus actionibus liberis negotium eſt, qualeſcunque tandem fuerint.

§. 702.

Actio doloſa quænam.

Actio doloſa appellatur, quæ fit per dolum, ſive ea poſitiva fuerit, ſive privativa. Unde & *Factum* atque *Non factum doloſum* vocatur. *Dolus* autem *committi* dicitur ab eo, qui doloſe agit, vel non agit.

Ita actio doloſa eſt poetæ, qui miſeros verſus pangit pro mercede, propterea quod novit conductorem judicare non poſſe, utrum carmen ſit bonum, necne. Et dum hoc agit, dolum committit. Similiter actio privativa doloſa eſt, ſi dum aliquis aquis ſubmergendus opem tuam implorat, tu eam ferre recuſas eo animo, ut ſubmergatur. Et dum eo es animo, ubi auxilium ferre non vis, dolus a te committitur. Nimirum non minus actio privativa, quoad noluntatem, quam poſitiva, quoad voluntatem a rectitudine deficere poteſt, atque adeo dolus inficit tam privativas, quam poſitivas hominum actiones. Abſit autem ut dolum cum fraude & actionem doloſam cum fraudulenta confundas. Differentia, quæ intercedit inter dolum & fraudem explicabitur ſuo loco: ſit ita quod inconſtantia loquendi dolus cum fraude haud raro confundatur, præſertim in communi ſermone.

Digitized by Google

§. 703.

Qualis ſit actio doloſa. *Omnis actio doloſa mala eſt.* Etenim actio doloſa ex dolo proficiſcitur (§. 702). Quamobrem cum per dolum quid facientis actio tam privativa quam poſitiva a rectitudine quoad voluntatem & noluntatem deficiat (§. 701), ab eadem vero deficiat, ſi mala committitur, quo in caſu actio poſitiva mala eſt, vel bona omittitur, quo in caſu privativa mala eſt (§. 73. 74); evidens eſt, omnem actionem doloſam, ſive ea poſitiva, ſive privativa fuerit, eſſe malam.

Ita mala eſt actio doloſa poetæ, qui verſus miſeros pangit pro mercede, nec minus mala eſt privativa actio doloſa ejus, qui aquis ſobmergendo non fert opem, quam ferre poterat in eo, quem modo diximus (*not.* §. 702), caſo. Etenim nemo non fatetur, bonam eſſe actionem auxiliom alteri ferentis, ot a mortis periculo eum liberet: erit adeo oppoſita actio mala. Nemo non fatetor, bonam actionem eſſe poetæ, ſi bonom condit carmen, cum eo fine operam ejus conducat alter, qui mercedem ſolvit. Oppoſita igitur actio erit mala. Non licet excipere, qood actio doloſa ſubinde poſſit eſſe bona, veloti dum hypocrita dat eleemoſynam, ut videator ab hominibus, cum ex hac actione non ſeqoator, quod alteri malum eſt, verum potios quod bonum eſt egeno, qui eleemoſynam accipit. Enimvero ſit ita, ot actio agentis referatur ad alios. Nonne qoi eleemoſynam dat, ot videatur aliis, qui non eſt, alios in erroneum de ſe judicium ſeducere vult? Ecqois vero eſt, quin neget, alios in errorem ſeducere eſſe malum, definitione mali repugnante (§. 565. 567 *Pſychol. empir.*). Quamobrem ſi vel maxime dolum in actionibus nonniſi iis conſideres, ex qoibos damnum aliquod in alios redundat; actio hypocritæ hoc etiam reſpectu erit inter eas referenda, quibus damnom datur aliis, imo quibus damnum datur per injuriam, quatenus ea repugnat juſtitiæ univerſali eo ſenſu, qoem in Horis Subſecivis explicavimos, & ſuo tempore ſuoque loco clarios expoſituri ſumus. Non jam urgere lubet, quod qui hypocriſin animadvertunt, moleſtiam inde percipiant, nemine philoſophorum in dubium vocante, quod aliis moleſtiam creare malum ſit.

§. 704.

An dolus etiã committatur adverſus ſe ipſum. *Dolus locum habet tum in actionibus, quæ agentem ipſum reſpiciunt, tum in iis, quæ reſpiciunt alios: ſeu Dolus committitur ab agente non modo adverſus alios, verum etiam adverſus ſeipſum.* Dolus enim eſt defectus actionis omnis a rectitudine quoad voluntatem (§. 701), omniſque doloſa actio mala eſt (§. 703). Quoniam igitur non minus actio, quæ nobis mala eſt, quam quæ mala eſt alteri, tantummodo deficere poteſt a voluntate & noluntate (§. 73. 74), ita ut, quod nobis vel alteri malum eſt, appetamus ſub ratione boni cujuſdam, & quod nobis vel alteri bonum eſt, averſemur ſub ratione mali (§. 896 *Pſychol. empir.*); evidens eſt, dolo locum eſſe non modo in iſtis actionibus, quæ reſpiciunt alios, ſeu aliis malum quoddam afferunt, ſive poſitivum ſive privativum; verum etiam in hiſce, quæ noſmetipſos reſpiciunt, ſeu nos mali cujuſdam participes reddunt, aut bono quodam carere jubent. Unde cum dolus committatur ab eo, qui doloſe agit (§. 702); dolus ab agente committitur non modo adverſus alios, verum etiam adverſus ſeipſum.

Joris civilis principia ſuut: Alterum non lædere, & ſoum cuique tribuere *l. 10. ff. de juſt. & jure*. In eo igitur ſpectatur dolus in iis actionibos, quibus læditur alter, nec ſuum ipſi tribuitur, quatenus ſcilicet alteri vel damnum datur, quod reparandum eſt, vel in alterum delinquitur, ut pœna vindicandum ſit delictum. Quamobrem forſan non deerunt, qui ſibi perſuadent, dolum ſpectari non poſſe in actionibus, quæ ipſum reſpiciunt agentem, quo-

niam

biam reparatio damni locum minime habet, ubi quis damnum ſibimetipſi infert, nec facile quis punitur, quia delinquit in ſeipſum. Enimvero ex ſpeciali tractatione conſtabit, & theoria juris naturalis de legibus civilibus eluceſcet, legum naturalium ac naſcentis inde juris multo ampliores eſſe limites, quam legum civilium ac naſcentis inde juris civilis. In jure naturali haud infrequenter non inutili juris fictione hominem conſideramus tanquam perſonam diverſam a ſeipſo, quatenus anima conſtat ea parte ſuperiori ac inferiori, ita ut facultates inferiores ſubjiciantur facultatibus ſuperioribus, ab hiſce juxta normam legum naturalium regendæ, facultatibus inferioribus ac ſuperioribus haud raro ſibimet contrariis. Unde homo non minus ſemetipſum lædere poteſt quam alterum, nec minus ſibimetipſi ſuum tribuere poteſt, quam alteri, juſtus vel injuſtus non minus erga ſeipſum, quam in alios. Quamobrem non minus in ſeipſum quam in alios dolum committit, ubi novit hoc ſibi eſſe malum, hoc tamen non obſtante boni cujusdam apparentis gratia id agit, unde ipſum enaſcitur. Sane parentes, qui actiones liberorum moderantur, & pœnis emendatricibus corrigere ſtudent, quæ caſtigationum nomine vulgo veniunt, dolum a culpa in ſpecie ſic dicta, de qua mox dicemus, ſatis accurate diſtinguunt, etiam ubi ſibimet ipſi damnum quoddam inferunt aut in ſeipſos delinquunt. Taceo quod homo ad conſcientiam actiones ſuas exigens etiam in iis imputandis, quæ ſeipſum reſpiciunt, dolum a culpa in ſpecie ſic dicta diſtinguat, nec dubitandum ſit, quin idem faciat Deus. Eſt vero etiam ſubinde doli in ſeipſum commiſſi habenda ratio in imputandis delictis, & foro humano, ubi quis in alterum deliquit non ſine præſentiſſimo damno proprio, cum hoc in caſu delictum dolo in ſeipſum commiſſo aggravari nemo non intelligat, utpote animum lædendi alterum obfirmatum aperte nimis loquente. Quæ ex notionibus diſtinctis & determinatis deducuntur, vocabulis ad ſignificatum fixum revocatis, veritati conſentanea ſunt. Dubitandum vero non eſt, veritati ſuum conſtare uſum, etſi is non ſemper appareat, nec unicuique ſtatim in oculos incurrat, aliis præſertim eorum aciem in ſe trahentibus, quo minus is videatur. Non deſunt in ipſa Matheſi exempla, ubi ſignificatus reſtrictior vocabulorum ampliatur, nemine reprehendente, ut theoriæ reddantur ampliores. Sed dicta abunde ſufficiunt, ut illis fidem per hæc facere minime teneamur.

§. 705.

Actio doloſa committitur a ſciente & volente. Actio doloſa eſt, ubi quid per dolum fit ab agente (§. 702). Quamobrem cum ea a rectitudine deficiat quoad voluntatem, non vero quoad intellectum (§. 701. *& ejus not.*); verum eſt de actione agentis judicium, ſcilicet quod actio mala ſit (§. 703), adeoque agens ſcit ex ea ſequi quidpiam, quod vel ſibi, vel aliis malum eſt (§. 704 *Philoſ. pract. univ.* & §. 506 *Log.*), & agens idem vult (§. 73. 74), ſive directe ſive indirecte (§. 623), vero volitionis actu (§. 624), & utroque in caſu agenti imputando (§. 618. 625). Patet itaque actionem doloſam committi a ſciente ac volente.

Qualis ſit actio doloſa.

In exemplis res adeo manifeſta eſt, ut in dubium non revocetur. Ita ſi maritus uxori, cujus pertæſus, venenum miſcet, ut eam e medio tollat; doloſe agit. Enimvero novit hac actione ſua uxorem e medio ſublatum iri, & vult ut ea e medio tollatur, ac ut hoc fiat, venenum miſcet. Uxor adeo vita privatur a marito ſciente ac volente actione per dolum edita. Similiter ſi aquis ſubmergendus tuam implorat opem, ut ſervetur, tu vero eidem opem non fers, quam ferre poteras, quia vis ut ſubmergatur; actionem doloſam privativam eſſe auxilium alteri denegatum, quod ferre poteras, ſupra monuimus (*not.* §. 702). Enimvero noſti alterum aquis ſubmerſum iri, niſi eidem ſuccurras; ſed non vis ferre opem, quia vis ut ſubmergatur. Actio igitur privativa doloſa eſt ſcientis ac volentis. Similiter vides incendiarium alterius ædibus ignem ſubſtruxiſſe. Noſti ſuboriturum incendium, quo ædes in cineres redigentur. Vis, ut hoc fiat, adeoque reticeſ, cum factum incendiarii manifeſtare poſſes, ut eventu deſtitueretur. Reticentia actio privativa eſt, utique doloſa, cum ortum trahat ex defectu voluntatis. Patet vero eam eſſe ſcientis ac volentis. Exempla adeo, in quibus nemo non dolum agnoſcit; aperte loquuntur, actiones doloſas, tam privativas quam poſitivas, eſſe ſcientis ac volentis. Hinc & juris civilis interpretes ad dolum requirunt & ſcientiam & animum lædendi, ut adeo dolus per hæc duo requiſita probetur.

Cur vero animus lædendi neminem offendere debeat, ubi dolus etiam in ſe ab agente committi dicitur; ex iis intelligitur, quæ paulo ante (*not.* §. 704) prolixe inculcavimus.

§. 706.

Effectus actionis doloſæ.

Actio doloſa tendit ad imperfectionem vel agentis vel alterius, aut ad imperfectionem ſtatus, ſive externi ſive interni, vel agentis vel alterius. Etenim actio doloſa omnis mala eſt (§. 703). Quoniam malum eſt, quod imperfectiorem reddit hominem ſtatumque ejusdem ſive internum, ſive externum (§. 565 *Pſychol. empir.*); actione omni doloſa vel ipſe agens, vel alius quidam, aut illius vel hujus ſtatus, ſive externus ſive internus imperfectior efficitur, ſeu, quod perinde eſt, actio doloſa ad imperfectionem vel agentis vel alterius, aut imperfectionem ſtatus, ſive externi ſive interni, vel agentis vel alterius tendit.

Vides adeo, in jure naturali actionem doloſam multo latius patere, quam in jure civili. In hoc actiones doloſæ plerumque non conſiderantur, niſi quatenus ſtatus externus alterius efficitur imperfectior, vel corpus alterius læditur aut imperfectius redditur, & ne ſic quidem in omni ſua latitudine conſiderantur, ſed reſtringuntur ad damna vi legum civilium reſarcienda & ad pœnas delictorum, quibus lege civili pœna decernitur. Quantum vero valeat hæc reſtrictio, intelligetur ſuo loco, ubi legum civilium theoriam naturalem trademus, hactenus non ſatis expenſam. Leges civiles non curant minima: aſt leges naturæ minimorum quorumvis rationem habent. Cavendum adeo, ne modulo juris civilis jus naturæ metiri velimus.

§. 707.

Specialius explicatur.

Quoniam quæ animam aut ſtatum ejus imperfectiorem faciunt, mala animi ſunt; quæ corpus & ejus ſtatum imperfectiorem faciunt, mala corporis; quæ denique ſtatum externum imperfectiorem faciunt, mala fortunæ ſunt (§. 567 *Pſychol. empir.*); doloſa autem actio ad imperfectionem agentis vel alterius, aut ſtatus, ſive externi ſive interni, agentis aut alterius tendit (§. 706); *ex actione doloſa vel quoad agentem vel quoad alium ſequitur malum aliquod animi, vel corporis, vel fortunæ.*

Quænam ſint mala animi, quænam corporis, quænam fortunæ, ſuo conſtabit loco. Ut vero amplitudo actionis doloſæ, qualis in jure naturæ ſpectatur, appareat, unum alterumque exemplum in medium afferre lubet. Si ſciens ac volens alterum in errorem ſeducis, cum error ſit malum animi, doloſe agis. Si ſciens ac volens ſcientiam acquirere negligis, adeoque in ignorantia rerum tibi ſcitu neceſſariarum vel utilium verſaris, cum ignorantia ſit malum animi, doloſe agis. Si ſciens ac volens alterum vulneras, cum vulnus malum corporis ſit; doloſe agis. Si ſciens ac volens comedis cibum ſanitati noxium, voluptatem ex eo percipiendam præferens ſanitati, quoniam ſanitas bonum corporis, adeoque ejus privatio malum corporis eſt, doloſe agis. Si ſciens ac volens famæ alterius detrahis, cum fama ad fortunæ bona, adeoque macula eidem inuſta ad mala fortunæ pertineat, doloſe agis. Si ſciens ac volens ea facis, quæ famæ tuæ maculam inurunt, doloſe agis. Si ſciens ac volens inimicitias alteri conflare ſtudes, cum inimicitia ſit in numero malorum fortunæ, doloſe agis. Si ea facia, quibus amicorum & patronorum animus a te alienatur, doloſe agis. Si ſciens ac volens perdis rem alterius, cum opes ad bona fortunæ referendæ ſint, doloſe agis. Si denique ſciens ac volens paupertatem incurris; cum paupertas fortunæ malum ſit, doloſe agis. Vides adeo quam late pateat dolus tum in temetipſum tum in alios commiſſus. Comprehenduntur hæc omnia notione doli hactenus explicati, nec ulla ſuadet ratio ut in Jure naturæ notio fiat reſtrictior, etſi in civili non deſint rationes ſuo loco explanandæ, ob quas ea reſtringitur.

§. 708.

§. 708.

Imputatio doli.

Dolus agenti imputatur. Cum dolus conſiſtat in defectu rectitudinis actionis quoad voluntatem (§. 701), omnis autem defectus rectitudinis actionis vincibilis culpa ſit in genere ſic dicta (§. 696); dolus culpæ quædam ſpecies eſt. Quoniam itaque culpa in genere ſic dicta agenti imputatur (§. 700); dolus agenti imputatur.

Notandum eſt, agi hic de imputatione doli qua talis, ita ut actio etiam imputetur quoad dolum, hoc eſt, quatenus quis ſciens & volens commiſit vel omiſit actionem, unde malum quoddam emergit, nempe quia voluit hoc ipſum malum idemque intendit. Ne quis exiſtimet, definitionem culpæ in genere ſic dictæ perperam ad dolum applicari, cum ex hujus definitione exulet, defectum rectitudinis eſſe vincibilem; tenendum eſt, animam in volendo & nolendo eſſe liberam (§. 942 *Pſychol. empir.*), adeoque omnem defectum voluntatis evitari poſſe (§. 941 *Pſychol. empir.*), conſequenter vincibilem eſſe (§. 692). Superfluum adeo erat, in definitione doli addere, quod defectus rectitudinis, in quo is conſiſtit, ſit vincibilis.

§. 709.

Gradus imputationis doli.

Si quis deliberato animo dolum committit; magis is imputatur, quam ſi indeliberato ſit animo. Etenim actio deliberata magis imputatur, quam indeliberata (§. 607), conſequenter etiam actio doloſa magis imputanda venit, ſi deliberata fuerit, quam ſi fuerit indeliberata. Enimvero dolus ab eo committitur, qui doloſe agit (§. 702), & doloſe agenti imputatur dolus (§. 708). Quamobrem dolus animo deliberato commiſſus agenti magis imputatur, quam ubi indeliberato committitur animo.

E. gr. Si maritus uxori miſcet venenum animo deliberato, magis hoc ipſi imputatur, quam ſi cum ea altercatus eandem occidit, nulla prævia conſultatione. Dantur adeo gradus etiam doli, ita ut actio una ſit magis doloſa quam altera. Et quoniam conſtat, actionem unam magis deliberatam eſſe altera; ipſius doli deliberati dantur etiam gradus. Ad gradus vero doli in imputatione actionum animum advertendum eſſe, nemo in dubium revocare valet.

§. 710.

Gradus alii.

Si malum, quod ex actione doloſa reſultat, directe intenditur; dolus magis imputatur, quam ſi indirecte intenditur. Etenim directa intentio magis imputatur quam indirecta (§. 626). Quare etiam intentio directa mali ex actione doloſa reſultantis magis imputatur, quam indirecta ejusdem mali intentio. Quoniam itaque etiam dolus, qui actionem doloſe agentis inficit, imputatur (§. 708); quin magis imputari debeat, ſi malum, quod ex actione doloſa reſultat, directe intenditur, quam ſi idem indirecte intenditur; extra dubitationis aleam poſitum eſt.

Si quis alterum, quem occidit, interficere intendit; directa homicidii intentio eſt: ſi vero vulnus eidem infligere vult, & eidem vulnus infligit lethale; cædem alterius nonniſi indirecte intendit (§. 621). Major utique dolus ejus eſt, qui animo occidendi alterum aggreditur, quam qui eundem vulnerare vult, attamen novit, quod eadem facilitate vulnus infligere poſſit lethale, qua non lethale. Dantur adeo etiam doli gradus, qui pendent ab intentione doloſe agentis, quatenus ea directa fuerit vel indirecta. Quoniam vero dolus quoque magis imputatur, ſi deliberato, quam ſi indeliberato ſit animo (§. 709); ipſa etiam directa intentio gradus in dolo parit, prouti vel deliberata fuerit vel indeliberata prorſus, & prouti vel magis vel minus deliberata fuerit. Vides adeo, quam multa perpendenda ſint, ne in imputanda actione doloſa judicium præcipites.

§. 711.

Dolus quinam dicatur bonus, quinam malus.

Simulatio voluntatis, finis cujusdam non illiciti gratia facta, dicitur a veteribus *Dolus bonus*. Et in oppoſitione ad dolum bonum is, de quo hactenus diximus, & qui ſimpliciter Dolus appellari ſolet; *Dolus malus* nuncupatur.

De ſimulatione agemus in parte ſecunda. Non igitur opus eſt, ut hic in eam inquiramus, ubi obiter tantum ejus facimus mentionem. Veteres etiam diſtiſe dolum bonum auctor eſt *Ulpianus* l. 1. ff. *de dolo malo*, & hanc reddit rationem, cur prætor in edicto de dolo non fuerit contentus dicere dolum, ſed adjecerit malum. De dolo bono intelligendus eſt *Florus* lib. 1. c. 3, quando Horatium ait, ad virtutem addidiſſe dolum. Habes exemplum in Medico, qui ægrotum decipit medicamenta ſumere recuſantem, dum ſimulat ſe eidem nullum propinare velle, medicamentum vero miſcet juſculo vel potui. Hac enim ſimulatione intenditur reſtitutio ſanitatis, & propter eam tanquam finem agit Medicus. Finis autem hic utique licitus. Simile exemplum eſt in viatore, qui, ut vim prædonum & latronum elabatur, ſe ſimulat pauperem. Etenim ſua conſervare & damna, quæ imminent, avertere, finis minime illicitus eſt. Non hic diſputamus de moralitate actionis. Suo enim loco diſquiremus, num aliqua ſimulatio ſit licita, probe conſcii, non ſtatim finem licitum reddere ipſam quoque actionem licitam. Quamobrem ne moralitas actionum non ſatis expenſa animum eorum perplexum reddat, qui non ex notionibus diſtinctis, ſed confuſis, quas vocabulis jungunt, judicare ſolent; ad exemplum provoco Solomonis, ipſa Scripturæ auctoritate comprobatum 3. *Reg. III.* Meretricibus enim de infante vivo invicem litigantibus, gladium afferri jubet, & veritatis eruendæ gratia ſimulat ſe eum dividere velle, & unicuique litigantium dimidiam partem eſſe tradendam. Cum enim, quæ mater non erat, in diviſionem conſentiret, quæ autem erat mater, miſericordia tacta, infantem dividi nollet, ſed alteri integrum tradi mallet; hac ſimulatione feliciter detexit, cujusnam eſſet infans. Ut veritas eruatur a judice, quando litigantibus jus dicere debet; finis utique non illicitus eſt. Simulat vero ejus gratia Solomon, ſe velle, quod nolebat. Quamobrem hæc voluntatis ſimulatio erat dolus bonus. Solomonem imitatus eſt *Carolus M.* cujus exemplo poſt alios, quos laudat, dolum bonum illuſtrat *Schardius* in Lexico Juridico. Is cum intellexiſſet, patrem & filium accuſatos de maleficio nolle aliquid, etiam adhibitis quæſtionibus, confiteri; probato quod alter eorum vere homicidium perpetraverat; juſſit ambos ſuſpendi. Ideo pater, cum jam ad ſupplicium ducti, videns nullam redemtionis ſpem, delictum faſſus eſt, & ita filium liberavit. Ecce tibi ſimulationem voluntatis eo fine factam, ut innocens abſolveretur & homicidii reus pro merito puniretur: quem finem nemo dixerit illicitum. Commiſit adeo *Carolus M.* dolum bonum, quem pulchrum vocat *Andreas Siculus* apud *Schardium*. In oppoſitione ad dolum bonum is, qui malus dicitur, definiendus videtur ſimulatio voluntatis finis cujusdam illiciti gratia facta. Et ita viſum fuit *Servio* JCto Romano, notante *Ulpiano* l. 1. ff. de dolo malo, qui ad eundem diſertis verbis ſimulationem requirit, contradicente *Labeone*, qui dolum malum etiam abſque ſimulatione committi poſſe affirmat: cujus ſententiam probat *Ulpianus*, nec improbat uſus fori. Etiam nos exemplo *Labeonis* a dolo malo removimus ſimulationem. Quemadmodum vero hoc ipſo *Labeo* notionem doli mali ampliavit, nec præter neceſſitatem reſtrinxit, ut uſui fori accommodatior fieret; ita nos obtinuimus, ut doli mali notio omnem conſequeretur amplitudinem, quam in philoſophia practica habere debet, magis ad rem, quam vocabuli ſignificatum vulgarem non ſatis determinatum, attenti. Et ne ambiguitas loquendi in philoſophiam admittatur, ab appellatione doli boni in poſterum prorſus abſtinemus, præſertim cum nullius ſit utilitatis, quia remota a dolo ſimulatione, dolus malus & bonus nihil amplius inter ſe commune habent, unde communia ſequerentur prædicata ex eodem demonſtranda. Lubuit tamen hæc prolixius annotare, ne quid prætermiſiſſe vel temere immutaſſe videri poſſimus. Ceterum cum doli boni appellatione non ſimus uſuri; ſimpliciter dolum ſemper appellare licebit, ubi doli mali mentio fieri debet.

§. 712.

Quod dolus committatur ex proposito.

Dolus omnis committitur ex propoſito. Actio enim doloſa committitur a ſciente ac volente (§. 705). Quamobrem cum dolus committatur ab eo, qui

qui doloſe agit (§. 702); qui dolum committit, malum, quod ex actione doloſa conſequitur (§. 707), & novit & vult, adeoque doloſe agere decernit (§. 497 *part. I. Theol. nat.*). Et quia actu agit, voluntatem quoque ad executionem decreti determinat (§. 635). Quamobrem cum actus voluntatis, quo executio decreti determinatur, propoſitum ſit (§. 503 *part. I. Theol. nat.*); dolus omnis committitur ex propoſito.

Si maritus venenum miſcet uxori eam e medio ſublaturus, novit veneno eam necari & necem ejus vult. Quamprimum adeo venenum ipſi propinare vult, non amplius hæſitans, utrum id potius facere, quam omittere debeat; necem ejus decernit. Et dum vult craſtina luce eidem propinare venenum, decretum ſuum executurus; ſibi hoc proponit. Quamobrem dum hoc facit, ex propoſito agit. Hic ergo dolus committitur ex propoſito. Studio elegimus exemplum, in quo ſinguli voluntatis actus a ſe invicem diſcernendi, interjectis moris a ſe invicem ſeparantur, ut facilius agnoſcantur. Nemo autem non videt, nihil quoad hoſce actus immutari, etiamſi immediate ſe invicem excipiant, nullis interjectis morulis. Imo adeſſe adhuc eoſdem, etiamſi omnes tantillo temporis ſpatio abſolvantur, ut ſigillatim eos a nobis percipi impoſſibile ſit, quemadmodum etiam in aliis actionibus ex habitu profluentibus obſervatur, veluti ſi quis inſtrumentum muſicum pulſat vel ad artis regulas ſaltat. Non ignoro, diſtingui inter dolum ex propoſito & dolum ex re, ita ut dolus ex propoſito ſupponat intentionem doloſe agendi, veluti in exemplo, quod modo dedimus; dolus vero ex re eandem excludat, veluti ſi quis ignorans vendit gemmam adulterinam pro vera. Unde Conſultiſſimus *Freiesleben* in notis ad *Lauterbachium* n. 1283: Dolus ex re, inquit, proprie tunc dicitur, ſi in altero nulla intentio fraudandi adſuerit, dum ipſe qualitatem rei ignoravit, n. 1284 definitionem hanc illuſtrans exemplo *Strykiano* de gemma adulterina pro vera vendita. Juxta notiones generales, quibus in Philoſophia practica univerſali utendum, dolus ex propoſito & ex re ita diſtingui debebat, quod illum committens, malum, quod ex actione ſua conſequitur, intendat ſive directa ſive indirecta intentione; hic vero committatur ab eo, qui idem ignorans non intendit. Evidens omnino eſt, dolum ex re, qui dicitur, nullum arguere voluntatis defectum. Quamobrem actionem, dum committitur, non poſſe dici doloſam (§. 702). Videtur adeo illa doli diſtinctio rejicienda. Enimvero ſi rem intimius perſpicias, non prorſus nullam eſſe deprehendes: quod ut dilucidius conſtet, differentiam utriusque doli notionibus generalibus conſentientem exponere viſum eſt.

§. 713.

Differentia doli ex propoſito & doli ex re.

Dolus ex propoſito dicitur, quo malum, quod ex actione ſua reſultat, intendit agens ſive directe ſive indirecte. *Ex re* autem *dolus* vocatur, quo malum ex actione ſua reſultans equidem non intendit agens, ubi vero idem ex poſtfacto cognoſcit, eum, in quem redundavit, id ferre vult.

Differentia manifeſta eſt in exemplis, quæ modo dedimus (*not.* §. 712). Etenim maritus venenum miſcens uxori necem ejus intendit; gemmam vero adulterinam pro vera ignorans vendens non intendit ut defraudetur emtor: ubi vero ex poſtfacto cognoſcit, gemmam fuiſſe adulterinam, quam pro vera vendidit, nec pretium emtori reſtituere vult eandem recepturus; ut damnum ferat, vult. Deficere hic voluntatem a rectitudine, nemo negaverit, qui neminem eſſe lædendum confitetur, conſequenter ex poſtfacto enaſcitur dolus, qui ante aberat. Duæ ſunt actiones diverſæ, quarum altera doloſa non eſt, altera vero doloſa eſt. Nimirum in exemplo dato venditio gemmæ adulterinæ dolo omni caret; aſt omiſſio reſtitutionis pretii & receptionis gemmæ dolo manifeſto laborat. Dolum enim in actionibus quoque privativis ſeu factis omiſſionis locum habere, ex ipſa notione doli patet, vi cujus non minus dolus eſt defectus rectitudinis quoad noluntatem, quam quoad voluntatem (§. 701).

§. 714.

Digitized by Google

§. 714.

Dolus ex re committitur ex propoſito.

Dolus ex re committitur ex propoſito. Etenim dolus ex re committitur, ubi malum ex actione tua reſultans equidem non intendis, ubi tamen idem ex poſtfacto cognoſcis, eum, in quem redundavit, id ferre vis (§. 713). Omittis igitur ſciens ac volens eas actiones, quibus alter ab eodem liberetur, aut in eum ſtatum reſtituatur, quo erat, antequam ageres. Quamobrem porro eodem modo patet, quod ex propoſito dolus committatur non agendo, quemadmodum ante oſtendimus, dolum malum agendo ex propoſito committi (§. 712).

Vides itaque diſtinctionem doli ex propoſito & ex re non contrariam eſſe propoſitioni ante demonſtratæ, quod dolus omnis fiat ex propoſito. Liquet porro, dolum ex re non opponi dolo ex propoſito, quatenus hic ex propoſito committitur ab agente, ille autem ex propoſito non committitur; ſed quatenus malum, quod ex actione conſequitur, primum ab agente non intendebatur, poſtea vero quaſi hujus actionis ratihabitione intenditur, etſi idem nunquam intendiſſet, ſi ab initio non in ignorantia verſatus fuiſſet. Sed demus adhuc aliud exemplum, quod differentiam & convenientiam doli ex propoſito & doli ex re declarat. Si quis falſam monetam ſciens ac volens alteri dat pro vera; dolum ex propoſito committit. Quodſi vero ignorans dat, dolum committit nullum. Aſt ubi certus eſt, ſe falſam dediſſe, nec eam cum vera commutare vult; ex propoſito dolum committit non faciendo, quod facere debebat, & factum hoc omiſſionis dolo rei laborat. Convenit adeo dolus ex propoſito & dolus ex re in eo, quod uterque ex propoſito fiat; ſed in eo differunt, quod in priori caſu propoſitum ſtatim ſit agenti, in poſteriori vero demum ex poſtfacto accedat. Patet itaque in philoſophia practica dolum ex propoſito & dolum ex re a ſe invicem diſtingui non inutiliter, etſi uterque ſit ex propoſito. Etenim ille majorem malitiam arguit in agente, quam hic in omittente. Quando enim quis damnum e. g. emtori gemmæ adulterinæ inferre minime intendit, cum putaret eſſe veram, eandem recepturus & pretium reſtituturus ſibi falſo perſuadet, quaſi de eo jam ſit quæſtio, utrum ipſe potius quam alter damnum incurrere debeat. In caſu adeo colliſionis damni proprii & alieni exceptionem in favorem ſui eſſe faciendam arbitratur, confiſus illo pervulgato: *Charitas ordinata incipit a ſe ipſo*. Tanto vero facilius in hanc adducitur perſuaſionem, ſi adſint rationes aliæ idem ſuadentes, veluti ſi ipſe gemmam adulterinam acceperit pro vera. In imputatione adeo morali dolum ex propoſito & dolum ex re committentes non eodem habendi ſunt loco. Quodſi dicas dolum ex re perperam ita vocari, cum non minus committatur ex propoſito, quam qui dolus ex propoſito appellatur; tenendum eſt, philoſophum parum ſollicitum eſſe, utrum appellatio ſit conveniens, necne, modo ſit uſu recepta. Non hæret in verbis, qui veritatem rerum ſcrutatur.

§. 715.

Differentia doli manifeſti & non manifeſti.

Dolus clandeſtinus ſeu *non manifeſtus* dicitur, qui committitur a ſimulante, ſeu actione ſimulata. *Manifeſtus* appellatur, qui a non ſimulante committitur.

E. gr. Si qui animum habet occidendi alterum, blandis eum compellat verbis, & animum amicum ſimulat, ut tanto certius vulnus lethale eidem infligere poſſit; dum nihil tale cogitantem e medio tollit, non manifeſtum ſeu clandeſtinum dolum committit. Enimvero qui aperta vi aggreditur alterum, & verbis atque factis animum occidendi prodens, eum interficit; ejus manifeſtus eſt dolus. Nemo non in caſu priori dolum clandeſtinum magis imputat, quam in poſteriori manifeſtum, ut adeo in imputando dolo hujus differentiæ habenda ſit ratio. Inde eſt, quod dolum non manifeſtum magis deteſtemur, quam manifeſtum, & illum committenti magis, quam huic obnoxio indignemur. Rationes particularibus in caſibus clariores ſunt quam in genere. Lubet tamen in genere oſtendere, quod actio dolo non manifeſto commiſſa magis imputanda veniat, quam quæ dolo manifeſto editur.

§. 716.

§. 716.

Imputatio doli manifeſti, & non manifeſti.

Dolus non manifeſtus magis imputatur quam manifeſtus. Dolus enim manifeſtus committitur a non ſimulante, non manifeſtus a ſimulante (§. 715). Quoniam ratio aliqua ſimulationis adeſſe debet (§. 70 *Ontol.*), per quam intelligitur, cur dolum non manifeſtum committens aliud intendat, aliud ſimulet (§. 56 *Ontol.*); ſimulationis alia eſſe nequit ratio, quam ut certius conſequatur doloſe agens, quod intendit. Magis adeo vult iſtud malum, quod ex actione doloſa reſultat, quam qui dolo utitur manifeſto, conſequenter actio doloſa a voluntate ipſius magis dependet (§. 851 *Ontol.*), ac ideo magis libera eſt (§. 12). Præterea dolus non manifeſtus magis deliberato committitur animo quam manifeſtus (§. 601). Quamobrem cum actio agenti eo magis imputetur, quo magis libera fuerit (§. 606), & quo magis deliberata fuerit actio, eo magis imputetur (§ 607); actio ex dolo non manifeſto magis imputatur quam actio ex dolo manifeſto, conſequenter dolus non manifeſtus magis imputatur quam manifeſtus (§. 708).

Propoſitio præſens ex eo etiam demouſtrari poterat, quod dolus magis imputetur, qui dellberato committitur animo, quam qui indeliberato committitur (§. 709), conſequenter eo magis, quo magis fuerit deliberstus. Atque hoc eſt, quod in imputatione doli non manifeſti dentur gradus, prouti ſimulatio majorem vel minorem deliberationem requirit, conſequenter ipſum dolum efficit magis, vel minus deliberarum. Quodſi demonſtrationem præſentem ad exemplum modo propoſitum (*not.* §. 715) applicare volueris; quæ de ſimulatione diximus, quod & majorem libertatis abuſum & majorem deliberationem arguat, clariſſime perſpicies.

§. 717.

Culpa in ſpecie ſic dicta quænam dicatur.

Culpa in ſpecie dicitur defectus rectitudinis actionis quoad intellectum vincibilis. Et hanc in poſterum intelligemus, quando *culpam* ſimpliciter dicemus. De culpa vero in genere intelligenda ſunt, quando *omnem culpam* poſthac dicemus.

Nimirum culpa in ſpecie ſic dicta opponitur dolo, & culpa in genere ſub ſe dolum & culpam in ſpecie ſic dictam comprehendit, adeoque omnis culpa & dolum & culpam in ſpecie ſic dictam, tanquam genus ſuas ſpecies, continet: Quamobrem ſi culpam in genere dicamus omnem culpam, quemadmodum jam ſupra fecimus (§. 699); hoc ipſo tollitur omnis in loquendo ambiguitas, etſi nomen generis imponatur etiam ſpeciei, ut adeo non opus ſit in terminis receptis quicquam immutari: id quod temere fieri non debere conſtat (§. 147 *Diſc. prælim.*).

§. 718.

Actio culpoſa quænam.

Actio culpoſa dicitur, quam agens culpa ſua committit, ſive ea poſitiva fuerit, ſive privativa. Unde & *Factum* & *Non factum culpoſum* vocatur. *Culpam committere* dicitur, qui culpa ſua quid facit, vel non facit.

Ita actio culpoſa eſt Medici, qui medicamentum propinat ægro, quod ipſi nocet, propterea quod in Academiis tempus inutiliter trivit, quod arti ſalutari addiſcendæ impendere poterat & debebat. Et culpa parentum liberi fiunt improbi, qui ipſis educandis eam non adhibent curam, quam debebant. Nimirum in caſu priori Medicus peccat ex ignorantia vincibili, in poſteriori peccant parentes, quod liberos a ſe negligi non perpendant. Utrobique defectus actionis a rectitudine quoad intellectum deprehenditur: in neutro quoad voluntatem. Neque enim Medicus intendit nocumentum, quod affert ægrotanti medicamentum, ſanitatis quippe recuperandæ gratia præſcriptum: nec parentes intendunt improbitatem

Digitized by Google

tatem liberorum, quæ negligentiæ ipſorum debetur. Abeſt igitur tam à parentibus, quàm a Medico dolus: culpa autem non carent, cum apud Medicum ſtetiſſet, quo minus noceret ægro, ſi eam, quam poterat, operam arti ſalutari addiſcendæ impendiſſet; ſtetiſſet etiam apud parentes impedire, quo minus liberi evaderent improbi, ſiquidem eorum majorem curam habuiſſent. In caſu priori actio culpoſa poſitiva eſt; in poſteriori autem privativa (§. 24), quæ a nonnullis negativa dicitur, quamvis privativa convenientius vocetur.

§. 719.

Culpa commiſſionis, & omiſſionis.

Si actio culpoſa fuerit actio poſitiva, Culpa vocatur *Culpa commiſſionis*; ſi privativa, *Culpa omiſſionis*.

Ita ſi medicus imperitus medicamentum dat ægroto, quod nocet; culpa eſt commiſſionis: ſi vero parentum negligentia liberi fiunt improbi; culpa eſt omiſſionis. Nimirum diſtinctio factorum in facta commiſſionis, & omiſſionis ſupra tradita (§. 24) applicatur ad culpam.

§. 720.

Culpa in genere talis.

Quoniam etiam culpa in genere ſic dicta vel inhæret actioni privativæ, vel poſitivæ (§. 697); Culpa quoque in genere ſic dicta in priori caſu *Culpa omiſſionis*, in poſteriori *Culpa commiſſionis* appellatur.

Ita ſi horologiopæus conſtruit horologium defectu quodam laborans, quem evitare poterat, ſive id ſciens volensque faciat, ſive ex negligentia; culpa commiſſionis eſt, cum ſit actio poſitiva defectu quodam laborans. Enimvero ſi dives eleemoſynam denegat egeno, cum hic actio privativa, nempe non datio eleemoſynæ, defectu rectitudinis laboret; culpa omiſſionis eſt.

§. 721.

Dolus commiſſionis, & omiſſionis.

Similiter *Dolus commiſſionis* eſt, ſi actio doloſa fuerit poſitiva; *Dolus* autem *omiſſionis*, ſi actio doloſa ſit privativa.

Ita, alterum ſi quis ſciens volensque interficit, dolus commiſſionis eſt; ſi quis vero alteri aquis ſubmergendo & auxilium ejus imploranti opem ferre non vult, ut ſubmergatur; dolus omiſſionis eſt. Nimirum quia culpa in genere vel eſt culpa commiſſionis, vel omiſſionis (§. 720), dolus vero & culpa in ſpecie ſic dicta ſub culpa in genere tanquam ſpecies continentur; dolus commiſſionis & culpa commiſſionis in ſpecie ſic dicta ſunt ſpecies culpæ commiſſionis in genere ſic dictæ, & dolus omiſſionis atque culpa omiſſionis in ſpecie ſic dicta ſunt ſpecies culpæ omiſſionis in genere ſic dictæ.

§. 722.

Imputatio culpæ in ſpecie ſic dictæ.

Culpa in ſpecie ſic dicta agenti imputatur. Etenim culpa in ſpecie ſic dicta eſt defectus rectitudinis actionis quoad intellectum vincibilis (§. 717). Verum enimvero defectus unusquisque rectitudinis actionis cujuscunque vincibilis agenti imputatur (§. 693). Ergo etiam culpa in ſpecie ſic dicta agenti imputatur.

Oſtenditur etiam hoc modo. Culpa in ſpecie ſic dicta conſiſtit in defectu rectitudinis actionis quoad intellectum vincibili (§. 717), conſequenter cum culpa in genere ſit defectus rectitudinis actionis vincibilis (§. 696); culpa in ſpecie ſic dicta culpæ in genere ſpecies quædam eſt (§. 241 *Ontol.*): Enimvero culpa in genere ſic dicta agenti imputatur (§. 700). Ergo etiam culpa in ſpecie ſic dicta agenti imputanda venit (§. 346 *Log.*).

Nemo non videt, imputari non minus culpam omiſſionis quam commiſſionis, cum imputationi locus ſit non minus in actionibus privativis quam poſitivis (§. 527), ſeu non minus in factis omiſſionis quam commiſſionis (§. 24). Ita non minus imputatur parentibus,

bus, quod eorum negligentia liberi evaſerint improbi; quam Medico imperito, quod medicamento parum conveniente nocuerit ægro. Quoniam propter imputationem culpa hic conſideratur, quemadmodum & dolus; in eam accuratius inquirendum, ne in ea imputanda aberremus.

§. 723.

Qualis ſit actio culpoſa.

Actio culpoſa mala eſt. Etenim actio culpoſa ex culpa proficiſcitur (§. 718). Quamobrem cum culpoſa actio a rectitudine deficiat quoad intellectum (§. 717), ad actionem vero rectam requiratur ex parte intellectus notio actionis ſufficienter determinata & judicium verum de actionis bonitate & malitia (§. 80), quarum illam ad hanc requiri conſtat (§. 506 *Log.*); actio culpoſa ſupponit judicium falſum de bonitate & malitia actionis, conſequenter qui eam committit, bonam eſſe judicat, cum ſit mala, & contra (§. 507 *Log.*), adeoque bonam omittit, malam committit (§. 894 *Pſychol. empir.*). Eſt igitur mala culpoſa actio.

E. gr. Si Medicus imperitus medicamentum, quod nocet, ægrotanti præſcribit; aut id facit ex ignorantia, quod ſibi perſuadeat huic morbo, quo ægrotus laborat, convenire hoc medicamentum; aut quod morbum, quo laborat, non agnoſcit. Utroque in caſu falſum eſt judicium de medicamento præſcribendo. Et eodem ſeducitur ad idem præſcribendum. Malam autem eſſe actionem Medici, qui cum opem ferre debeat ægroto, medicamentum præſcribit, quod nocet; nemo non fatetur, & notioni mali convenienter fateri tenetur (§. 565 *Pſychol. empir.*). Similiter ſi quis venenum miſcet juſculo, ſaccharum eſſe putans; ejus judicium falſum eſt, quod alteri non noceat, ſi juſculum hoc ipſi dederit, adeoque actionem malam pro non mala, imo pro bona habet. Quam adeo ex culpa committit, mala actio eſt. Evidentius multo hæc patebunt ex iis, quæ de cauſis deficientis rectitudinis ex parte intellectus mox demonſtraturi ſumus. Neque enim jam per omnes caſus ire licet, ut appareat, defectum judicii veri de actione vel committenda vel omittenda actionem efficere malam.

§. 724.

An culpa etiam peccetur in ſeipſum.

Culpa locum habet tum in actionibus, quæ agentem ipſum reſpiciunt, tum in iis, quæ reſpiciunt alios, ſeu *Culpa committitur ab agente non modo adverſus alios, verum etiam adverſus ſeipſum*. Culpa enim eſt defectus actionis cujuscunque a rectitudine quoad intellectum (§. 717), omnisque actio culpoſa mala eſt (§. 723). Quoniam igitur non minus actio deficere poteſt quoad intellectum, quæ nobis mala eſt, quam quæ mala eſt alteri (§. 62); evidens eſt, culpæ locum eſſe non modo in illis actionibus, quæ reſpiciunt alios, ſeu aliis malum quoddam afferunt, ſive poſitivum, ſive privativum, verum etiam in hiſce, quæ nosmetipſos reſpiciunt, ſeu nos mali cujusdam participes reddunt, aut bono quodam carere jubent. Unde cum culpa committatur ab eo, qui culpa ſua quid facit, vel non facit (§. 718); culpa non modo adverſus alios, verum etiam adverſus ſeipſum committitur.

Quæ ſupra (*not.* §. 704) de dolo annotavimus, ea etiam ad culpam trahenda. Nimirum Juris civilis antiſtites ſcopo ſuo convenienter culpam non conſiderant niſi in iis actionibus, quibus læditur alter, nec ſuum ipſi tribuitur, quatenus ſcilicet alteri vel damnum datur, quod reparandum eſt, vel in alterum delinquitur, ut pœna vindicandum ſit delictum. In Jure autem naturali culpæ tribuenda eſt omnis amplitudo, quam habere poteſt, adeoque in omnibus ſpectanda eſt actionibus, in quibus locum habet. Sed cum de culpa actionibus, quæ reſpiciunt alios, inhærente nemo dubitet, ejusque exempla jam dederimus (*not.* §. 723);

agedum, exemplum demus culpæ, qua actiones agentem reſpicientes inficiuntur. Si quis res pretioſas, quas habet, non bene cuſtodit, ut eæ ipſi ſurripiantur; culpa ſpectatur in actione, quæ ipſum agentem reſpicit. Damnum enim, quod inde emergit, ipſe ſentit; non alius. Unde de furto conquerenti reſpondetur, quod ſibimetipſi imputare debeat ſuam in cuſtodiendo negligentiam.

§. 725.

Effectus actionis culpoſæ. *Actio culpoſa tendit ad imperfectionem agentis, vel alterius, aut ad imperfectionem ſtatus, ſive externi ſive interni, vel agentis vel alterius.* Eſt enim actio culpoſa mala (§. 723). Quoniam itaque malum eſt, quod imperfectiorem reddit hominem, ſtatumque ejusdem, ſive internum ſive externum (§. 565 *Pſychol. empir.*), & culpa non minus locum habet in actionibus, quæ agentem reſpiciunt, quam quæ ad alios referuntur (§. 724); actione culpoſa vel ipſe agens, vel alius quidam, aut illius vel hujus ſtatus, ſive externus ſive internus, imperfectior redditur, adeoque actio culpoſa tendit ad imperfectionem agentis vel alterius, aut ad imperfectionem ſtatus, ſive externi ſive interni, vel agentis vel alterius.

Vides adeo actionem culpoſam multo latius patere, quam in Jure civili. In hoc actiones culpoſæ plerumque non conſiderantur, niſi quatenus ſtatus externus alterius efficitur imperfectior, vel corpus alterius læditur aut imperfectius efficitur, & ne ſic quidem in omni ſua latitudine ſpectantur, ſed ad damna per leges civiles reparanda, aut ad pœnas vi illarum ſubeundas reſtringuntur: quemadmodum & de dolo annotavimus (*not.* §. 706). Major eſt rigor legum naturalium, cui omnes omnino ſubjacent hominum actiones, quam civilium, quæ multa impune fieri permittunt, etſi ea non probent.

§. 726.

Specialius explicatur. Quoniam quæ animam aut ſtatum ejus imperfectiorem faciunt, malæ animi ſunt; quæ corpus & ejus ſtatum imperfectioni obnoxium reddunt, mala corporis; quæ denique ſtatum externum imperfectiorem faciunt, mala fortunæ (§. 567 *Pſychol. empir.*); actio autem culpoſa ad imperfectionem agentis vel alterius, aut ad imperfectionem ſtatus, ſive externi ſive interni, vel agentis vel alterius, tendit (§. 725); *ex actione culpoſa vel quoad agentem vel quoad alium ſequitur aliquod malum animi, vel corporis, vel fortunæ.*

Ut facilius intelligatur quam late pateat culpa; aliquot exempla in medium proferre lubet. Si quis docentium numero ſe ingerit, qui diſcentium ſubſellia occupare debebat, & incautorum animos falſis opinionibus imperitus imbuit; cum ea in malorum animi cenſum veniant, culpoſe agit, ubi ſibi videtur, qui non eſt. Si alienum rebus tuis bene conſulentium conſilium improbans, ſolidam veritatis cognitionem acquirere negligis; cum malum animi ſit, vacuum ab ea poſſidere animum; culpoſe agis. Si imperitus Medicus medicamentis parum convenientibus febrim curat, ſed ægrotum in phthiſin vel hydropem conjicit; cum morbi mala corporis ſint, culpoſe agit. Si quis curioſitate allectus lignum findere vult & pedem vulnerat; cum vulnus malum corporis ſit, culpoſe agit. Si pretium juſto majus pro merce ſolvis imprudens, cum verum doceri ab aliis facile potuiſſes; quoniam jactura nummorum ad fortunæ mala pertinet, culpoſe agis. Ex eadem ratione patet, tutorem culpoſe agere, ſi in adminiſtrandis bonis pupilli ſuam deſiderari patitur diligentiam.

§. 727.

Quale ſit judicium de actione culpoſa *Si culpa committitur; aut judicium de actionis culpoſæ malitia prorſus deficit, aut falſum eſt.* Culpa enim conſiſtit in defectu rectitudinis actionis quoad intellectum (§. 717). Quare cum actio culpoſa mala ſit (§. 723),

& ubi

& ubi in actione ex parte intellectus nihil deſiderari, adeoque defectus rectitudinis nullus adeſſe debet (§. 81), judicium verum requiratur de actionis malitia (§. 72); ſi culpa committitur; aut judicium de actionis culpoſæ malitia prorſus deficit, aut falſum eſt.

eam committentis.

Si Medicus imperitus ægroto præſcribit medicamentum, quod nocet; per errorem judicat, ipſum fore ſalutare, aut ſaltem ſibi perſuadet, non nociturum. Falſum adeo eſt de actione culpoſa, quam committit præſcribendo, judicium. Si famulus vitrum pretioſum, quod in menſa collocare voluerat, eidem ita impingit, ut frangatur; de vitro frangendo ne cogitat quidem. Ceſſat igitur eo in caſu judicium de malitia actionis. Unde Medicus imperitus factum excuſaturus ait, quod non putarit, hunc fore medicamenti effectum, cum eo jam alias ſæpe fuerit uſus; famulus vero idem facturus negat ſe cogitaſſe, vitrum ab ſe menſæ impactum iri.

§. 728.

Quando deficiat judicium de actionis malitia.

Judicium de actionis culpoſæ malitia deficit, ſi aut agens non habet actionis ſuæ notionem ſufficienter determinatam, aut deeſt ipſi principium, vi cujus judicare poterat iſtiusmodi actionem eſſe malam, ſeu malum iſtiusmodi ex ea reſultaturum, aut reſultare poſſe, aut neutrum obtinet. Nam ſi actionis ſuæ notionem ſufficienter determinatam minime habet; non omnes ipſi perſpectæ ſunt determinationes, quæ notionem ſubjecti ingrediuntur (§. 123 *Log.* & 122 *Ontol.*). Quamobrem cum ignoret, qualis revera ſit actio ſua, etſi norit, ex tali actione reſultare tale malum, conſequenter ipſi non deſit principium, vi cujus verum de actione ſua judicium ferre poterat; idem tamen ut ferat, deficiente notione actionis ſatis determinata, fieri omnino nequit (§. 1224 *Log.*): imo ipſi naturæ animæ repugnat, ut locus ſit judicio (§. 361 *Pſychol. empir.*). Deficit adeo de actionis culpoſæ malitia judicium, ſi agens non habet actionis ſuæ notionem ſufficienter determinatam. *Quod erat primum.*

Quodſi agenti fuerit notio actionis ſufficienter determinata; patet *per demonſtrata* eum noſſe, talem eſſe actionem ſuam. Quodſi vero ipſi defuerit principium, vi cujus conſtat, ex tali actione tale reſultaturum, aut ſaltem reſultare poſſe malum; eodem, quo ante, modo patet, fieri minime poſſe, ut ex hac ſua actione tale malum reſultaturum, aut ſaltem reſultare poſſe judicet. Deficit itaque de actionis culpoſæ malitia judicium, ſi agenti deeſt principium, vi cujus judicare poterat, ex iſtiusmodi actione tale reſultaturum, aut ſaltem reſultare poſſe malum. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam deficere debet judicium de actionis culpoſæ malitia, ſi aut agens non habet actionis ſuæ notionem ſufficienter determinatam, aut deeſt ipſi principium, vi cujus judicare poterat, iſtiusmodi actionem eſſe malam *per demonſtrata*; nemo non per ſe videt, multo magis judicium iſtud deficere debere, ſi agens nec actionis ſuæ notionem ſufficienter determinatam, nec principium in promtu habet, vi cujus judicare poterat, actionem, cujus patrandæ occaſio offertur, eſſe malam. *Quod erat tertium.*

Digitized by Google

Judicium, quod adeſſe debebat, ut abeſſet culpa, quod vero tum abeſt, quando culpæ locus eſt; diſcurſivum eſt, hoc ſyllogiſmo explicabile:

Quodcunque factum tale eſt, ex eo ſequitur hoc malum.
Atqui hoc factum tale eſt.
Ergo ex hoc facto ſequitur hoc malum.

De concluſione non cogitas, ſi animum tuum non ſubeant præmiſſæ, vel ſi alterutra præmiſſarum animum tuum ſubire nequit. Etenim quemadmodum nonniſi ope præmiſſarum elicis concluſionem; ita nec eam inferre potes ex unica tantum præmiſſa. Minori reſpondet notio determinata actionis culpoſæ: major eſſe debet principium, quo actioni ita determinatæ vindicatur ſuum prædicatum. Qui adeo Logicam vel primis ſaltem labris deguſtavit, facile perſpicit, judicium de malitia actionis culpoſæ deficere, vel quod agens non habet notionem actionis ſufficienter determinatam, vel quod ipſi deeſt principium, vi cujus de eadem judicium verum ferre poterat, vel quod & notio iſta & hoc principium deeſt. Idem patet in exemplis. Si quis in hoſpitio pernoctatus, mane matulam ex feneſtra effundit, & lotio veſtem prætereuntis conſpergit, ignarus feneſtram patere in plateam, per quam primo ſtatim mane multi incedunt homines; defectu notionis determinatæ actionis non judicat, ſe matulam effundentem prætereuntis veſtem conſpergere poſſe. Aſt ubi famulus menſulæ unico fulcro in medio affixo inſiſtenti imponit duodecim diſcos ſtanneos prope alterum extremum, & menſula eorum pondere ſubito ſubverſa, franguntur vitra in eadem collocata; judicium, quod hoc fieri debeat, ceſſat, quod ignoret, ruere menſulam, ſi prope alteram partem tanto pondere gravetur, conſequenter deficit judicium ob defectum principii, vi cujus de damno ex actione ſua ſecuturo certior eſſe poterat.

§. 729.

Quando judicium culpoſe agentis falſum ſit.

Judicium culpoſe agentis falſum eſt, vel ſi notio actionis non fuerit ſufficienter, aut non rite determinata, vel ſi principium, quo in dijudicanda actione quoad malum inde reſultaturum utitur, fuerit falſum. Si notio actionis non fuerit ſufficienter determinata, determinationes quædam omittuntur, quæ adeſſe debebant, &, ſi non rite determinetur, quædam de eadem ſumuntur, quæ eidem non inſunt. Quamobrem falſum eſt actionem, cujus patrandæ occaſio offertur, eſſe talem, qualem ſumimus (§ 505 *Log.*), ſeu eam eſſe notionem actionis, quam ſupponimus. Etſi itaque nobis ſit principium, vi cujus conſtat, quid de tali actione, qualem ſumimus, ſit prædicandum; falſo tamen idem prædicatur de actione alia (§. 348 *Log.*), cujus patrandæ occaſio jam offertur. Patet itaque judicium culpoſe agentis eſſe falſum, ſi notio actionis non fuerit ſufficienter, vel non rite determinata. *Quod erat unum.*

Ex adverſo ſi in notione actionis nihil deſideratur, ſed falſum eſt principium, quod ad eam dijudicandam quoad malum inde reſultaturum adhibes; a vero equidem non aberras judicans, talem eſſe actionem, quæ agenti tibi ſeſe offert, attamen cum iſtiusmodi actionem malam non eſſe exiſtimes, nec, quam patrare debes, pro mala habes (§. 507 *Log.*). Atque ideo falſum eſt de actione culpoſe agentis judicium, ſi principio falſo utitur in ea dijudicanda quoad malum inde reſultaturum. *Quod erat alterum.*

Idem evidentiſſimum, ubi animum advertis ad ſyllogiſmum, quo judicium de actione patranda continetur, utrum ea mala ſit, an bona. Si actio culpoſa agnoſceretur, ſyllogiſmus hic foret:

Quod-

Digitized by Google

Quodcunque factum tale eſt, ex eo ſequitur malum B.
Atqui factum A tale eſt.
Ergo ex facto A ſequitur malum B.

Quodſi falſa eſſe debet concluſio, ea hæc eſſe debet: *Ex hoc facto A non ſequitur malum B.* Hæc concluſio non fluit ex iisdem præmiſſis. Quamobrem neceſſe eſt, ut vel utraque immutetur, ita argumentando:

Quodcunque factum tale non eſt, ex eo non ſequitur malum B.
Atqui factum A tale non eſt.
Ergo ex facto A non ſequitur malum B.

vel ut immutetur tantummodo major argumentando hoc modo:

Quodcunque factum tale eſt, ex eo non ſequitur malum B.
Atqui factum A tale eſt.
Ergo ex facto A non ſequitur malum B.

Ex hypotheſi veræ ſunt præmiſſæ ſyllogiſmi primi, ſcilicet quod factum A ſit tale & quod ex tali facto ſequatur malum B. Et ex his præmiſſis infertur concluſio per hypotheſin vera: Ex facto A ſequitur malum B. Quodſi ergo concluſio contraria falſa, ex facto A non ſequitur malum B, inferri debet; aut minor immutanda & in ejus gratiam quoque major, quemadmodum in ſyllogiſmo ſecundo, ita ut minor ſit: Factum A non eſt tale, aut major immutanda, minore ſalva, ita ut major ſit: Quodcunque factum tale eſt; ex eo non ſequitur B, quemadmodum fit in ſyllogiſmo tertio. Et ita in ſyllogiſmo ſecundo minor evadit falſa; in tertio autem major. Minor ſupponit notionem facti, utpote enuncians quale iſtud ſit; major autem eſt principium, quod de facto iſtiusmodi in genere pronunciat, quale ſit. Unde liquet, falſum eſſe judicium culpoſe agentis, ſi vel notio actionis non fuerit rite determinata, vel principium, quo in dijudicanda actione utitur quoad malum inde redundaturum, ſit falſum. Exempla idem confirmant. Si pharmacopola ex præſcripto Medici medicamentum compoſiturus per incuriam venenum eidem commiſcet, quod pro alio ingrediente habet, putans hoc in illo vaſe contineri, ex quo venenum depromit; majoris loco eſt formula a Medico præſcripta; minoris verum locum tuetur notio actionis propriæ. Unde ex hiſce præmiſſis infert concluſionem, medicamentum, a ſe rite compoſitum fuiſſe, ad præſcriptum ſcilicet Medici. Falſa eſt minor, quatenus notio actionis propriæ non rite determinata. Similiter ſi equum calcitroſum conſcenſurus obſervas, quæ obſervanda eſſe in auctore quodam legiſti, ut evites calcitrationis periculum, ubi te ab eodem liberum judicas, ſed dum aſcendis, equus calcitrando damnum pedi infert; judicium falſum eſt ob principium, quo in dijudicanda actione uteris, & culpoſa redditur actio, quatenus aliorum credulitati facile obnoxiam habes fidem.

§. 730.

Defectus intentionis mali in culpoſe agente.

Culpoſe agens non intendit malum, quod ex actione iſta conſequitur. Etenim ſi culpa committitur; aut judicium de actionis culpoſæ malitia prorſus deficit, aut falſum eſt (§. 727), conſequenter ex ea nullum ſequi malum agens opinatur (§. 505 *Log.*). Ignorat igitur, ex actione, quam committere vult, ſequi aliquod malum (§. 27). Si quid appetere debemus; idem ante cognoſcere debemus (§. 929 *Pſychol. empir.*). Culpoſe igitur agens, malum, quod ex actione culpoſa conſequitur, appetere, conſequenter velle nequit (§. 880 *Pſychol. empir.*), adeoque nec propter ipſum agere poteſt. Quamobrem cum agens intendat id, propter quod agit (§. 616); culpoſe agens, malum, quod ex actione ſua conſequitur, non intendit.

Ita Medicus imperitus non intendit damnum, quod medicamento ſuo infert corpori ægroti. Nec qui equum, quem calcitroſum novit, conſcendit, & ab eo percutitur, ut crus frangatur; cruris fractionem intendit. Similiter famulus vitrum pretioſum menſæ impingens non intendit fractionem vitri. Veritas propoſitionis in caſu quocunque particulari adeo manifeſta eſt; ut a nemine in dubium revocetur, nec revocari poſſit.

§. 731.

§. 731.

An culpoſe agens indirecte intendat malum.

Quoniam culpoſe agens prorſus non intendit malum, quod ex actione ſua reſultat (§. 730), quicquid vero intenditur, aut directe, aut indirecte intenditur (§. 621); *Culpoſe agens non tantum non intendit malum, quod ex actione ipſius reſultat, directe, verum etiam ne indirecte quidem.*

Qui indirecte intendit malum, quod ex actione ipſius reſultat; noſſe debet, non minus ipſum ex actione ſua conſequi poſſe, quam id, propter quod agit. Ita ſi quis alteri vulnus non lethale inferre intendit aliquo inſtrumento, quo lethale etiam infertur; novit utique fieri poſſe, ut eadem facilitate infligat lethale, quam non lethale vulnus. Enimvero culpoſe agens de malo ex actione ſua reſultaturo ne cogitat quidem (*not.* §. 727). Quamobrem etſi aliud directe intendat actione ſua; fieri tamen nequit, ut ipſum indirecte intendat. Exempla, ad quæ modo provocavimus (*not.* §. 730); ſatis aperte idipſum loquuntur. Imo ipſa culpæ notio hoc inſinuat. Etenim culpa eſt defectus rectitudinis quoad intellectum (§. 717), excluſo omni defectu ad voluntatem referendo, quippe qui ad dolum ſpectat (§. 701), culpæ in genere ſic dictæ alteram ſpeciem (§. 696). Quodſi ergo malum, quod ex actione conſequitur, ab agente indirecte intenditur; defectus rectitudinis actionis in dolo conſiſtit, non in culpa. Vides adeo, ex ipſa ſtatim notione culpæ inferri poſſe, quod culpoſe agens, malum, quod ex actione ſua reſultat, & cui culpa inhæret, neque directe neque indirecte intendat; ſed omnis abſit quoad ipſum agenti intentio.

§. 732.

A quonam actio culpoſa committatur.

Actio culpoſa committitur nec a ſciente, nec a volente. Si enim actio culpoſa committitur; aut judicium de ejus malitia prorſus deficit, aut falſum eſt (§. 727), conſequenter agens ignorat eam a rectitudine quoad intellectum deficere, conſequenter culpoſam eſſe (§. 717. 718). Actio igitur culpoſa non committitur a ſciente. *Quod erat unum.*

Enimvero nec agens intendit malum iſtud (§. 730), quod ex actione culpoſa conſequitur (§. 726), neque directe neque indirecte (§. 731), conſequenter eam, quatenus culpoſa, hoc eſt, mala eſt (§. 723), nullo modo vult (§. 616. 621). Patet igitur actionem culpoſam nec committi a volente. *Quod erat alterum.*

In hoc actio culpoſa differt a doloſa, quod illa committatur neque a ſciente, neque a volente; hæc autem a ſciente, & a volente. Ita Medicus imperitus non novit, medicamentum, quod præſcribit ægroto, nociturum, nec vult, ut eidem noceat, ſeu non eo fine præſcribit, ut ipſe damnum majus inferat ſanitati, vel prorſus inſidias ſtruat vitæ. Similiter, quem equus calcitroſus percutit, dum eum ſecure conſcendere arbitratur; is nec novit malum hoc ſibi eventurum, nec vult ut eveniat, quin potius ſibi perſuadet, nullum adeſſe periculum. Idem patet in exemplis ceteris, quæ in medium adduximus; & in aliis patet, quæ iu medium afferri poſſunt.

§. 733.

Quidnam nobis inevitabile.

Quicquid facultatum noſtrarum uſu impediri poteſt; illud nobis evitabile eſt: quod vero earundem uſu, quo minus fiat, impediri nequit; id evitabile nobis non eſt. Etenim cum anima libera ſit in volendo (§. 942 *Pſychol. empir.*); penes nos ſtat, utrum facultatibus noſtris uti velimus, necne. Quamobrem ſi earundem uſu impediri poteſt, quo minus quid fiat *per hypotheſin*; a libera noſtra voluntate dependet, ne fiat. Quoniam itaque id a nobis evitatur, quod non fit, & id evitari poteſt, quod ne fiat, a voluntate

Digitized by Google

noſtra libera dependet, quod utique per ſe patet; evidens eſt, illud nobis evitabile eſſe, quod uſu facultatum noſtrarum impediri poteſt, quo minus fiat. *Quod erat unum.*

Ex adverſo ſi uſu facultatum noſtrarum impediri nequit, quo minus quid fiat; nec a voluntate noſtra dependet, quo minus fiat. Fiet igitur, ſive velimus, ſive nolimus. Unde patet, id a nobis evitari non poſſe. Evitabile igitur nobis non eſt, quod quo minus fiat, facultatum noſtrarum uſu impediri nequit. *Quod erat alterum.*

Propoſitio hæc maximi momenti eſt, quemadmodum mox plenius conſtabit. Ceterum apparet, quam ſit neceſſe Pſychologiam perſpectam habere, ubi judicium minime fallax ferre volueris de eo, quidnam agenti evitabile ſit, quid inevitabile. In ea enim explicantur, quæ animæ ſint facultates, & quinam ſit earum uſus, & quatenus earundem uſus eidem conceſſus. Ex eo nimirum, quod animæ ſint hæ facultates, nondum inferri poteſt, quod omnis earundem unicuique conceſſus ſit uſus, quem habere poſſunt. Exemplo eſſe poteſt homo inter urſos educatus, cujus ſuperius fecimus mentionem (§. 220). Ceterum non ſufficit animum advertere ad facultates animæ earundemque uſum: verum etiam facultas locomotiva perpendenda venit, ut conſtet, quinam & quales motus organorum corporis agenti non denegentur, in quibus actiones externas conſiſtere conſtat (§. 567 *part. I. Theol. nat.*). Quodſi homini, cui ſunt facultates agendi, conceſſus quoque eſſet omnis earundem uſus, quem habere poſſunt; haud difficile foret de eo, quod evitabile ipſi eſt, judicium. Enimvero cum non omnis facultatum uſus a natura concedatur homini, ſed quamplurimi uſus demum acquirantur; difficile eſt judicium, præſertim ubi quæritur, utrum agenti imputandum ſit, necne, ſi quis uſus in ipſius non ſit poteſtate, ſeu eidem denegetur.

§. 734.

Non uſus & impotentiæ utendi differentia.

Per *Non uſum facultatum noſtrarum* intelligimus omiſſionem uſus earundem nobis conceſſi. Opponitur *Impotentiæ utendi*, quæ eſt independentia uſus a voluntate noſtra.

E. gr. Uſus ſenſuum omnibus conceſſus, quibus organa ſenſoria ſunt integra. Quodſi ergo quis rimam in vaſe, quod emit, non obſervat, quia idem non ſatis contemplatur; non uſui oculorum tribuendum, quod non obſervaverit. Enimvero homini inter urſos educato denegatur intellectus uſus (§. 220). Quamobrem quod eodem non utatur, impotentiæ utendi tribuendum, &, ubi non ratiocinatur, deficiens ratiocinatio non dicenda eſt non uſus intellectus, ſed impotentia utendi intellectu ad ratiocinandum. In doctrina de culpa non uſus facultatum noſtrarum ab impotentia utendi facultatibus probe diſcernendus, ne pro evitabili habeas, quod inevitabile. Spectamus hic tam uſum quam non uſum facultatum noſtrarum in concreto, non in abſtracto. Neque enim quæritur, quem uſum habere poſſint facultates noſtræ, ſed quemnam earundem facere poſſit agens, & quænam ſit ratio, cur eidem uſus earundem denegetur, ut conſtet, num impotentiam utendi evitare potuiſſet, modo voluiſſet.

§. 735.

Quando ignorantia ſit vincibilis.

Si uſu facultatum noſtrarum impedire potuiſſemus, quo minus ignorantia laboraremus; ignorantia vincibilis eſt. Etenim ſi uſu facultatum noſtrarum impedire potuiſſemus, quo minus ignorantia laboraremus; ignorantia a nobis evitari potuiſſet, modo voluiſſemus (§. 733). Enimvero vincibilis eſt ignorantia, quæ evitari poteſt, modo velimus (§. 28). Vincibilis ergo eſt ignorantia, ſi uſu facultatum noſtrarum impedire potuiſſemus, quo minus eadem laboraremus.

Ita vincibilis eſt ignorantia emtoris, qui neſcit, vas, quod emit, rimam habere, cum uſu oculorum eandem detegere potuiſſet, modo eam contemplari voluiſſet.

§. 736.

Digitized by Google

§. 736.

Unde-nam ſit.

Quoniam non uſus facultatum noſtrarum conſiſtit in omiſſione uſus earundem nobis conceſſi (§. 734); *ignorantia vincibilis non uſui facultatum noſtrarum, præſertim cognoſcendi, tribuenda* (§. 735).

Ita in exemplo, quod modo dedimus (*not.* §. 735), emtor ignorat, dari rimam in vaſe, quod emit, non uſu oculorum ſeu facultatis videndi.

§. 737.

Quando ignorantia invincibilis.

Si uſu facultatum noſtrarum impedire non poſſumus, vel non potuimus; quo minus ignorantia laboremus; ignorantia invincibilis eſt. Etenim ſi uſu facultatum noſtrarum impedire non poſſumus, quo minus ignorantia laboremus; ignorantia a nobis evitari nequit (§. 733). Enimvero invincibilis eſt ignorantia, quæ evitari nequit (§. 28). Erit adeo ignorantia invincibilis, ſi uſu facultatum noſtrarum impedire non poſſumus, quo minus eadem laboremus.

Ita in homine inter urſos educato, cum ipſi uſus intellectus minime concederetur, ignorantia Dei erat invincibilis.

§. 738.

Occaſio utendi deficiens cur ad impotentiam utendi referenda.

Si occaſio utendi facultatibus noſtris deficit; quod iis non utamur, ad impotentiam utendi referendum. Etenim ſi occaſio utendi facultatibus noſtris deficit; a voluntate noſtra minime dependet, ut iisdem utamur (§. 851 *Ontol.*). Quamobrem cum impotentia utendi in independentia uſus a voluntate noſtra conſiſtat (§. 734); quod facultatibus noſtris non utamur, deficiente iisdem utendi occaſione, ad impotentiam utendi utique referendum.

Nimirum duplex eſt ratio, cur facultatibus noſtris non utamur, ſi vel maxime vellemus. Alia intrinſeca, quando earundem uſus non conceditur, qui caſus omnium clariſſime conſpicitur in homine inter urſos educato (§. 220). Alia extrinſeca eſt, quando occaſio iisdem utendi deficit quacunque de cauſa, qui caſus eſt propoſitionis præſentis. Exemplum habes in eo, qui Matheſin non addiſcit, vel quia in ſcholis tam inferioribus, quam altioribus nemo eſt, qui eandem profitetur, vel quia tempus, quo in Academia ipſi commorari datur, vix ſufficit ad alia addiſcenda, quorum cognitione carere nequit.

§. 739.

Ignorātia invincibilis unde-nam ſit.

Ignorantia invincibilis impotentiæ utendi facultatibus noſtris, præſertim cognoſcendi, tribuenda. Etenim ſi uſu facultatum noſtrarum impedire non poſſumus, quo minus ignorantia laboremus; a voluntate noſtra minime dependet, ut eum ipſarum faciamus uſum, quo id impeditur, ſive quod is earundem uſus nobis non ſit conceſſus, ſive quod occaſio utendi deficiat, ſi vel maxime ſimpliciter non impoſſibile, ut eundem faceremus. Enimvero ſi uſu facultatum noſtrarum impedire non poſſumus, quo minus ignorantia laboremus; ignorantia invincibilis eſt (§. 737), & in independentia uſus facultatum noſtrarum a voluntate noſtra impotentia non utendi conſiſtit, ſive uſus ideo independens ſit a voluntate, quod nobis prorſus non ſit conceſſus, ſive utendi deficiat occaſio (§. 734. 738 *& hujus not.*). Patet itaque ignorantiam invincibilem impotentiæ facultatibus

noſtris

Digitized by Google

noſtris utendi eſſe tribuendam. Ex ipſa vero ignorantiæ notione liquet, quod potiſſimum tribuenda ſit impotentiæ utendi facultatibus cognoſcendi (§. 27).

Patet hiuc, quamvis ſubinde haud difficile ſit judicium, utrum ignorantia vincibilis ſit, necne; plerumque tamen id eſſe debere difficillimum, præſertim ubi de ignorautia aliorum quæſtio incidit. Supponit enim cognitionem accuratam & uſus facultatum, quateuus ageoti conceſſus eſt, & quateuus ipſi imputaudum, ſi non conceditur, & occaſionis deficientis iisdem utendi, ſi uſus non ſimpliciter eidem denegatur. Ecquis vero non videt, quautæ difficultates hic nobis objiciaotur, ubi agens ipſe quoad ſe in hæc ſingula inquirere debet? Et quis eſt, qui neſciat, ubi cum aliena iguoraotia uobis eſt ucgotium, difficultates ſingulas majores eſſe debere, cum, quæ iotuitive de nobia met ipſis cognoſcimus, ea oonniſi ex aliis, quæ tanquam coguita præſupponeuda, ratiociuando demum colligenda veniant?

§. 740.

Error quando vincibilis.

Si uſu facultatum noſtrarum veritatem cognoſcere potuiſſemus; error vincibilis eſt. Etenim ſi uſu facultatum noſtrarum veritatem cognoſcere potuiſſemus; impedire poteramus, ne propoſitionem falſam pro vera haberemus (§. 726 *Ontol.*). Quamobrem cum id nobis evitabile ſit, quod uſu facultatum noſtrarum impediri poteſt, quo minus fiat (§. 733); error evitari potuiſſet, ſi uſu facultatum noſtrarum veritatem cognoſcere potuiſſemus. Eſt vero error vincibilis, qui evitari poteſt, modo velimus (§. 30). Quamobrem vincibilis eſt error, ſi uſu facultatum noſtrarum veritatem cognoſcere potuiſſemus.

Quouiam in Logica docetur, quinam ſit facultatum cognoſcendi uſus in veritate cognoſcenda, & quomodo earum uſu error evitetur, & ex Pſychologia empirica idem uberius intelligitur, præſertim ſi influxum appetitus ſenſitivi in facultatem cognoſcitivam cognoſcere volueris; evidens omnino eſt, Logicæ ac Pſychologiæ empiricæ cognitionem apprime utilem, imo neceſſariam eſſe, ubi abſque hæſitatione & errandi periculo judicare volueris, utrum in dato caſu error ſit vincibilis, necne. Conſideranda vero etiam ſunt ea, quæ errorem invincibilem pariunt, veluti occaſio utendi facultatibus noſtris, & quæ ſunt huic gemina. Quodſi eoim error non fuerit invincibilis; erit utique vincibilis (§. 53 *Ontol.*). Et ubi vi hypotheſeos propoſitionis præſentis io dato caſu judieium fieri debet, num facultatum tibi conceſſarum uſum eum facere potueris, qui ad veritatem cognoſcendam requiritur; eorum utique habenda eſt ratio, quæ obſtant, quo minus vel tibi concedatur aliquis uſus, vel eum uſum actu facere queas, qui conceditur. Perſpicaciores haud difficulter perſpicient, non adeo facile eſſe de errore vincibili judicium, uiſi ipſum præcipitare volueris. Quæ vero per ſe difficilia ſunt, ea faciliora reddi nou poſſuut.

§. 741.

Undenam ſit.

Error vincibilis non uſui facultatum noſtrarum, præſertim cognoſcendi, tribuendus. Oſtenditur eodem modo, quo paulo ante evicimus, ignorantiam vincibilem non uſui facultatum noſtrarum, præſertim cognoſcendi, tribuendam eſſe (§. 736).

De non uſu hoc judicare minime licet abſque hæſitatione & errandi periculo, niſi principia Logicæ ac Pſychologiæ empiricæ habueris perſpecta: quemadmodum ex iis intelligitur, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus.

§. 742.

Error invincibilis undenam ſit.

Error invincibilis impotentiæ utendi facultatibus noſtris, præſertim cognoſcendi, tribuendus. Patet eodem modo, quo paulo ante oſtendimus ignorantiam

Digitized by Google

rantiam invincibilem impotentiæ utendi facultatibus noſtris, præſertim cognoſcendi, tribuendam eſſe (§. 739).

Quid huc conferat principiorum Logicæ ac Pſychologiæ empiricæ notitia, ex anterioribus liquet. Quodſi quis theoriam completam ignorantiæ ac erroris vincibilis & invincibilis conderet; operæ omnino pretium faceret. Etenim in definienda culpa in caſu quocunque dato & imputatione actionum humanarum ſæpiſſime recurrendum eſt ad ignorantiam ac errorem vincibilem atque invincibilem. Quid vero in theoria iſta condenda obſervandum ſit; ex iis diſcere licet, quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 740).

§. 743.

Quando defectus rectitudinis actionis vincibilis.

Si uſu facultatum noſtrarum impediri poterat, quo minus actio quomodocunque a rectitudine deficeret; defectus rectitudinis vincibilis eſt. Etenim ſi uſu facultatum noſtrarum impediri poterat, quo minus actio quomodocunque a rectitudine deficeret; cum id evitabile nobis ſit, quod uſu facultatum noſtrarum impediri poteſt, quo minus fiat (§. 733); defectus rectitudinis a nobis evitari potuiſſet, modo voluiſſemus. Enimvero defectus rectitudinis actionis vincibilis eſt, ſi eum evitare potuiſſemus, modo voluiſſemus (§. 692). Vincibilis ideo eſt defectus rectitudinis actionis, ſi uſu facultatum noſtrarum impediri poterat, quo minus actio quomodocunque a rectitudine deficeret.

Principium hoc generale eſt, & ambitu ſuo complectitur duo præcedentia de ignorantia & errore vincibili: quorum tamen ſpeciatim fieri debebat mentio ob frequentiſſimum eorundem uſum. Si ignorantia & error vincibilis defectum rectitudinis actionis arguit; actio deficit a rectitudine ex parte intellectus. Sed deficere quoque poteſt ex parte voluntatis & noluntatis, necnon ex parte facultatis locomotivæ. Præſens ideo propoſitio de omni defectu loquitur, ſive is ex parte intellectus, ſive ex parte voluntatis, ſive ex parte facultatis locomotivæ accidat, & de omni hoc defectu pronunciat in omni caſu, quæcunque tandem ſit ejusdem cauſa. Etſi autem univerſale principium hoc defectus vincibilis rectitudinis actionum humanarum intellectu facillimum ſit; ejus tamen applicatio haud raro difficillima eſt. Supponit nimirum conſtare, num agenti uſus facultatum ſit conceſſus, & ubi non conceditur, num deficiat culpa agentis, ubi vero conceditur, an non uſus culpa ejusdem obtineat, ne in caſu dato non uſum cum impotentia utendi confundas. In primis ex parte voluntatis & noluntatis difficultates haud raro maximæ de vincibilitate affectuum objiciuntur, quibus in transverſum agitur voluntas atque noluntas. Sed hæc ſuo loco plenius conſtabunt.

§. 744.

Undenam ſit.

Defectus rectitudinis actionis quicunque vincibilis non uſui facultatum tribuendus. Eodem modo hoc oſtenditur, quo ſupra demonſtravimus (§. 736), ignorantiam vincibilem non uſui facultatum noſtrarum tribuendam eſſe.

Si quis affectuum impetum, quo in transverſum agitur voluntas vel noluntas, vincere poterat, id vero minime facit; ex parte voluntatis deficit actio a rectitudine, & defectus hic non uſui facultatum tribuendus.

§. 745.

Undenam ſit defectus rectitudinis a-

Defectus rectitudinis actionis quicunque invincibilis impotentiæ utendi facultatibus noſtris tribuendus. Patet eodem modo, quo ſupra (§. 739), oſtendimus, ignorantiam invincibilem impotentiæ utendi facultatibus noſtris tribuendam eſſe.

Probe

Probè autem conſiderandum hic eſt, quod ſupra (§. 738) demonſtravimus, ſi occaſio utendi facultatibus noſtris deficiat; quod iis non utamur, ad impotentiam utendi referendum eſſe. Per ſe vero intelligitur, hic ſupponi, occaſionem utendi non noſtra culpa deficere. Etenim ſi uſu facultatum noſtrarum impediri poterat, quo minus occaſio deficeret; nec dici proprie poteſt, quod occaſio utendi facultatibus noſtris prorſus deficiat, contra hypotheſin, quemadmodum impotentia agendi agenti imputatur, ſi ipſemet ejusdem cauſa ſit: veluti ſi quis pollicem dextrum amputat ſibimet ipſi, ne caſtra ſequi cogatur.

ctionis invincibilis.

§. 746.

Circumſtantiæ particulares, cur notionem actionis ſufficienter determinatam ingredi debeant.

Ad actionis ſufficienter determinatam notionem requiritur, ut agenti omnes circumſtantiæ in caſu dato ſint perſpectæ. Etenim notio actionis ſufficienter determinata eſt, ſi eas continet determinationes, ex quibus demonſtrari poteſt, utrum bona ſit, an mala (§. 71). Enimvero nemo in dubium revocare poterit, niſi experientia obvia quotidie reclamante, ſæpiſſime demonſtrari minime poſſe, utrum bona an mala ſit actio, niſi omnibus circumſtantiis in caſu dato perſpectis. Et idem conſtare poteſt ex eo, quod actiones in ſe indifferentes propter determinationes accidentales, ideoque propter circumſtantias particulares in caſu dato locum habentes, abeant vel in bonas vel in malas, pro illarum diverſitate (§. 61). Patet itaque ad notionem actionis ſufficienter determinatam requiri, ut agenti omnes circumſtantiæ in caſu dato ſint perſpectæ.

Actiones humanæ plerumque ſunt compoſitæ, ac præterea cum iis haud raro tum aliorum hominum tum cauſarum aliarum naturalium actiones concurrunt. Atque ideo non una de cauſa accidit, ut actio, quæ nihil in ſe mali habet; vitium quoddam contrahat. Circumſtantiæ igitur moralitatem actionis variis modis immutant. Per eas igitur determinanda eſt notio actionis, ut conſtet, num ex ea mali vel boni quidpiam reſultet, ſive reſpectu agentis ſive alterius cujuscunque. Ita effuſio matulæ per feneſtram in plateam nihil vitii habet. Aſt ſi incautus eam effundas in prætereuntem, aut venti impetu abripiatur lotium, ut ejus, qui jam præteriit, veſtis eodem conſpergatur; culpoſa evadit actio. A culpa igitur ſi immunis eſſe velis; omnes conſiderandæ ſunt circumſtantiæ: veluti quod eam in plateam effundas, in qua frequenter incedunt homines, & quod ventus vehementior ſpiret. Quodſi ergo prævidere volueris qualis ſit actio, cujus patrandæ occaſio tibi offertur; ea ſpectanda eſt cum ſuis circumſtantiis. Hoc unico exemplo docemur, veriſſimum eſſe, quod experientia comprobatum ſumſimus in demonſtratione propoſitionis præſentis, ſæpiſſime demonſtrari non poſſe, utrum bona an mala ſit actio, quam patrare vis, niſi omnes circumſtantias caſus præſentis ante cognoveris.

§. 747.

Quando deficiat notio actionis determinata & culpa ex defectu attentionis ſit.

Si quis animum non attendit ad omnes circumſtantias in caſu dato; notio actionis ſufficienter determinata deficit, & culpa defectui attentionis tribuenda. Cum efficiamus attentione, ut in perceptione compoſita partialis una majorem claritatem habeat ceteris (§. 237 *Pſychol. empir.*), ideoque eam præ ceteris appercipiamus (§. 235 *Pſychol. empir.*), conſequenter quia actu apperceptionis perceptionis noſtræ nobis conſcii ſumus (§. 25 *Pſychol. empir.*), ejusdem magis nobis conſcii ſimus, quam ceterarum; qui animum non attendit ad omnes circumſtantias in caſu dato, harum ſibi probe conſcius non eſt, proinde fieri nequit, ut omnes ipſi ſint perſpectæ. Quoniam itaque ad notionem actionis ſufficienter determinatam requiritur, ut agenti omnes circumſtantiæ in caſu dato ſint perſpectæ (§. 746); notio actio-

nis ſufficienter determinata deficit, ſi quis animum non attendit ad omnes circumſtantias in caſu dato. *Quod erat unum.*

Enimvero ad rectitudinem actionis requiritur etiam notio actionis ſufficienter determinata ex parte intellectus (§. 72). Quamobrem cum defectus rectitudinis actionis ſit id, quod ex parte intellectus deſideratur (§. 81); notio actionis ſufficienter determinata ubi deſideratur, actio a rectitudine deficit ex parte intellectus. Quodſi ergo notio ſufficienter determinata actionis deficit, propterea quod agens animum non attendit ad omnes circumſtantias in dato caſu *per hypotheſin;* defectus rectitudinis quoad intellectum defectui attentionis tribuendus. Et quoniam uſu attentionis defectus iſte evitari poterat (§. 733); vincibilis eſt (§. 692). Jam defectus rectitudinis actionis, quoad intellectum vincibilis, culpa eſt (§. 717). Culpa igitur defectui attentionis debetur, ſi agens animum non attendit ad omnes circumſtantias in caſu dato. *Quod erat alterum.*

Inquirendum nunc eſt in cauſas culpæ, non modo ut in ea dijudicanda & imputanda fiamus acutiores, verum etiam in evitanda cautiores. Vidimus paulo ſuperius (*not.* §. 729), culpam omnem dependere a falſo ratiocinio, vel ab abſentia iſtius ratiocinii. Quamobrem cauſæ culpæ eædem ſunt, quæ ratiocinii deficientis, vel erroris circa præmiſſas admiſſi in ratiocinio falſo, ſeu vitio materiæ laborante. Minor eſt notio actionis, qualis ea eſt in caſu dato. Unde primum inquirimus, quanam de cauſa contingat minorem eſſe falſam. In hunc cenſum venit defectus attentionis ad omnes circumſtantias in dato caſu obvias. Facile autem apparet, cum attentioni non locus ſit niſi in iis, quæ vel ſenſui vel animo præſentia ſunt (§. 237 *Pſychol. empir.*); in propoſitione præſenti ſupponi, circumſtantias omnes aut ſenſui patere, aut ab agente inquirendo in eas detegi poſſe. Ita ſi quis cavere velit, ne matulam in prætereuntem effundat; non alia re opus habet, quam ut e feneſtra proſpiciat, adeoque ſolus ſufficit oculorum uſus, ne ignoretur circumſtantia ſollicite attendenda, niſi actio culpoſa fieri debeat. Quodſi ventus vehementior flat, tactus & viſus circumſtantiam, ad quam animum advertere debes, ſi prætereuntem vides, te docet. Si munus ambiturus Patronum adire juberis, quo is ſit animo, percontando ex aliis addiſcis. Subinde circumſtantiæ ex iis, quæ patent, nonniſi ratiocinando colliguntur.

§. 748.

Incogitantia quid ſit. Defectum attentionis circa actiones noſtras dicemus *Incogitantiam.*

Germani multo convenientius *Unachtſamkeit* appellant, cui vocabulo reſponderet *Inattentio*, ſiquidem id uſu Latii probaretur. Non tamen vim intuliſſe videmur vocabulo *Incogitantiæ* definitione noſtra. *Auſonius* enim, *Incogitantes*, ait, *ſors non conſilium regit.* Nemo vero negaverit, hoc convenire in eos, qui attentionem circa actiones ſuas in ſe deſiderari patiuntur.

§. 749.

Incogitantis qualis ſit actio. *Incogitantia culpa eſt, & Incogitantis actio culpoſa eſt*, ſeu, *qui incogitans agit, culpoſe agit.* Etenim ſi quis incogitans agit, attentionem circa actiones ſuas in ſe deſiderari patitur (§. 748), adeoque deficit notio actionis ſufficienter determinata, quæ non deficeret, ſi animum ad omnes circumſtantias in caſu dato attendere voluiſſet (§. 747). Quoniam igitur abſentia notionis ſufficienter determinatæ defectus rectitudinis actionis quoad intellectum eſt (§. 72. 81), isque evitabilis (§. 733), conſequenter vincibilis (§. 692), defectus autem rectitudinis actionis quoad intellectum vincibi-

vincibilis culpa eſt (§. 717); incogitantia culpa eſt. *Quod erat unum.*

Quoniam itaque actio culpoſa eſt, quam agens ſua culpa committit, ſive ea poſitiva fuerit, ſive privativa (§. 718), incogitantia vero culpa eſt *per demonſtrata*; actio incogitantis culpoſa eſt. *Quod erat alterum.*

Non eſt quod excipias, actionem culpoſam eſſe malam (§. 723), adeoqne ex ea ſequi debere aliquid mali (§. 726): at vero ex actione incogitantis ſequi quidem poſſe mali quidpiam, non vero ſemper actu ſequi. Ita ſi quis incogitans effundit matulam ex feneſtra; non ſemper lotio conſpergi veſtem prætereuntis, etſi fieri poſſit, ut conſpergatur. Actionem adeo incogitantis nou ſemper eſſe culpoſam. Videtur objectio ad ſpeciem compoſita, ſed iis, qui ea, de quibus judicium ſibi ſumunt, nonniſi per transennam inſpiciunt. Aliud eſt eornm judicium, qui nonniſi de intime inſpectis judicant. Lex naturæ nos obligat ad actionum rectitudinem (§. 189), conſequenter ad vitandum omnem rectitudinis defectnm, adeoqne ad culpam omnem vitandam (§. 696). Quamobrem cum incogitantia culpa ſit *per præſentem*; actio incogitantis, qnatenus ex incogitantia proficiſcitur, moraliter mala eſt (§. 244). Imo ex actione incogitantis ſemper quoque ſequitur aliquod malum reſpectu etiam agentis, quatenus ſcilicet qnælibet actio facit vel ad habitum acquirendum, ſi nondum adſit (§. 430 *Pſychol. empir.*) vel ad eum conſervandum & augendum, ſi jam adfnerit (§. 431 *Pſychol. empir.*). Habitus vero agendi ex incogitantia malum animi eſt (§. 567 *Pſychol. empir.*). Imo quantnm noceat animo actio incogitantis, pluribus doceri poterat, ſiquidem malnm inde reſultans exaggerari opus eſſet. Præterea ſemper adeſt periculum iſtius mali, qnod ex actione reſultare poteſt: ſit ita quod non ſemper actu ſequatur. Quod vero periculum evitaveris, non tnæ tribnendum eſt incogitantiæ, ſed fortunæ (§. 540 *part. I. Theol. nat.*), & caſni (§. 460 *part. II. Theol. nat.*). Snbire vero periculum, cujus evitatio a ſola fortuna & caſu pendet, nemo non malum pronunciat. Unde & agenti imputatur. Inde eſt qnod actionem incogitantis reprehendamus, quod facile damnum dare potuiſſet, uec feramus excuſationem, quod non dederit, regerentes fortunæ tribuendum, qnod non dederit.

§. 750.

Negligentia eſt omiſſio actionum certo fine edendarum, ſeu eorum, quæ certo fine fieri debent, non uſui facultatum cognoſcendi debita. *Negligentia quid ſit.*

Ita qni ſtudiis literariis operam navat, collegia freqnentare debet. Quodſi iisdem raro interſit, ideoque non faciat, qnæ fieri debent, ſiqnidem tempus ſuum in Academia utiliter collocare voluerit; negligens dici ſolet, qnia noſſe poterat & debebat, ſi proficere velit, collegia eſſe frequentanda. Ejus ideo negligentia conſiſtit in omiſſione ejus, qnod fieri debet, ut ea addiſcat, quornm addiſcendornm gratia in Academiam profectus. Similiter qui labore ſuo acquirere debet ea, quibus ad vitæ ſuſtentationem habet opus; negligens vocatnr ab omnibus, ſiquidem tempus otio conſumit, quod labori erat impendendum. Denuo igitur negligentia ipſius conſiſtit in omiſſione ejus, qnod certo fine fieri debebat, & quod fieri debeat, noſſe poterat. Similiter tutor bona pupilli adminiſtrare tenetur, nt omnes inde percipiantur fructus, qui ex iis percipi poſſunt. Quodſi ergo hoc non facit; negligentiæ accuſatur. Ejus adeo negligentia conſiſtit in omiſſione ejus, quod certo fine fieri debebat, & qnod fieri debeat, noſſe poterat.

§. 751.

Ex adverſo itaque *Diligentia*, quæ negligentiæ opponitur, eſt commiſſio omnium illarum actionum, quæ certo fine committendæ ſunt, ſeu eorum omnium, quæ certo fine fieri debent. *Diligentia quid ſit.*

Ita finis ſtudioſi in Academia eſt ſtudiis literariis navare operam. Eo fine frequenter intereſſe debet lectionibus Profeſſorum. Quodſi ergo in Collegiis ſemper præſens eſt, & attentum ſe præbet anditorem; diligentiæ encomio ornatur. Conſiſtit adeo diligentia ejus in commiſſione actionum certo fine edeudarum, ſen eorum, quæ certo fine fieri debent. Similiter landatnr diligentia Medici, qni ægrotum frequenter viſitat, in ſtatum ipſius omni cum cura inquirit, & quænam medicamentis, quæ præſcripſit, hauſtis mutationes obſervatæ fuerint, omni animi ſollicitudine ſciſcitatur, diætam quoque & regi-

men

Digitized by Google

gimen corporis externum inculcat, ne quid ab eo prætermittatur, quod ad reſtituendam ſanitatem ægroti aliquod afferre poteſt momentum. Ejus adeo diligentia denuo conſpicitur in commiſſione eorum omnium, quæ certo fine fieri debent. Tutor denique, cujus eſt adminiſtratio bonorum pupilli; diligentem ſe præbere dicitur, ſi nihil eorum omittit, quæ ab ipſo proficiſci poſſunt, ut omnes inde percipiantur fructus, quos percipere datur, & in expenſis ea utitur cura, ne quid pecuniæ erogetur præter neceſſitatem. Hujus igitur diligentia etiam conſiſtit in commiſſione eorum, quæ certo fine fieri debent. Docent exempla, notionem diligentiæ eſſe uſui loquendi etiam in Jure civili recepto conformem. Fecunditatem vero experientur, quotquot ex eadem deducere voluerint, quæ in dato quolibet caſu requiruntur, ut agens diligentiæ laudem mereatur.

§. 752.

Fundamentum diligentiæ graduum in agente.

Quo magis agens ſollicitus eſt, ne quid prætermittatur eorum, quæ certo fine fieri debent; eo diligentior eſt. Etenim quo magis quis ſollicitus eſt, ne quid prætermittatur eorum, quæ certo fine fieri debent; eo magis quoque ea facit, quæ eodem fine fieri debent, quantum ipſi datur. Quamobrem cum diligentia conſiſtat in commiſſione eorum, quæ certo fine fieri debent (§. 751); eo utique diligentior eſt agens, quo magis ſollicitus, ne quid prætermittatur eorum, quæ certo fine fieri debent.

Nimirum iſta animi ſollicitudo ſtimulus eſt agenti, ut, quantum ipſi datur, in ea inquirat, quæ certo fine fieri debent, aliorum uſus conſiliis, ubi ſibimet ipſi non ſufficit. Ubi vero iſta ſollicitudo animum agentis minime tenet; in iis acquieſcit, quæ eodem fine ab aliis fieri videt, vel quæ occaſio aut præteritorum memoria ipſi offert. Omittit adeo, quæ vel ex aliis percontando addiſcere, vel quæ accuratiori diſcuſſione ipſemet animadvertere poterat. Diligentior itaque eſt agens, ſi iſta animi ſollicitudine tenetur, quam ſi ab eadem vacuum habet animum. Enimvero nemo non videt, gradus diligentiæ hic ſpectari in eodem ſubjecto, quatenus ſcilicet ea, quam agens adhibet, confertur cum ea, quam adhibere poterat: non vero inter ſe conferri diligentiam diverſorum agentium, ut intelligatur, quænam major, quænam minor ſit.

§. 753.

Summa diligentia quænam ſit.

Si agens nihil eorum omittit, quæ certo fine fieri debent; ejus diligentia ſumma eſt. Quoniam enim diligentia conſiſtit in commiſſione eorum, quæ certo fine fieri debent (§. 751); ſi agens nihil horum omittit, fieri non poteſt, ut ſit diligentior. Quamobrem cum ſumma ſit diligentia, qua major dari nequit, quod per ſe patet, nec a quoquam in dubium revocari poteſt; ſi agens nihil eorum omittit, quæ certo fine fieri debent; ejus diligentia ſumma eſt.

Nemo non videt, ſermonem hic eſſe de diligentia abſolute ſumma, qua majorem dari repugnat; non vero de diligentia, qua agens majorem adhibere non potuit, aut qua major ab nullo hominum adhiberi ſolet vel etiam poteſt. Neque enim quiſquam eſt, qui neſciat, plurimum hæc tria inter ſe differre. Etſi homines omnes non majorem adhibeant diligentiam ea, qua utitur agens; nondum tamen hinc ſequitur, quod illorum nemo majore uti poſſit. Et quamvis nemini mortalium detur majore diligentia uti; non tamen ideo major diligentia in numerum impoſſibilium referenda.

§. 754.

Summa negligentia quænam ſit.

Si agens omnia iſta omittit, quæ certo fine fieri debent; negligentia ejus ſumma eſt. Negligentia eſt omiſſio eorum, quæ certo fine fieri debent (§. 750). Major adeo negligentia concipi nequit, niſi quando agens omnia iſta omittit, quæ certo fine fieri debent. Quamobrem cum negligentia

gentia

gentia maxima ſeu ſumma ſit, qua major concipi nequit, id quod per ſe manifeſtum, ſine probatione ſumi poteſt; ſumma utique agentis negligentia eſt, ſi agens nihil eorum facit, quæ certo fine fieri debent.

Quæ ad propoſitionem præcedentem de diligentia ſumma modo annotavimus (*not.* §. 753), ea de ſumma quoque negligentia tenenda ſunt.

§. 755.

Quando quis ſummam, quam poteſt, adhibeat diligentiam.

Si quis nihil eorum, quæ certo fine fieri debent, omittit, niſi cujus ignorantia ipſi invincibilis, vel de quo invincibilem fovet errorem, aut quod vires ejus excedit, ſeu omnium facultatum uſum ſuperat; is ſummam, quam adhibere poteſt, diligentiam adhibet. Etenim cum ignorantia invincibilis ab agente evitari nequeat (§. 28), nec minus error invincibilis ipſi inevitabilis ſit (§. 30), imo in eundem cenſum inevitabilium referri debeat, quod omnium facultatum agentis uſum excedit (§. 733); ea, quorum ignorantia invincibilis agenti, vel de quibus is errorem invincibilem fovet, vel quæ omnium facultatum uſum eidem conceſſum ſuperant; ut ab eodem fiant, impoſſibile eſt. Quamobrem ſi nihil eorum, quæ certo fine fieri debent, omittit, niſi cujus ignorantia ipſi invincibilis, vel de quo errorem invincibilem fovet, aut quod omnium facultatum uſum eidem conceſſum ſuperat; cum diligentia conſiſtat in commiſſione eorum, quæ certo fine fieri debent (§. 751); *ut is majorem ea*, quam adhibet, diligentiam adhibeat, fieri haudquaquam poteſt. Quoniam itaque ſummam, quam adhibere poteſt, diligentiam adhibet, qui majorem adhibere nequit; quin ſummam adhibeat diligentiam, quam adhibere poteſt, qui nihil eorum, quæ certo fine fieri debent, omittit, niſi cujus ignorantia ipſi invincibilis, vel de quo errorem fovet invincibilem, aut quod omnium facultatum uſum, ipſi ſcilicet conceſſum, ſuperat; dubitari nequit.

Atque hinc patet, diligentiam, qua majorem agens adhibere nequit; ab abſolute ſumma plurimum differre poſſe. Imo patet etiam, ſi duo ſummam, quam adhibere poſſunt, diligentiam adhibeant; diligentiam tamen unius majorem eſſe poſſe diligentia alterius. Satis hæc conformia ſunt notionibus communibos, modo ad jodicia obvia animum attendere velis. Etenim iis profundiora haud raro inſunt, qoam vulgo exiſtimatur. Unde non ſatis inculcari poteſt, ut, qui acumine alios vincunt; in ſcrutandis notionibus communibus ſint ſolertes.

§. 756.

Fundamentum graduum diligentiæ & negligentiæ.

Quo quis plura eorum efficit, quæ facultatum ſuarum uſu ab ipſo fieri certo fine poterant; eo diligentior. Ex adverſo *quo quis plura eorum non facit, quæ facultatum cognoſcendi uſu ab ipſo fieri poterant; eo negligentior.* Etenim ſi quis nihil eorum, quæ certo fine fieri debent, omittit, niſi cujus ignorantia ipſi invincibilis, vel de quo errorem fovet invincibilem, aut quod vires ejus excedit, ſeu omnium facultatum ſuarum uſum ſuperat; is ſummam adhibet, quam adhibere poteſt, diligentiam (§. 755), conſequenter ſi qua horum omittit, diligentiam ſummam non adhibet, quam adhibere poteſt. Quo plura igitur horum facit; eo ſe præſtat diligentiorem. *Quod erat unum.*

Enim-

Enimvero negligentia conſiſtit in omiſſione eorum, quæ certo fine fieri debent, ob non uſum facultatum cognoſcendi (§. 750). Quamobrem quo quis plura horum non facit, quæ tamen facultatum cognoſcendi uſu facere poterat; eo negligentior eſt.

Habemus hic fundamentum genuinum graduum diligentiæ & negligentiæ: quod ut penitius inſpiciatur, præſertim ab iis, qui principiis Juris Romani non ſatis perſpectis animum imbutum poſſident; quædam adhuc annotanda nobis veniunt. Ad omnia negotia humana quædam requiruntur, quorum nihil omittendum, ſiquidem recte fieri debent, ut nihil in iis deſiderari poſſit. Atque horum omnium commiſſio conſtituit diligentiam abſolute ſummam in abſtracto, non attento animo ad conditionem agentis. Enimvero omnium iſtorum commiſſio non ſemper eſt in poteſtate agentis, ſeu non ſemper a libero facultatum ſuarum exercitio, in quo horum uſus conſiſtit, dependet: adeoque diligentia abſolute ſumma non ſemper in agentem cadit, conſequenter omiſſio eorum, quæ uſum facultatum ejusdem ſuperant, ipſi non imputatur, nec hoc nomine dicitur negligens, etſi in abſtracto idem negligentiæ tribuendum videatur. Eſt illa minor gradus diligentiæ in abſtracto non abſolute ſpectatæ. Denique quamvis eorum commiſſio, quæ ad negotium aliquod requiruntur, uſum facultatum agentis non ſuperet; non tamen is ſemper facit omnia, quæ fieri ab ipſo poterant, adeoque ſumma, quam adhibere poterat, diligentia non eſt, & ſummam diligentiam in concreto & ſub conditione particulari agentis ſpectatam non adhibet. Atque inde eſt, quod alius ſe diligentiorem, alius ſe negligentiorem in eodem negotio præſtet, prout vel ampliorem, vel reſtrictiorem facit facultatum ſuarum uſum. Vides adeo, ſi in judicio tuo de gradu diligentiæ vel negligentiæ agentis nihil deſiderari, ſed ipſum ad amuſſim cum veritate conſentire debeat; 1. perſpectum tibi eſſe debere, in quonam ſumma ad negotium aliquod adhibenda conſiſtat diligentia, quatenus abſolute & in abſtracto ſpectatur; 2. non minus tibi perſpecta eſſe debet omnis agentis conditio, ut dijudicare valeas, quorumnam commiſſio uſum omnium facultatum agentis hujus ſuperet, quorum vero commiſſio eundem non excedat. Ita enim demum cavebis, ne majorem diligentiam ab agente requiſiveris, quam humana patitur conditio, & in ſpecie quam fert conditio agentis, nec ea excuſes, quæ negligentiæ veniunt tribuenda. Quam difficile ſit in caſu dato hocce judicium, nemo non experiri poterit, ſi idem tentare voluerit. Summam igitur accurationem, quam urget ratio, leges civiles exigere minime potuerunt ob rationes ſuo loco exponendas. Quamobrem cum viderent JCti Romani non omnes eandem in eodem negotio adhibere diligentiam, ſed alios majorem, alios minorem, quam alios; animum adverterunt ad ea, quæ a pleriſque in negotio aliquo fieri ſolent, qui ſe diligentes probant, & in horum commiſſione conſtituerunt *diligentiam mediam*, quæ ſit veluti menſura cu uſcunque diligentiæ alterius. Cum vero porro obſervarent eſſe aliquos, qui ceteris mortalium ſe diligentiores præſtant, & ultra communem eorum ſortem poſiti videntur; diligentiam media iſta majorem *maximam* ſeu *ſummam* agnovere, quæ ab humana conditione expectari poteſt. Denique cum non miuus experirentur, eſſe aliquos, qui ceteris mortalibus negligentiores deprehenduntur, atque minorem media ad negotium aliquod diligentiam afferunt; hanc *infimam* eſſe voluerunt ſeu *minimam*. Unde eſt, quod in iis negotiis, in quibus diligentia & negligentia imputatur ob damnum reſarciendum; tres conſtituerint gradus diligentiæ, mediam ſcilicet, maximam & minimam: quibus ordine inverſo reſpondent totidem gradus negligentiæ, ita ut *ſumma* ſeu *maxima negligentia* in omiſſione eorum conſiſtat, quæ ad infimam ſeu minimam diligentiam requiruntur; *minima* vero in omiſſione eorum, quæ nonniſi ſummæ ſunt diligentiæ; *media* denique in omiſſione illorum, quæ mediæ ſunt diligentiæ. Enimvero hæc nonniſi juris poſitivi ſunt, ſive ea in abſtracto conſideres, ſive in applicatione ad negotia, quam faciunt Leges Romanæ. Nemo igitur a nobis requiſiverit, ut eandem diviſionem in jus naturæ recipiamus, quod in omni caſu judicium de gradu diligentiæ & negligentiæ requirit ne tantillo quidem a veritate rei deficiens. Quæ in foro utiliter recipiuntur, imo recipi debent, ob rationes ſuo loco exponendas; ea non tolerantur in foro conſcientiæ, ubi ratio judicis munere fungitur.

Negligentia cur omiſſio diligentiæ.

§. 757.

Negligentia eſt omiſſio diligentiæ, n.n uſui facultatum cognoſcendi debita.

Etenim

Digitized by Google

Etenim diligentia eſt commiſſio eorum, quæ certo fine fieri debent (§. 751): aſt negligentia eſt omiſſio eorum, quæ certo fine fieri debebant, non uſui facultatum cognoſcendi debita (§. 750). Quamobrem hoc ipſo negligens es, quod diligentiam tuam in te deſiderari pateris, non faciendo eum facultatum cognoſcendi uſum, quem facere poteras. Negligentia igitur eſt omiſſio diligentiæ non uſui facultatum cognoſcendi debita.

Inde eſt, quod in Jure Romano, quemadmodum modo monuimus (*not.* §. 756), gradus negligentiæ æſtimentur ex gradibus diligentiæ.

§. 758.

Negligentia culpa, & actio negligentis culpoſa eſt. Conſiſtit enim negligentia in omiſſione actionum certo fine edendarum, ob non uſum facultatum cognoſcendi facta (§. 750). Quamobrem quatenus quis negligens eſt, ejus actiones deficiunt a rectitudine quoad intellectum (§. 72. 81) & defectus iſte rectitudinis vincibilis eſt (§. 743). Quoniam itaque defectus rectitudinis actionis quoad intellectum culpa eſt (§. 717); negligentia culpa eſt. *Quod erat unum.* *Negligentis qualis ſit actio.*

Enimvero actio culpoſa eſt, quam agens ſua culpa committit, ſive ea poſitiva fuerit, ſive privativa (§. 718). Quoniam itaque negligentia culpa eſt *per demonſtrata*; negligentis actio culpoſa eſt. *Quod erat alterum.*

Nimirum ob negligentiam agens aut vincibili ignorantia aut errore vincibili laborat, ac ob illam vel ob hunc omittit, quæ alias faceret. In hiſce igitur caſibus deficere actionem privativam quoad intellectum, nemo eſt, qui in dubium vocet. Negligentia ſubinde oritur ex defectu attentionis circa actiones ſuas, atque adeo denuo actio deficit a rectitudine quoad intellectum. Similiter in eo conſiſtit negligentia, quod occaſionem agendi agens, ambabus, quod dicitur, manibus non amplectatur, falſo ſibi perſuadens eam mox redituram. Deficit ideo actio ipſius a rectitudine quoad intellectum. Exemplum tutoris bona pupilli negligenter adminiſtrantis illuſtrat ſingula: id quod levi attentione perſpicitur. Atque hinc apparet, cur negligentia tutoris in adminiſtrandis bonis pupilli pro culpa habeatur.

§. 759.

Quo major itaque *fuerit negligentia, eo major etiam culpa eſt* (§. 758). *Fundamentum graduum culpæ a magnitudine negligentiæ.*

Negligentiam admittere gradus, ſupra demonſtravimus (§. 756). Unde, quæ de gradibus negligentiæ (*not.* §. *cit.*) annotavimus, ea de culpa tenenda ſunt, quæ in negligentia, conſequenter omiſſione diligentiæ (§. 757), conſiſtit. Vidimus ibidem (*not.* §. 756) Jus civile in iis negotiis, in quibus agentis requiritur diligentia; tres gradus diligentiæ conſtituere, maximam ſcilicet, mediam, & minimam, & diligentiæ maximæ respondere negligentiam minimam, minimæ autem maximam, & mediæ mediam. Unde in iſtis negotiis culpa diſtinguitur in tres gradus, latam ſcilicet, levem & leviſſimam. *Culpa lata* eſt, quando negligentia maxima; *levis*, quando media; *leviſſima*, quando minima. Unde & culpa lata dicitur omiſſio diligentiæ minimæ ſeu infimæ, quando ſcilicet agens ne eam quidem diligentiam adhibet, quam vulgo homines etiam parum diligentes in rebus ſuis adhibere ſolent. Culpa levis vocatur omiſſio diligentiæ mediæ, quando nimirum agens eam non adhibet diligentiam, quam communiter homines diligentes in rebus ſuis adhibere ſolent. Culpa denique leviſſima appellatur omiſſio diligentiæ maximæ ſeu exactiſſimæ, quando ſcilicet agens eam non adhibet diligentiam, quam homines diligentiſſimi adhibere ſolent. Quemadmodum vero ibidem monuimus diviſionem diligentiæ, & eidem conformiter negligentiæ, in maximam, mediam, & minimam eſſe inventum Juris civilis; ita nemo non videt, diviſionem culpæ in latam, levem, & leviſſimam nonniſi hujus Juris inventum eſſe, quod ignorat Jus naturæ, gradus multo plures quam tres agnoſcens, ſine Mathematicorum ope non determinandos. Ceterum ex dictis porro manife-

manifeſtum eſt, ne in Jure quidem civili culpam quamvis in latam, levem, & leviſſimam dividi, quemadmodum vulgus Doctorum ſibi perſuadet; ſed eam tantummodo, quæ ſpectatur in negotiis alienis, in quibus agentis diligentia lege exigitur, & damnum ab agente datum alteri, reparandum venit. Facile hoc probari poterat legum Romanarum auctoritate, niſi ab inſtituto noſtro foret alienum, cum nobis jam propoſitum non ſit Juris Romani interpretes agere. Quamobrem nec noſtrum eſſe exiſtimamus, notiones culpæ latæ, levis, & leviſſimæ legibus Romanis convenienter ita determinare, ut certior & facilior fiat earundem applicatio. Ut tamen aliorum attentionem & acumen excitemus; id unicum hic annotaſſe ſufficiat, inquirendum eſſe in ea, quæ in aliquo negotio ab agente exigi poſſunt, & per experientiam definiendum eſſe, quid circa talia ab hominibus fieri ſoleat, prouti magis vel minus ſe præbent diligentes. Nimirum quod faciunt diligentium plurimi, ad mediam diligentiam referendum: mediam quod excedit, ad maximam ſeu exactiſſimam ſpectat: quod ab ea deficit, id minimam ſeu infimam arguit. In exactiſſima præter ea, quæ inſunt mediæ, plura adſunt: in infima deſiderantur, quæ in media locum habent.

§. 760.

Inconſiderantia quid ſit. Si quis minime perpendit, quidnam ſub notis circumſtantiis ex actione ſua boni vel mali conſequi poſſit; is *inconſideratus* dicitur. Unde *Inconſiderantia* eſt omiſſio actuum intellectus, quorum ope agenti innoteſcere poterat, quidnam ex actione ſua ſub iis, quas novit, circumſtantiis conſequi poſſit boni vel mali.

Vernaculo ſermone *Unachtſamkeit* appellare ſolemus, quod hic inconſiderantiam vocamus. Ita inconſiderate agit equiſo, ignitabulum in equili relinquens, ubi ab equo calcitrante carbones candentes in ſtramina facile ejiciuntur, quod non perpendat, facile ſuboriri poſſe incendium. Sane memoriam ſubit, olim Vratislaviæ, cum adhuc adoleſcens in patria degerem, plura ædificia cum cœnobio R. R. Patrum Dominicanorum conflagraſſe iſtiusmodi inconſiderantiæ vitio.

§. 761.

Inconſiderate agentis qualis ſit actio. *Inconſiderantia culpa eſt, & inconſiderate agentis actio culpoſa eſt.* Qui enim inconſiderate agit, is non perpendit, quidnam ſub iis circumſtantiis, quas novit, mali vel boni ex actione ſua conſequi poſſit (§. 760), ideoque deficit judicium de actionis ſuæ bonitate vel malitia, conſequenter actio a rectitudine deficit quoad intellectum (§. 72. 81). Quamobrem cum ſupponatur, quod facultatum ſuarum cognoſcendi uſu impedire potuiſſet, quo minus deficeret; defectus iſte vincibilis eſt (§. 743). Enimvero defectus rectitudinis quoad intellectum vincibilis culpa eſt (§. 717). Patet itaque inconſiderantiam culpam eſſe. *Quod erat unum.*

Jam vero actio culpoſa eſt, quam agens culpa ſua committit, ſive ea privativa ſive poſitiva fuerit (§. 718). Quamobrem cum inconſiderantia culpa ſit *per demonſtrata*; actio inconſiderate agentis culpoſa eſt. *Quod erat alterum.*

Quod ſupra de actione culpoſa incogitantis dubium movimus (*not.* §. 749); de actione culpoſa inconſiderate agentis moveri etiam poterat. Eodem vero prorſus modo hic removetur, quo ſupra idem ſuſtulimus.

§. 762.

Theoria inconſiderati. *Inconſiderans noſſe debet principium actionis, cujus patrandæ occaſio offertur, dijudicandæ, quidnam ſcilicet ex ea boni vel mali conſequi poſſit.* Etenim non perpendit, quidnam ſub notis circumſtantiis ex actione ſua boni

Digitized by Google

ni vel mali conſequi poſſit (§. 760); ideoque non judicat, ex actione ſua id boni vel mali conſequi poſſe, vel etiam certo conſecuturum. Sed nemo judicare valet, ex ea actione, cujus patrandæ occaſio offertur, id boni vel mali conſequi poſſe, aut actu conſecuturum, niſi noverit, ex iſtiuſmodi actione, qualis eſt præſens, vi circumſtantiarum notarum, id boni vel mali conſequi poſſe aut actu conſecuturum, ſi nempe eam commiſerit (*§. 361 Pſychol. empir.*). Quamobrem inconſideratus noſſe debet principium actionis dijudicandæ, cujus patrandæ occaſio offertur.

Ita equiſo inconſideratus, quem exempli loco paulo ante in ſcenam produximus (*not.* §. 760); non ignorare ſupponitur, ſi carbones candentes in ſtramina conjiciuntur, in equili, ubi nemo præſens eſt per integram noctem; incendium ſuboriri poſſe. Si enim adeo ſtupidus ſupponeretur, ut ne hoc quidem noſſet; non ex inconſiderantia, ſed ex ignorantia vincibili ageret *contra hypotheſin*. Ita Mathematicus novit, ſi duo fluida confundenda; ut commiſceantur, fluidum ſpecifice gravius ſpecifice leviori eſſe infundendum, & quidem lente, atque ita ut ex aliqua altitudine gravius in levius ruat. Quodſi ergo contrarium facit; inconſiderate agit. Aſt ubi alius id facit, cui theoria iſta perſpecta non eſt; ex ignorantia proficiſcitur defectus rectitudinis actionis: quæ in culpam abit, ubi ignorantia fuerit vincibilis. Nemo exiſtimet, exemplum hoc a ſcopo præſente eſſe alienum, cum ex hac actione nihil reſultet boni vel mali, nec agens agat contra obligationem. Etenim lex naturæ nos obligat ad omnem actionum humanarum omnium rectitudinem (§. 189). Quamobrem qui minus recte agit; contra obligationem naturalem agit. Præterea ſi fluida non ſatis fuerint inter ſe commixta, cum tamen id fieri e re eſſet; ſemper creatur moleſtia nova actione ea ulterius commiſcendi, qua carere poteramus: ut taceamus ea, quæ ſuperius de actione incogitantis annotavimus (*not.* §. 749), ad inconſiderantiam quoque trahenda (*not.* §. 761), majoris utique ponderis, quam vulgo exiſtimatur, nec mentionem faciamus illorum caſuum, quibus minus recte factæ confuſionis vitio mederi non poſſumus. Unde & minus recte facientem in caſu inconſiderantiæ reprehendimus, in caſu ignorantiæ invincibilis excuſamus: recte autem facientem laudamus, manifeſto indicio, quod etiam in hiſce imputationi locum faciamus. Quodſi quidam omnem obligationis naturalis amplitudinem minime perſpiciant, notione ſpuria legis naturalis deluſi, quam a civili non ſatis diſtinguunt, ac ideo inter ſubtilitates inanes referant, quæ magnum in praxi morali momentum habent, illi per nos ſenſu ſuo abundent certo perſuaſi, nos non ægre laturos, ſi contemnant, quæ nos perſpicillis pſychologicis aliisque uſi videmus, ipſos autem absque iisdem videre minime poſſe ſatis ſuperque novimus. Inconſiderantiæ rei evaderemus, dum de inconſiderantia agimus, niſi hunc contemtum æquo animo ferre vellemus.

§. 763.

In quânam inconſiderantia proprie conſiſtat.

Inconſiderantia conſiſtit in omiſſione judicii de actione, cujus patrandæ occaſio offertur, qualis ea ſit vi circumſtantiarum perſpectarum, & omiſſione applicationis principii ejus dijudicandæ, quidnam ſcilicet ex ea ſequi poſſit vel actu ſequatur. Conſiſtit enim in omiſſione actuum intellectus, quorum ope agenti innoteſcere poterat, quidnam ex actione ſua boni vel mali conſequi potuiſſet (§. 760). Quoniam circumſtantiæ præſentes, ſub quibus actio committenda, ipſi ſunt perſpectæ (*§. cit.*); judicium formare poterat, quod actio patranda talis ſit, ſeu hoc modo determinetur. Et quia novit principium actionis hujus dijudicandæ, quidnam ſcilicet ex ea boni vel mali conſequatur (§. 762); judicium iſtud hoc ipſum principium in memoriam eidem revocare poterat, modo attendiſſet animum ad prædicatum judicii, qualis nimirum ſit ea actio, ſeu quomodo per circumſtan-

Digitized by Google

tias determinetur (§.228.117 *Pſychol. empir.*). Unde pronus inferre poterat, ex hac actione hoc conſequi poſſe (§. 361 *Pſychol. empir.*). Omittit igitur judicium de actione præſente, qualis ea determinetur per circumſtantias ſibi perſpectas, ac ideo porro omittit applicationem principii ejus dijudicandæ, quidnam ſcilicet ex ea ſequi poſſit, vel actu ſequatur. Atque ideo patet inconſiderantiam conſiſtere tum in omiſſione judicii de actione, cujus patrandæ occaſio offertur, qualis ea ſit vi circumſtantiarum ſibi perſpectarum, tum in omiſſione applicationis principii ejus dijudicandæ, quidnam ſcilicet ex ea ſequi poſſit, vel actu ſequatur.

Propoſitio hæc utiliſſima eſt in praxi: neque enim diſtincte doceri poteſt, quomodo inconſiderantia evitetur, niſi intelligas, quinam ſint illi intellectus actus, in quorum omiſſione proprie conſiſtit inconſiderantia. Ita equiſo inconſideratus non format judicium, quod equua calcitrando carbones ex ignitabulo in ſtramina excutere poſſit, nec ad hunc caſum animum advertit, ideoque nec memoriam ejus ſubit principium, carbones candentes ſtramina in flammam conjicere, conſequenter nec de eo cogitat, quod infelici iſtiusmodi caſu incendium ſuboriri poſſit. Vides adeo equiſonem inconſiderate agere, quod de actione ſua nullum formet judicium, quale vi circumſtantiarum ipſi ſatis perſpectarum, utpote in oculos incurrentium, formare poterat, nec ad actionem rite determinatam applicet principium abunde perſpectum. Vides etiam deficere applicationem principii, quia deficit judicium de actione præſente, qualis ea ſit vi circumſtantiarum ſuarum, ſimulque attentio ad idem. Atque ideo ex defectu judicii & attentionia ad ipſum deficit ratiocinium, quo periculum ab actione imminens colligi poterat. Eodem prorſus modo ſeſe res habet in exemplo altero, quod in medium attulimus. Mathematicus non judicat, fluidum A eſſe ſpecifice gravius, fluidum vero B eſſe ſpecifice levius, neque ad gravitatem ſpecificam horum fluidorum animum attendit. Quamobrem nec memoriam ejus ſubit principium, quod duo fluida diverſæ gravitatis ſpecificæ invicem commixturus confuſione, ſpecifice gravius infundere debeat leviori, ita ut ex altitudine quadam in hoc delabatur. Unde nec judicat fluidum A ea lege infundi debere fluido B, conſequenter præpoſtere agit.

§. 764.

Improvidentia quid ſit. *Improvidus* dicitur agens, qui ad malum in dato caſu eventu poſſibile, quod prævidere poterat, animum non attendit. Unde *Improvidentia* eſt defectus attentionis ad malum in dato caſu eventu poſſibile, quod agens prævidere poterat.

Quod hic Improvidentia dicitur; id in ſermone vernaculo *Unfürſichtigkeit* appellare ſolemus. Ita nemo non improvide agere dicit eum, qui in tenebris abſque laterna ingreditur loca, in quibus fœni, ſtraminum, aliarumque materiarum facile inflammabilium & combuſtibilium multitudo. Malum, quod hic evenire poteſt, incendium eſt: id quod agens facile prævidere poterat, ad quod tamen vel non attendit animum, vel quod, etſi præviſum, nulla attentione dignum judicat. Videmus enim haud raro nonnullos improvidentiæ ſuæ admonitos, provide agere nolle, quod malum, quod metuunt alii, non adeo facile evenire poſſe ſibi perſuadent, quæ non ſemper contingunt pro non eventuris habentes. Supervacaneam ideo exiſtimant attentionem ad ea, quæ non certo eventura ſunt, eo audaciores in improvide agendo, quo ſæpius non nocuit improvidentia, donec tandem caſu fatali ſapere diſcant. Recens adhuc animo meo obverſatur improvidentiæ hujus exemplum, quo in ædibus contiguis incendium, quod dudum metuerant vicini, ſubortum.

§. 765.

Quomodo agat improvidus. *Improvidus omittit ea, quæ declinandi cauſa mali ex actione ſua eventu poſſibilis, fieri poterant.* Etenim improvidus animum non attendit ad malum

lum in dato caſu eventu poſſibile, etſi ipſum prævidere poterat (§. 764). Quamobrem nec de eo declinando cogitat, conſequenter ea omittit, quæ ejus declinandi cauſa fieri poterant.

Ita nimirum agit improvidus, quaſi nihil mali eſſet metuendum. Foribus apertis e conclavi egreditur, quaſi nemo nummos vel gemmas de menſa ſit ablaturus, etſi probe norit, haud infrequenter huc illucve ire homines peregrinos, ut non vanus ſit furti metus. Imo de periculo admonitus, reſpondet, non ſtatim interea temporis, donec redeat, adfuturum aliquem, cui furandi eſt animus. Fores igitur non claudit, quibus clauſis furtum præcaveri poterat.

§. 766.

Improvidentia ex incogitantia & inconſiderantia orta.

Incogitans & inconſideratus improvide agit. Etenim incogitans animum non advertit ad actiones ſuas (§. 748), conſequenter nec qualis ſit actio vi circumſtantiarum præſentium agnoſcit, ideoque nec prævidet malum ex ea eventu poſſibile. Quoniam itaque nec ad ipſum animum advertere valet, improvidentia vero in defectu attentionis ad hoc ipſum conſiſtit (§. 664); incogitans improvide agit. *Quod erat unum.*

Inconſideratus actus intellectus omittit, quorum ope ipſi innoteſcere poterat, quidnam ex actione ſua ſub iis, quas novit, circumſtantiis, mali conſequi poſſit (§. 760), adeoque malum eventu poſſibile minime prævidet, etſi prævidere potuiſſet, niſi inconſideratus fuiſſet. Quamobrem nec ad ipſum animum advertere valet. Quoniam itaque improvidus eſt, qui animum ad malum eventu poſſibile, quod prævidere poterat, non attendit (§. 764); inconſideratus improvide agit. *Quod erat alterum.*

Oritur adeo ex incogitantia & inconſiderantia improvidentia: non tamen ſemper ex hiſce fontibus manat: id quod vel ex ſolo exemplo, ad quod modo provocavimus (*not.* §. 765), pateſcit.

§. 767.

Improvidentia ex vana perſuaſione orta.

Si quis malum aliquod eventu poſſibile agnoſcit, vel ab aliis de eodem admonetur, ſibi tamen perſuadet, idem hic & nunc non eſſe eventurum; improvide agit. Etenim etſi norit, malum aliquod eventu non impoſſibile eſſe, vel ab aliis de eodem admoneatur; quoniam tamen ſibi perſuadet, idem hic & nunc non eſſe eventurum; nec ejus in agendo rationem habet, conſequenter nec animum ad ipſum attendit. Quamobrem cum improvidentia in defectu attentionis ad malum in dato caſu eventu poſſibile conſiſtat, quod agens prævidere poterat (§. 764); qui malum aliquod eventu poſſibile agnoſcit, vel ab aliis de eodem admonetur, ſibi tamen perſuadet, idem hic & nunc non eſſe eventurum; improvide agit.

Vana hac perſuaſione improvide agunt plurimi, & in maxima haud raro damna & pericula ſumma incidunt, quemadmodum obvia experientia docemur. Imo eadem magiſtra diſcimus, non difficilius ab improvidentia avocari homines, quam ubi hac perſuaſione ſunt imbuti, cui tanto majorem fidem habent, quanto frequentius improvide agentibus nihil acciderit mali. Redduntur enim homines ſecuri, dum improvidentia fortunam comitem habet, hujus favore abuſi.

§. 768.

Improvidi qualis ſit actio.

Improvidentia culpa eſt, & actio improvidi culpoſa. Improvidentia in defectu attentionis ad malum in dato caſu eventu poſſibile conſiſtit (§. 764), ideoque

ideoque dum agens omittit, quæ declinandi mali hujus cauſa fieri poterant (§. 665); actio deficit a rectitudine ex parte intellectus (§. 72. 81): cumque malum iſtud prævidere potuiſſet (§. 764); defectus iſte vincibilis erat (§. 743). Quamobrem cum defectus rectitudinis actionis ex parte intellectus vincibilis culpa ſit (§. 717); improvidentia culpa eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero actio culpoſa eſt, quam agens ſua culpa committit, ſive ea poſitiva fuerit, ſive privativa (§. 718). Quoniam itaque improvidentia culpa eſt *per demonſtrata*, ideoque improvidus culpa ſua improvide agit; actio improvidi utique culpoſa eſt.

Hinc reprehendimus improvide agentes, quod non animum attendant ad periculum, quod ſubeunt, vel ad damnum, quod actione ſua facile dare poterant, etſi periculum evaſerint, nec damnum dederint, probe gnari, quod fortunæ tribuendum, ipſis imputari non poſſe. Tanto magis autem reprehendimus, ubi de periculo vel damno dando admoniti aurem monitis ſalutaribus præbere noluerunt, & periculum actu ſubeunt, vel damnum patiuntur, aut dant aliis, quoniam in hoc caſu facilius evitari poterat culpa. In caſu dato ſatis perſpicaces ſunt homines, etſi non idem acumen probent in generalibus. Unde theorias haud raro ſublimes notionibus communibus conformes deprehendere licet.

§. 769.

Cauſa deficientis in dato caſu principii actionis dijudicandæ.

Si ad actionem vi circumſtantiarum præſentium determinatam animum advertimus, nec ſuccurrit principium, vi cujus judicium verum de actionis bonitate vel malitia colligitur; aut principium iſtud ignoramus, aut ejus iterum obliti ſumus, aut ejus recordari non poſſumus. Etenim ſi ad actionem vi circumſtantiarum præſentium determinatam animum advertimus, & nobis fuerit perſpectum principium, vi cujus judicium verum de actionis bonitate vel malitia colligitur; vi imaginationis vel reproducitur idea principio iſti reſpondens, vel reproducuntur ideæ verborum, quibus enunciatur (§. 117 *Pſychol. empir.*), & actu memoriæ certi reddimur, quod iſtud principium alias cognoverimus (§. 175. 173 *Pſychol. empir.*). Quodſi ergo actus imaginationis & cum eo actus memoriæ ceſſat; ratio aliqua adeſſe debet, cur hoc potius non fiat (§. 70 *Ontol.*). Quoniam ei, qui principium ignorat, nulla eſt notio eidem reſpondens (§. 27), imaginationis autem vi non reproducuntur ideæ & notiones, quæ iſtis inſunt, niſi antea perceptæ (§. 117 *Pſychol. empir.*); ſi quis principium actionis dijudicandæ ignorat; eidem nec ſuccurrere poteſt, ubi eodem opus habet, ideoque deficit in caſu dato, quia ipſum ignoramus. *Quod erat primum.*

Quoniam porro qui rei cujuſdam oblitus eſt, ideam ejus vi imaginationis reproducere nequit (§. 216 *Pſychol. empir.*); ſi quis principii dijudicandæ actionis iterum fuerit oblitus, quod cognoverat, actus imaginationis & memoriæ, quo opus eſt, ut præſens ſiſtatur animo principium iſtud, denuo ceſſare debet. Deficit adeo ipſum in caſu dato, quod ejus fuimus obliti. *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi in actionem per circumſtantias caſus præſentis intentis non ſuccurrit

ſuccurrit principium ejus dijudicandæ, quod oblivioni nondum tradidimus; mediatæ reproductioni ideæ eidem reſpondentis, aut ideæ verborum, quibus enunciatur, locus non eſt (§. 229 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum ejus non recordemur, cujus mediata perceptio in noſtra poteſtate non eſt (§. 230 *Pſychol. empir.*); in dato caſu deficit principium dijudicandæ actionis, quia ejus non recordamur. *Quod erat tertium.*

Vidimus in ſuperioribus judicium de actionis culpoſæ malitia deficere, aut ſi agens non habet actionis ſoæ ſufficienter determinatam notionem, aut ſi ipſi deeſt principium, vi cujos judicare poterat, iſtiusmodi actionem eſſe malam, ſeu malum iſtiusmodi ex ea reſulraturum, aut reſultare poſſe, aut ſi neutrum obtinet (§. 728). Ex anterioribus abunde intelligitur, qoanam de cauſa deficere debeat notio actionis ſufficieoter determinata. Quamobrem diſpicieodum quoque erat, quanam de cauſa deficiat principiom actionis dijudicandæ, ut omnis ratio culpæ conſtet, nec in ea rite dijudicanda hæſitemus vel labamur. Ignorantiam eſſe in cauſa, ut de eo non cogitemus, nemo non ſine probatione admittit. Oblivio ignorantiæ æquipollet: etenim noo mious ignoramus ea, quorom iterum obliti ſumus, quam qoæ nonquam didicimus, quemadmodum ex collatione definitionum ignorantiæ (§. 27) & oblivionis (§. 216 *Pſychol. empir.*) ſtatim innoteſcit: & nemo non hoc ipſe confitetur, qui eorum, quæ olim didicit, iterum oblitos eſt. Oblivio itaque ignorantiam priſtinam reducit: ut ideo perinde ſit, ſive aliquid ſemper ignoraverimus, ſive, quod nobis cognitum fuerat, iterum oblivioni tradiderimus. Verſamur in utroque caſu in igoorantia ejus, quod noſſe debebamos, de actione præſenti judicaturi. Qoodſi denique principii iſtius, utut oblivioni nondom prorſus traditi, cum poſthac iterum memoriam noſtram ſubeat; non recordemor, quando eodem habemus opus; quoad caſum præſentem perinde eſt, ac ſi ejusdem eſſemus obliti: conſequenter in ejus etiam ignorantia verſamor quoad caſom præſentem. Quamobrem non minus ob oblivionem & impotentiam recordandi ſeu reminiſcendi, quam ob ignorantiam, deficere debet in caſu dato actionis judicandæ principium.

§. 770.

Quando defectus principii dijudicandæ actionis culpa ſit.

Si principium actionis dijudicandæ in caſu dato deficit ob ignorantiam vincibilem, vel uſu facultatum noſtrarum impediri poterat ejus oblivio, aut recordandi impotentia; defectus iſte culpa eſt. Etenim ſi ignorantia vincibilis eſt, a nobis evitari poterat (§. 28). Et ſi uſu facultatum noſtrarum impediri poterat principii actionis in dato caſu dijudicandæ oblivio aut recordandi impotentia; utraque etiam evitabilis erat (§. 733). Defectus ergo principii actionis in dato caſu dijudicandæ evitabilis. Quamobrem cum defectus hic ſit rectitudinis quoad intellectum (§. 72. 81); defectus principii actionis dijudicandæ in caſu dato eſt defectus rectitudinis actionis quoad intellectum vincibilis. Enimvero defectus rectitudinis actionis quoad intellectum vincibilis culpa eſt (§. 717). Defectus itaque principii actionis dijudicandæ in caſu dato ob ignorantiam vincibilem, vel uſu facultatum noſtrarum non impeditam oblivionem, aut recordandi impotentiam culpa eſt.

Quæ hic de cauſis deficientis principii dijudicandæ actionis in caſu dato dicuntur; vulgo non ſatis attenduntor. Unde nec obſervantur difficultates, quæ in culpa accurate definienda occurrunt. Difficile haud raro eſt judicium de ignorantia, utrum ea ſit vincibilis, necne: ſed multo difficilios eſt, quod ferendum de eo, num uſu facoltatum agentis impediri potuerit oblivio, & multo adhuc difficilius, num eodem impotentia recordandi potuerit impediri. Unde denoo elucet indiſpenſabilis Pſychologiæ cognitio, ſi in moralibus inoffenſo pede progredi volueris. Hinc etiam elucet, nos in præſente theoria de culpa,

quamvis

Digitized by Google

quamvis ampliore, non tradere niſi generalia, quorum ope principiis pſychologiæ adjutus eam ad ſpecialia extendere poterit.

§. 771.

Culpa ex errore vincibili orta.

Si quis errorem vincibilem circa principium dijudicandæ actionis in dato caſu admittit; judicii de actione veri defectus culpa eſt. Etenim cum error vincibilis circa principium dijudicandæ actionis in dato caſu evitari potuiſſet, modo voluiſſet agens (§. 30); judicium quoque falſum de actione evitari poterat. Quamobrem cum defectus judicii veri de eadem ſit defectus rectitudinis quoad intellectum (§. 72. 81), isque vincibilis *per demonſtrata*, defectus autem rectitudinis actionis vincibilis culpa ſit (§. 717); quin defectus judicii veri de actione in caſu dato, ob errorem vincibilem circa principium dijudicandæ actionis, culpa ſit, dubitari haud quaquam poteſt.

Quinam error ſit vincibilis, dijudicandum eſt non in abſtracto, ſed in concreto. Etſi enim ad eum dijudicandum faciat theoria in abſtracto, qua docetur, quomodo non uſu facultatum cognoſcendi incidatur in errorem, & quomodo earundem uſu error evitetur; in concreto tamen deinceps diſpiciendum, an uſus iſte agenti ſit conceſſus, & ubi non conceditur, an id fiat vitio agentis, ita ut non uſus eidem imputari poſſit. Habenda vero hic etiam ratio eſt difficultatis evitandi errorem, non minus in abſtracto quam in concreto, ſpectanda: quæ enim in abſtracto occurrit, in concreto haud raro augetur. Magna hic requiritur attentio cum ad diſpoſitiones naturales, tum ad omnem conditionem agentis, & ſummo acumine opus eſt in expendenda actionum mutua a ſe invicem dependentia. Sed erit aliquando tempus, quo theorias iſtiusmodi delicatas noſtra methodo philoſophaturi condent: neque enim niſi hac via ad ulteriora & hactenus inacceſſa progredi datur. Hæc ideo monemus, ut aliorum excitemus attentionem & juvemus acumen, qui de humano genere bene mereri volunt, ne actum agendo tempus inutiliter terant, quod in augenda ſcientia multo utilius collocare poterant.

§. 772.

Præcipitantia in agendo quid ſit.

Præcipitantia in agendo eſt determinatio ſui ad agendum, ſepoſito omni facultatum cognoſcendi uſu, ad rectitudinem actionis requiſito.

Non eſt quod excipias fieri non poſſe, ut absque uſu facultatum cognoſcendi quis agat: agentem agere velle, voluntatem autem, imo appetitum omnem, non ferri niſi in cognitum (§. 929 *Pſychol. empir.*). Etenim non de omni facultatum uſu hic ſermo eſt, ſed de eo, qui facit, ut recta ſit actio, nec ex parte intellectus ullatenus deficiat. Qui enim de actionum ſuarum rectitudine parum cogitant; hunc uſum ſeponunt, nec niſi per extrinſecas rationes determinantur. Sed hæc ex iis clarius percipientur, quæ de praxi morali ſumus tradituri.

§. 773.

Quænam deficiant in actione præcipitanter agentis.

Si quis ex præcipitantia agit; ex parte intellectus deficit & notio actionis ſufficienter determinata & judicium verum de actionis bonitate vel malitia. Etenim ſi quis ex præcipitantia agit; omnem ſeponit facultatum cognoſcendi uſum ad rectitudinem actionis requiſitum (§. 772), ideoque ex parte intellectus deſideratur, quicquid ad rectitudinem actionis ab ipſo proficiſci poterat. Enimvero ſi in actione libera ex parte intellectus nihil deſiderari debet; recte acturus & notionem actionis ſufficienter determinatam habere debet, & verum ſit neceſſe eſt ejus de bonitate vel malitia actionis judicium (§. 72. 80). Quamobrem ſi quis ex præcipitantia agit; ex parte intellectus & notio actionis ſufficienter determinata & judicium verum de bonitate & malitia ejus deficit.

Qua-

Digitized by Google

Quanam de cauſa homines præcipitanter agant, jam non inquirimus. Pertinent hæc ad ampliorem illam de culpa theoriam, cujus paulo ante meminimus (*not.* §. 771): & quædam huc ſpectantia diſtinctius nobis exponenda erunt, quando, quæ ad praxin ſpectant, ſumus tradituri.

§. 774.

Præcipitantia in agendo culpa eſt, & actio ex præcipitantia agentis culpoſa. *Qualis ſit actio præcipitanter agentis.* Etenim ſi quis præcipitanter agit; & notio actionis ſufficienter determinata, & judicium verum de actionis bonitate & malitia deficit (§. 773), conſequenter quicquid ex parte intellectus ad rectitudinem actionis requiritur (§. 72. 80). Quamobrem cum uſu facultatum cognoſcendi impediri potuiſſet, quo minus actio hoc modo deficeret a rectitudine, modo agens eum non ſepoſuiſſet (§. 772); defectus iſte actionis a rectitudine omnimodus ex parte intellectus vincibilis eſt (§. 743). Quoniam itaque defectus actionis a rectitudine, ex parte intellectus vincibilis, culpa eſt (§. 717); præcipitantia in agendo culpa eſt.

Culpoſa autem eſt actio, quam agens ſua culpa committit, ſive ea poſitiva fuerit, ſive privativa (§. 718). Quoniam itaque præcipitantia in agendo culpa eſt *per demonſtrata*; actio ex præcipitantia agentis culpoſa eſt.

Variæ dantur cauſæ præcipitantiæ in agendo, quæ eam pro diverſitate ſua nunc magis, nunc minus imputabilem faciunt, ita ut præcipitanter agens nunc excuſatius, nunc gravius peccet. Sed hæc ad delicatiorem illam theoriam pertinent, quæ futuris temporibus reſervatur (*not.* §. 771). Plura huc ſpectantia principiorum noſtrorum gnaris offeret ipſe uſus, modo perſpicillis noſtris uti voluerint. Quæ enim nonniſi difficillima meditatione eruuntur; ea haud raro veluti ſponte ſua ſeſe offerunt in obſervando ſollertibus atque acutis. Nonniſi experta loquimur, exemplis plurimis ex omni ſcientiarum genere haud difficulter comprobanda. Sed quæ ſunt hujus generis, ad artem inveniendi ſpectant. Ceterum præcipitantia in agendo hominibus nimis familiaris eſt, præſertim in iis, quæ levioris videntur momenti, ut propterea de exemplis non multum ſit laborandum, ſi qua deſiderentur.

§. 775.

Qui ex præcipitantia agit, incogitans, negligens, inconſideratus, & improvidus eſt. *Qualis culpa ſit præcipitantia.* Etenim qui ex præcipitantia agit, omnem ſeponit facultatum cognoſcendi uſum ad rectitudinem actionis requiſitum (§. 772), ideoque quamvis incurrit culpam (§. 717). Quamobrem cum incogitantia (§. 748), negligentia (§. 758), inconſiderantia (§. 760), & improvidentia (§. 768) culpa ſit; qui ex præcipitantia agit; & incogitans, & negligens, & inconſideratus, & improvidus eſt.

Poterat hoc luculentius oſtendi ex ipſis incogitantiæ, negligentiæ, inconſiderantiæ & improvidentiæ notionibus in anterioribus explicatis, ſi quidem prolixioribus eſſe liceret. Sed non opus eſt, ut in re ſatis manifeſta per haſce ambages incedamus. Ceterum hinc intelligitur, quam ſit nocua agenti præcipitantia in agendo, & quam ſollicite ideo cavenda.

§. 776.

Imprudenter agere dicitur, qui facit, quod vi circumſtantiarum quarundam præſentium potius non facere debebat, vel contra, non facit, quod vi earundem potius facere debebat. Unde ***Imprudentia*** eſt defe- *Imprudentia agentis quid ſit.*

ctus judicii, quid vi circumſtantiarum præſentium fieri conſultius ſit.

Omnis imprudentiæ ratio clarius patebit, ubi de prudentia, quæ in numero virtutum intellectualium eſt, egerimus ſuo loco. Hic igitur ea annotaſſe ſufficiat, quæ culpæ intelligendæ inſerviunt. Ponamus Regem, qui bello ſeſe immiſcet, cum ab eo abeſſe poterat, exhauſto ærario, non ſine ſummo ſubditorum ſuorum detrimento. Imprudenter agere dicitur, quod non perpendit, quæ e re civitatis ſunt. Similiter ſi tu in præſentia Titii ea loqueris de Sempronio, quæ ipſum ægre laturum prævidere poteras; imprudenter agis. In utroque caſu imprudentia conſiſtit in defectu judicii, quid vi circumſtantiarum præſentium fieri debebat.

§. 777.

Qualis actio ſit imprudentis.

Imprudentia culpa eſt, & actio imprudentis culpoſa eſt. Etenim imprudentia eſt defectus judicii, quid vi circumſtantiarum præſentium fieri conſultius ſit (§. 776). Eſt ergo defectus rectitudinis actionis quoad intellectum (§. 81). Et quoniam ſupponitur, uſu facultatum noſtrarum impediri potuiſſe, ne deficeret; vincibilis eſt (§. 743). Quamobrem cum defectus rectitudinis actionis, quoad intellectum vincibilis, culpa ſit (§. 717); imprudentia culpa eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero actio culpoſa eſt, quam agens culpa ſua committit, ſive ea poſitiva fuerit, ſive privativa (§. 718). Quamobrem cum imprudentia culpa ſit *per demonſtrata*; actio imprudentis culpoſa eſt. *Quod erat alterum.*

Nimirum actio imprudentis in ſe nihil habere poteſt vitii, etſi a circumſtantiis quibusdam præſentibus vitii quiddam trahat. Ita Regi bellum inferendi alteri cauſa juſta eſſe poteſt, ideoque bellum in ſe nihil vitii habet. Aſt cum e re civitatis ſit a bello potius abſtinere, quam jus ſuum bello perſequi; illatio belli culpoſa evadit. Similiter quod de Sempronio narres, quæ veritati conſentanea ſunt; nihil in ſe habet vitii. Aſt quoniam tu hoc facis præſente Titio, quem id ægre laturum noſſe poteras; culpoſa evadit actio. Non jam inquirimus, quanam de cauſa homines ſint imprudentes, & quænam culparum præcedentium ſpecies in eandem influant: de his enim diximus ſuo loco (*not.* §. 776). Imprudentiæ hic tantummodo mentionem facere debuimus, quia auctores, ubi de culpa agunt, eidem quoque imprudentiæ nomen tribuunt: quamvis quæ diverſa ſunt, a ſe invicem non diſtinguant, pro ſynonymis habentes diverſas culpæ ſpecies.

§. 778.

Incuria quid ſit.

Incurioſus dicitur agens, ſi de rectitudine ſuarum actionum prorſus non ſollicitus eſt. Unde *Incuria* eſt abſentia omnis ſollicitudinis de rectitudine actionis.

Vernacula dicere ſolemus: *Er bekümmert ſich gar nicht darum, was er thut.* Incurioſo nimirum perinde eſt, quidquid agat, modo ipſi commodum videatur hoc agere. Ea agit, quorum occaſio ipſi offertur, parum ſollicitus, quid ex actione ſua ſit reſultaturum. Imo de hoc admonitus reſpondet, ſe ea nihil curare, facere ſeſe, quod volupe eſt.

§. 779.

Quænam in actione per incuriam agentis deſiderentur.

Si quis incurioſus in agendo; & notio actionis ſufficienter determinata, & judicium verum de actionis bonitate & malitia deficit. Etenim qui in agendo incurioſus eſt; de rectitudine actionis prorſus non ſollicitus eſt (§. 778): conſequenter nec in eam inquirit, dum agit. Quamobrem cum ad rectitudinem actionis requiratur notio ſufficienter determinata & judicium verum de actionis bonitate & malitia (§. 80); nec in notionem actionis ſufficienter determinatam inquirit, nec de actionis, qualis hic & nunc

nunc patranda, bonitate & malitia conforme notioni iſti judicium format. Deficit igitur & notio actionis ſufficienter determinata, & judicium verum de actionis bonitate & malitia.

Patet inde incuriam in agendo reddere hominem & incogitantem (§. 748), & inconſideratum (§. 760): unde porro oritur Improvidentia (§. 764). Patet porro, quod facile locum faciat incuria præcipitantiæ in agendo (§. 772) & comitem habeat imprudentiam (§. 776). Non opus eſſe exiſtimo, ut hæc prolixius demonſtrentur, quæ ex collatione definitionum unicuique vel parumper attento ſtatim manifeſta ſunt.

§. 780.

Qualis ſit actio per incuriam agentis.

Incuria culpa eſt, & actio per incuriam agentis culpoſa eſt. Etenim ſi quis in agendo incurioſus eſt; & notio actionis ſufficienter determinata, & judicium verum de actionis bonitate & malitia deficit (§. 779). Quamobrem cum notio actionis ſufficienter determinata & verum de ejus bonitate atque malitia judicium ad rectitudinem actionis requiratur (§. 80) & quidem ex parte intellectus (§. 72); actio per incuriam agentis deficit a rectitudine ex parte intellectus. Quoniam vero ſupponitur, facultatum ſuarum uſu impediri potuiſſe ab agente, ne deficeret, ſiquidem de rectitudine actionis ſuæ ſollicitus eſſe voluiſſet (§. 778); defectus iſte vincibilis eſt (§. 743). Eſt vero defectus rectitudinis actionis, quoad intellectum vincibilis, culpa (§. 717). Incuria igitur in agendo culpa eſt. *Quod erat unum.*

Jam quæ culpa agentis committitur actio; culpoſa eſt, ſive ea privativa ſive poſitiva fuerit (§. 718). Actio igitur per incuriam agentis culpoſa eſt. *Quod erat alterum.*

Quodſi excipias, actionem per incuriam agentis non ſemper eſſe malam, ſed eadem facilitate contingere ut ſit bona, qua eam malam eſſe contingit; dubium hoc idem eſt, quod de incogitantia movimus (*not.* §. 749): ideo, quæ ad idem tollendum in medium attulimus; ea omnia hic quoque locum habent. In primis vero conſiderandum eſt, quod etiam ibidem jam inſinuavimus de incogitantia, nimirum quod ipſa incuria inficiat actionem labe quadam, eamque malam efficiat, cum alias eſſet bona, niſi ex incuria procederet. Ceterum conſtat, jam dudum JCtos incuriam culpæ annumeraſſe, etſi, cum diſtinctis deſtituerentur notionibus, eam perinde ac ceteras culpæ ſpecies nonniſi pro ſynonymo culpæ habuerint: quod etſi in ipſorum foro tolerari poterat, ubi arctioribus multo limitibus culpa conſtringitur, quam in philoſophia practica, nec remedia hujus mali præſcribuntur; in foro tamen philoſophico, ubi ratio judicis munere fungitur; non confundenda ſunt, quæ a ſe invicem differunt, præſertim ob praxin, quæ in Philoſophia practica a theoria nullibi ſeparanda.

§. 781.

Culpæ in abſtracto & concreto differentia.

Culpa in abſtracto eſt, quæ æſtimatur ex non uſu facultatum hominis in genere conſideratarum. *Culpa* vero *in concreto* eſt, quæ æſtimatur ex non uſu facultatum hujus præciſe agentis in individuo.

Diviſio culpæ in culpam in abſtracto & culpam in concreto uſu recepta eſt apud Doctores Juris civilis, & probe attendenda venit. Culpam in abſtracto ſpectamus in theoria, ubi non ſupponimus niſi facultatum humanarum uſum in genere ſpectatum: aſt culpam in concreto conſideramus, quoties judicium ferendum eſt in dato caſu quocunque ſingulari de culpa hujus præciſe agentis in individuo. Dependet potiſſimum culpa, quatenus imputatur agenti, a vincibilitate defectus. Ecquis vero eſt, qui neſciat, defectum rectitudinis actionis quoad intellectum tibi vincibilem haud raro invincibilem eſſe alteri? Multa igitur circumſpectione opus eſt, ne in imputanda culpa a vero aberres. Etſi enim actio externa prorſus eadem fuerit, & utrobique abſit dolus; non tamen culpæ la-

be inficitur in omni agente. Id in primis notare debent, qui nonniſi aliorum judicia in caſu ſimili imitantur, ſimilitudinem actionis perperam vulgo æſtimantes ex identitate circumſtantiarum, per quas determinatur notio actionis.

§. 782.

Culpa media quænam ſit.

Culpam mediam appellare lubet defectum rectitudinis actionis ob exceptionem in caſu colliſionis officiorum minus recte factam. In Receſſu imperii A. 1594 §. 64 *Verſutia* appellatur, quemadmodum & *Zaſio* dicitur. Alii *Culpam propoſiti* vocant.

Exemplum hujus culpæ habemus in l. 7. ff. de dolo malo, ſi quis miſericordia ductus ſolvit ſervum alterius compeditum, ut fugeret. Etenim officium erga alios eſt miſero opem ferre, ut a miſeria liberetur: nec minus officium erga alios eſt, neminem lædere, ſeu in cauſa non eſſe, ut alter rei ſuæ jacturam faciat. Duo hæc officia hic colliduntur. Alterum eſt legis præceptivæ, alterum eſt legis prohibitivæ. Si lex præceptiva & prohibitiva inter ſe colliduntur; prohibitiva vincit præceptivam (§. 210): ideoque exceptio fieri debet contra præceptivam, ut ſatisfiat prohibitivæ. Quamobrem cum tu facias exceptionem contra prohibitivam, ut ſatisfiat præceptivæ; eam minus recte facis: atque ea de cauſa actio tua deficit a rectitudine ob exceptionem minus recte factam: & in hoc culpa conſiſtit (§. 696), quæ nec dolus eſt, cum non habeas animum alterum lædendi, ſeu non intendas, ut alter patiatur jacturam rei ſuæ (§. 656); nec culpa in ſpecie ſic dicta, quia non merus eſt defectus rectitudinis actionis quoad intellectum, ſed aliquis etiam quoad voluntatem adeſt, quatenus ſaltem indirecte intendere ſeu velle debes damnum alterius (§. 621. 623). Patet igitur culpam hanc eſſe medium quid inter dolum & culpam in ſpecie ſic dictam. Et propterea nos culpam mediam appellare voluimus. Quodſi vero *Verſutiam* vel cum aliis *Culpam propoſiti* vocare malueris; per nos licebit: neque enim de eo litigabimus, quænam harum appellationum ſit convenientior. Etſi enim ſæpe conveniant nomina rebus ſuis; non tamen neceſſe eſt ut conveniant ſemper. Similiter culpæ hujus mediæ exemplum eſt, ſi mandatarius ex gratia patitur alium id emere, quod ipſe emere debebat: colliduntur enim hic officium mandatarii & officium aliis gratificandi, quod volunt, ac minus recte contra officium ſpeciale fit exceptio, ut ſatisfiat generali, cui per ipſam mandati naturam ſatisfieri haud quaquam poterat, quemadmodum ſuo conſtabit loco.

§. 783.

Qualis ſit actio ex culpa media commiſſa.

Quod culpa media fit, id fit a ſciente, non tamen directe volente. Quando enim quid fit culpa media; actio deficit a rectitudine ob exceptionem in caſu colliſionis officiorum minus recte factam (§. 782). Quamobrem quoties culpæ mediæ locus eſt; duo ſunt officia, quibus ſimul ſatisfieri nequit (§. 510 *Ontol.*); conſequenter cum contra alterum exceptionem faciat agens; ſcit, quid inde ſequatur, ſi actionem ipſam omittat. Quod igitur culpa media fit, id fit a ſciente. ***Quod erat unum.***

Enimvero quoniam alteri officiorum ſatisfacit; propter id agit, quod ex actione hac reſultat: ideoque hoc directe vult (§. 616. 621. 623): non vero directe vult, quod ex ea actione reſultat, quam omittit (§. *cit.*). Quamobrem quod culpa media fit, non fit a directe volente. ***Quod erat alterum.***

Patet hoc ex allatis paulo ante (*not.* §. 782) exemplis. Etenim ſi ſervum alterius compeditum ſolvis, ut fugiat; noſti utique, alterum facere debere jacturam ſervi ſui, ideoque ſciens agis, quod nocet alteri. Enimvero dum hoc facis miſericordia erga ſervum miſerum ductus; non jacturam rei ſuæ, quam patitur dominus, ſed liberationem hominis miſeri a miſeria ſua directe intendis: ideoque directe non vis, quod nocet alteri. Similiter in altero exemplo evidens eſt, noſſe mandatarium, quod, ſi rem, quam mandanti

emere

émere debet, ab alio emi patiatur; hoc ipſo mandans ea carere debeat, cum intereſſet ne careret: cum tamen hoc faciat, alteri hac re gratificaturus; hoc vult directe, non illud. Vides itaque quomodo culpa media dijudicanda veniat.

§. 784.

Culpa media peculiaris quædam ſpecies eſt culpæ in genere ſic dictæ, diſtincta a Dolo & Culpa in ſpecie ſic dicta. Etenim actio doloſa committitur a ſciente & volente (§. 705); culpoſa nec a ſciente, nec a volente (§. 732); quæ autem culpa media committitur, a ſciente, non tamen directe volente (§. 783). Quamobrem culpa media nec dolus eſt, nec culpa in ſpecie ſic dicta: ſed peculiarem quandam conſtituit ſpeciem culpæ in genere ſic dictæ.

Culpa media peculiaris culpæ in genere ſpecies.

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Culpa media admittitur ob exceptionem in caſu colliſionis duorum officiorum minus recte factam (§. 782), cum dolus ſit defectus rectitudinis actionis quoad voluntatem (§. 701), culpa vero quoad intellectum (§. 717). Differt igitur defectus ille rectitudinis actionis a dolo atque culpa: ideoque peculiarem culpæ in genere ſic dictæ ſpeciem conſtituit (§. 712 *Log.*).

Vulgo culpa in genere dividitur in dolum & culpam pro duplici numero facultatum animæ, quæ in actiones humanas influunt: & culpam mediam vel cum culpa in ſpecie ſic dicta in unum confundunt, vel pro peculiari ſpecie culpæ in ſpecie ſic dictæ habent. Utrique veritatem minime aſſequuntur, ſed a ſcopo aberrant. Eſt enim culpa media culpæ in genere ſic dictæ ſpecies perinde ac dolus & culpa in ſpecie ſic dicta, quæ cum hiſce duabus ſpeciebus, tanquam tertia, eidem generi ſubſtat. Non eſt ſolus defectus rectitudinis quoad intellectum, quemadmodum culpa in ſpecie ſic dicta, nec ſolus defectus quoad voluntatem, quemadmodum dolus; ſed ab utroque participat. Unde ſubinde propius accedit ad dolum, ſubinde propius ad culpam in ſpecie ſic dictam. Quamobrem & JCti Romani nunc eam dolo æquipollere affirmant, nunc dolum non eſſe contendunt. Ne igitur in caſu particulari in difficultates incidas inexplicabiles; probe notandum eſt, culpam mediam peculiarem eſſe culpæ in genere ſic dictæ ſpeciem. Equidem & ſubinde in dolo non directe intenditur, quod ex actione reſultat, malum, ſed indirecte tantummodo: directe tamen intenditur minus. Enimvero in culpa media malum prorſus nullum directe intenditur. Unde in dolo adeſt animus lædendi alterum, ubi malum infertur alteri; in culpa media animus lædendi abeſt.

§. 785.

Agens *mereri* dicitur id, ad quod alii ob actiones bonas, vel patratas, vel quas patrare poteſt, ipſi obligantur, & ad quod patiendum ab aliis ob actiones ſuas malas ipſe obligatur. Unde *Meritum* quoad actiones bonas eſt jus ad id, ad quod alii ob eas ipſi obligantur; quoad malas vero obligatio patiendi id, ad quod faciendum aliis ob easdem jus eſt. Vocatur meritum in caſu poſteriori etiam *Demeritum*.

Meritum & Demeritum quid ſit.

Notio meriti vulgo aut non explicatur, aut explicando magis intricatur. Ubi vero animum advertimus ad exempla, omnia perſpicua ſunt, & definitiones noſtras uſui loquendi eſſe conformes apparet. Agedum itaque demus exempla! Qui ſtudiis diligenter operam navat; laudem mereri dicitur. Alii obligati ſunt ad laudandam diligentiam ſtudioſi: ideoque ipſi jus competit, etſi imperfectum, ad laudem. Et in hoc jure meritum ipſius conſiſtit. Similiter operario ad ſolvendam mercedem perfecte obligatur, qui ejus operam conduxit: ideoque eidem competit jus perfectum exigendi mercedem. Et ideo mercedem mereri dicitur: & in hoc jure meritum ipſius conſiſtit. Qui muneri alicui cum laude præeſſe poteſt; ei obligatur civitas ad ipſum in eundem conferendum, etſi imperfecte.

Digitized by Google

fecte. Competit ergo jus petendi, ut ſibi conferatur. Ac ideo mereri dicitur, cui præ aliis conferatur, & in jure, quod ipſi eſt, meritum ejus conſiſtit. Ecce tibi exemplum, in quo meritum reſpicit actiones non patratas, ſed eas, quæ ab agente patrari poſſunt. Ex adverſo fur ob furtum, quod commiſit; e patibulo ſuſpendi meretur. Etenim civitati competit jus puniendi hoc delictum: & fur obligatur ad pœnam iſtam ſubeundam. Ejus ergo meritum conſiſtit in obligatione ad id patiendum, ad quod faciendum aliis jus eſt. Equidem haud raro dicere quoque ſolemus, hominem mereri ſecundam vel adverſam fortunam, rationis loco allegantes actiones ipſius, vel habitus, unde eædem fluunt: enimvero in hiſce locutionibus aliquid fictitii ſubeſt. Fingimus enim fortunam inſtar entis intelligentis, quod bona & mala immittat hominibus, & eam obligari ad benefacientibus immittendum bona, ad malefacientibus vero inferendum mala, conſequenter ei non eſſe jus ad benefacientes malis afficiendos exiſtimamus. Et hiſce notionibus convenienter affirmamus, bene agentem mereri fortunam ſecundam, male vero agentem fortunam adverſam, ut in priori caſu meritum conſiſtat in jure benefacientis ad bona, quæ fortuna confert; in poſteriori autem in malefacientis obligatione ad patiendum, ut fortuna ipſi ſit adverſa. Vides igitur, definitione noſtra diſtincte explicari, quod notione confuſa meriti, qua in judicando utuntur communiter omnes, continetur. Quænam vero ſint ea, quæ agens meretur ob actiones ſuas, ſive quas actu patrat, ſive quas patrare poteſt; ex tractatione ſpeciali omnium jurium & obligationum, quæ in hominem cadunt; ſuo loco eluceſcet.

Finis Partis Primæ Philoſophiæ Practicæ Univerſalis.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITUM,

CONSPECTUM EXHIBENS TOMI I PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ UNIVERSALIS.

Prolegomena. 1

CAPUT I.

De differentia actionum humanarum, 6

CAPUT II.

De obligatione ac Lege naturali, 56

CAPUT III.

De Deo Legis naturæ auctore, Præmiis & Pœnis, 118

CAPUT IV.

De Virtute & Vitio, Beatitudine & Felicitate hominis, 140

CAPUT V.

De Conſcientia, 176

CAPUT VI.

De Imputatione morali, Dolo, & Culpa, 218

Finis Conſpectus totius Operis.

INDEX

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,
In quo Numeri Paragraphos denotant.

A

Acuſatio conſcientiæ. Definitio, 472. quinam ab ea liber, 473. 481. quibus metuenda, 474. quando metuenda, 477. 478. quinam ſit ejus effectus, 483. quid eam comitetur, 482. quando eam comitetur pudor, 485. metus, 489. deſperatio, 490. ira, 491. quando triſtitiam augeat, 486. 492. quod hominem reddat infelicem, 493

Acquieſcentia in ſeipſo quando conſcientiam comitetur, 467

Actio quænam ſit intrinſece bona, 103. intrinſece mala, 106. per ſe appetibilis, 104. per ſe averſabilis, 107. per ſe imputabilis, 644. in ſe non imputabilis, 594. quando per ipſam eſſentiam & naturam hominis rerumque bona, 125. & mala, 126. quænam hominem maxime deceat, 199. quænam determinari poſſit per motiva ab attributis divinis deſumta, 253. qualis ex virtute procedat, 330. quando voluntati divinæ conformis, 278. quomodo ad voluntatem Dei componatur 278. qualis ſit, quæ metu & vi extorquetur, 584. qualis ſit pœnæ tantummodo metu agentis, 585

Actiones, ad quas homo per eſſentiam & naturam ſuam obligatur, 127. 128. ex habitu profectæ quænam liberæ, 35. ex diſpoſitione fluentes quænam liberæ, 33. quando non ſint rectæ, 349. quando non procedant ex virtute, 350. quomodo legi naturæ convenientes determinentur, 150

Actionum convenientia & disconvenientia cum natura humana num ſit principium juris naturalis, 188. dependentia remota a libertate num in moralibus attendenda, 29

notio ſufficienter determinata, 71. principium dijudicandi cur in dato caſu deficiat, 769. quando culpa agentis deficiat, 770

imputatio. Definitio, 527. quænam imputentur, 528. 595. quænam non imputentur, 529. cur imputentur, 592. quibusnam imputari nequeant, 566. & ſeqq. quando imputentur ob diſpoſitionem agendi, 558. quando ob ejus defectum, 559. quando ob habitum acquiſitum, 555. quando ob deficientem, 556. quando ob amiſſum 560. quando ob defectum attentionis, 564. quando ob memoriam læſam, 577. quatenus imputantur obligationi ſuæ ſatisfacienti, 614. quatenus non imputantur, 613. quatenus imputantur quoad rectitudinem, 691. 694. quantum imputantur metu pœnæ agenti, 590. quando homo ſibi imputat proprias, 599. quando non imputat, 600. cur legi naturæ conformes & difformes imputentur, 596. quando imputentur, 597. ad quidnam imputentur, 643. intrinſeca differentia unde oriatur, 112

Actiones apparenter bonæ cur per ſe appetibiles non ſint, 112

apparenter malæ cur per ſe averſabiles non ſint, 112

Actiones bonæ quomodo determinentur, 54 undenam ſint tales, 55. num bonarum & malarum differentia ab atheo admittenda, 147

Actiones brutorum quando homini imputentur, 535. 537. quando imputari nequeant, 536

Actio coacta. Definitio, 579. quænam dici nequeat, 580. num imputari poſſit, 586. cui imputetur, 587

Actio culpabilis. Definitio, 692

Actio culpoſa. Definitio, 718. qualis ſit, 723. a quonam committatur, 732. quos habeat effectus, 725. 726

Actio in ſe bona. Definitio, 56. cur habeat bonitatem intrinſecam, 62. quomodo ſe habeat ad appetitum, 96

Actio in ſe indifferens. Definitio, 60. quando bona vel mala fiat, 61. quomodo fiat intrinſece bona, 62. & mala, 63. quomodo ſe habeat ad noluntatem, 98. quomodo ad appetitum, 113. quando fiat per ſe appetibilis, 100. quando per ſe averſabilis, 102. quando

quando decora & indecora, 202

Actio in ſe mala. Definitio 58. cur malitiam intrinſecam habeat, 63. quomodo ſe habeat ad voluntatem, 97

Actio intrinſece bona quomodo ſe habeat ad voluntatem, 99. qualia habeat præmia, 319. cur una cum omnibus conſentiat, & naturalibus actionibus conſentiat, 334

Actio intrinſece mala quomodo ſe habeat ad voluntatem, 101. quales habeat pœnas, 320

Actio invita. Definitio, 585. num imputetur, 589

Actio lege naturæ præcepta quomodo conveniat cum natura humana, 188. quo reſpectu ſit decora, 197

Actio decora a virtute non ſeparanda, 335

Actio deliberata. Definitio, 601. num omnis eodem gradu libera, 606. cur magis imputetur indeliberata, 607

Actio doloſa. Definitio, 702. requiſita, 705. effectus, 706. 707. qualis ſit, 703

Actio externa quando legi conformis non ex virtute procedat, 347

Actio humana ex quibus actibus conſtet, 70. ubi ejus Theoria generalis tradatur, 7

Actio impoſſibilis cur non imputetur, 565

Actionum imputabilium extenſio, 593. imputandarum principium generale. 595

Actio ignorantis & errantis num imputabilis. 553. 554

Actio inanimatorum quando homini imputetur, 538. 539. quando imputari nequeat, 540

Actio incogitantis qualis ſit, 749

Actio inconſiderati qualis ſit, 761

Actio inculpabilis quænam ſit, 698

Actio indeliberata. Definitio, 603. ſpecies, 604

Actio lege naturæ prohibita cur diſconveniat cum natura humana, 188. quo reſpectu ſit indecora, 198

Actio lege permiſſa num ſit officium, 228. quo reſpectu ſit decora, 197

Actio libera. Definitio, 32. quando ad perfectionem hominis tendat, 49. quando ad imperfectionem, 49. quomodo intrinſece differant, 53. quoad nos, 50. & quoad ſtatum externum, 52. quando tendens ad ſtatus externi perfectionem ad noſtri perfectionem tendat, 52. quomodo dijudicetur, 70. quænam requirat ex parte intellectus, 72. quænam ex parte voluntatis, 73. quænam ex parte noluntatis, 74. quænam ex parte facultatis locomotivæ, 75. quando facultati cuidam contradicat, 78. quando cum ceteris omnibus & naturalibus conſentiat, 114. cur imputetur, 528

Actio mala quomodo determinetur, 54. undenam ſit, 55

Actiones naturales. Definitio, 12. cur imputari nequeant, 529. quomodo fiant imputabiles, 534. determinatio cum liberis per eaſdem rationes finales, 47. 48. per diverſas, 47

Actiones neceſſariæ. Definitio, 32

Actio obligationi contraria quatenus imputetur, 615

Actio poſitiva. Definitio, 24. quando ob defectum attentionis libera, 44

Actio privativa. Definitio, 24. quando ob defectum attentionis libera, 44

Actio permiſſa quamnam habeat obligationem, 590

Actio per ſe appetibilis qualis ſit, 105
averſabilis qualis ſit, 108. quænam ſit, 107
bona quænam ſit, 174. 175
mala quænam ſit, 176. 177

Actio recta, Definitio, 64. requiſita, 80. ad quonam libera eſſe debeat, 79. lege naturæ præcepta, 189. cur hominem maxime deceat, 199. cur maxime decora, 201

Actio minus recta. Definitio, 64. cur hominem maxime dedeceat, 200. cur indecora, 201

Actio voluntaria. Definitio, 583. quando ſit talis, 584

Actus obligatorius. Definitio, 121

Adjuvanti cur factum alienum imputetur, 672

Æquum. Definitio, 240. in quibus actionibus ſpectetur, 241. cuinam obligationi conveniat, 243. num in hypotheſi athei ſubſiſtat, 246

Ætas cur in imputationem influat, 682. 686

Amor inſanus num actiones efficiat non imputabiles, 575

Amor virtutis ab ea inſeparabilis, 351. quosnam habeat effectus, 352

Animus quietus undenam ſit, 484. 498
inquietus undenam ſit, 484

Appetibilitas actionum apparenter bonarum, 110. in ſe bonarum, 96. intrinſece bonarum, 99. in ſe indifferentium, 113. boni apparentis, 109

Appetitio ſenſitiva qualis ſit actio, 15. quando libera, 41. quando ex parte libera, 42. quando imputetur, 562. 563

Appetitus quando fortior, 343

Appetitus ſenſitivus num hominem ſubjiciat agendi neceſſitati, 55. quod ad concordiam cum rationali reducendus, 40. quando ad rectitudinem actionis humanæ concurrat, 92

Appetitus rationalis actus quales ſint, 13

Approbanti cur factum alienum imputetur, 673

Approbatio actionis coactæ cur imputetur, 588
Artificia artis inveniendi in moralibus & politicis ubi tradantur, 11
Athens an admittat imputationem actionum legi naturæ conformium & difformium, 645
Attentio quando ſit actio libera, 19. quando imputetur, 544
Attentionis directio quando libera, 18
Averſabilitas actionum in ſe malarum, 97. intrinſece malarum 101. in ſe indifferentium, 113. mali apparentis, 111
Averſatio quomodo fiat fortior, 343
Averſatio ſenſitiva num hominem ſubiiciat agendi neceſſitati, 15. quando ad rectitudinem actionum concurrat, 93
Averſatio ſenſitiva qualis ſit actio, 35. 38. ad concordiam cum rationali reducenda, 40. quando imputetur, 561. 563. quando libere ceſſet 40. quando ex parte libera, 43
Averſationis rationalis actus quales ſint, 13
Auctor legis. Definitio, 271

B

Beatitudo philoſophica. Definitio, 374. a virtute non ſeparanda, 381
Bona quænam hominem reddant felicem, 402
Bona corporis num hominem reddant felicem, 411. 416
Bona fortunæ an felicitati obſtent, 413
Bona phyſica ex actionibus hominum neceſſario reſultantia num ſint præmia, 310. ea nexu rerum reſultantia num ſint præmia divina, 313. qualia ſint præmia, 317. quando præmia non ſint, 315. quem uſum moralem præbeant hominibus malis, 215
Bonitas actionum undenam ſit, 55. qualis ſit earum, ad quas lex naturæ nos obligat, 153
Bonitas actionum in ſe bonarum undenam ſit, 423
indifferentium undenam ſit, dum bonæ fiunt, 123
Bonitas intrinſeca actionis. Definitio, 57. unde pendeat, 57. 124. quibusnam actionibus competat, 103. a quo non agnoſcatur. 360
Bonum apparens cur non appetatur, 109
verum quando tanquam apparens ſpectetur, 75
Bruta cur careant conſcientia, 453. cur ipſis non imputentur actiones, 530

C

Cauſa libera. Definitio, 526
Caſualis effectus num imputari poſſit, 638. 639. 640.
Circumſtantiæ particulares cur notionem actionis ſufficienter determinatam ingredi debeant, 746
Coacta actio. Definitio, 578. Vide *actio coacta.*
Coacta paſſio. Definitio. 578
Cognatio quomodo influat in imputationem, 682. 686
Cognitio qualis hauriatur ex philoſophia practica univerſali, 5
Colliſio legum naturalium, 206
Comate vigili laborantibus num imputentur actiones, 573
Comatis vigilis exempla ſingularia, 573
Conductori cur imputetur factum alienum, 653
Conſenſus. Definitio, 658
Conſenſus alterius requiſitio. Definitio, 658
Conſenſus actionum ad virtutem requiſitus, 332
Conſenſus actionum intrinſece bonarum inter ſe & cum naturalibus, 114
Conſenſus appetitus ſenſitivi cum rationali quid faciat ad actionem rectam, 92
Conſenſus expreſſus. Definitio, 660
Conſenſus tacitus. Definitio, 660. num ſit verus, 662. unde colligatur, 663. 664. 667
Conſentienti num factum alienum imputetur, 671
Conſilium danti num factum alienum imputetur, 674
Conſcientia. Definitio, 417. notio imaginaria, quæ vulgo eſt, 487. quomodo ab altero dependeat, 437. quando probabilis, 427. quid ſupponat, 428. quando nos excuſet, 464. 465. quando accuſet, 475. 476. 478. 480. quando animum reddat quietum, 484. quando inquietum, 484. quando non 498. quando hominem reddat infelicem, 493. quando mordeat, 494. quando dormitet, 499. quando evigilet, 501. cur evigilet, 502. quando nos damnet, 504. 517. quando non, 518. quando abſolvat, 504. quando tranquilla, 511. quando inquieta eſſe nequeat, 513. quando hominem infelicem reddat, 514
Conſcientiæ actus quomodo diſtincte explicabilis, 431
Conſcientiæ dependentia a ratione, 452
Conſcientiæ nullius homo. Definitio, 437
Conſcientia antecedens. Definitio, 422. quando cum conſequente eadem, 462
Conſcientia bona. Definitio, 525
Conſcientia certa. Definitio, 420. quomodo acquiratur, 459
Conſcientia completa. Definitio, 422. quando homo contra eam agat, 435. quando contra eam agere nequeat, 436
Conſcientia conſequens. Definitio, 422
Conſcientia dubia. Definitio, 420. quomodo periculum peccandi pariat, 447. cur peccatum pariat, 448. quando conſcientioſo repu-

repugnet, 449
Conſcientiæ damnantis effectus, 515. 510
Conſcientia erronea. Definitio, 419. quando peccatum pariat, 446
Conſcientia incompleta. Definitio, 425. quando homo contra eam agat, 434
Conſcientia libera. Definitio, 426
Conſcientia mala. Definitio, 525
Conſcientia practica. Definitio, 423
Conſcientia practice practica. Definitio, 424
Conſcientia probabilis. Definitio, 420
Conſcientia recta. Definitio, 419. quod rationi conformis, 457. quomodo agnoſcatur, 458
Conſcientiæ ſcrupuli. Definitio, 421
Conſcientia ſerva. Definitio, 426
Conſcientiam ſopire quid ſit, 503
Conſcientia tranquilla. Definitio, 505
Conſcientia theoretica. Definitio, 423. quando homo contra eam agat, 433
Conſcientia theoretice practica. Definitio, 424. quod cum theoretica conſentiat, 432. quando homo contra eam agat, 433
Conſcientioſus. Definitio, 437. quando contra conſcientiam agere videatur, 438. quando legem transgrediatur, 439. quando ſecundum conſcientiam agens peccet, 441. quod conſcientia fruatur libera, 450. quod dubia nil agat, 451. quod obligationi conſcientiæ ſatisfaciat, 523. cur ſecundum conſcientiam rectam agere teneatur, 524
Convenientia cum voluntate divina num ſit principium juris naturalis, 284
Conſultationis ſpecies, 602
Cuſtodia conſcientiæ. Definitio, 519
Cuſtodia legis. Definitio, 338. neceſſitas, 399. quod ſit contraria transgreſſioni legis, 340. quid præſtet, 376. 378. 379. 396. & ſeqq.
Culpa in genere. Definitio, 696. cur imputetur, 700
in ſpecie. Definitio, 717. cur imputetur, 722. cur habeat gradus, 759. an adverſus ſeipſum committatur, 724. cur intentionem mali excludat, 730. 731. quando defectui attentionis tribuenda, 747
Culpa commiſſionis in genere. Definitio, 720
in ſpecie. Definitio, 719
Culpa in abſtracto. Definitio, 781
in concreto. Definitio, 781
Culpa lata in ſenſu JCtorum, 759
levis, 759
leviſſima, 759
Culpa media. Definitio, 782. quod ſit peculiaris ſpecies culpæ in genere, 784. a quonam committatur, 783
Culpæ omnis ſenſus quando abſit, 699
Culpa propoſiti quænam a nonnullis dicatur, 782
Culpæ commiſſio. Definitio, 718

D

DEbitum. Definitio, 170
Decreti executio. Definitio, 635
imputatio, 637
Decorum. Definitio, 194
Decori lex naturalis quod detur, 204
Decorum arbitrarium. Definitio, 196
Defectus quinam ab actione recta abeſſe debeant, 79
Defectus rectitudinis actionis in quo conſiſtat, 81
Defectus vincibilis rectitudinis actionis. Definitio, 692. cur imputetur, 693. quantum imputetur, 695
Defectus invincibilis rectitudinis actionis. Definitio, 690. cur imputari nequeat, 693
Delirantibus num imputentur actiones, 576
Demeritum. Definitio, 785. in quo proprie conſiſtat, 785
Demonſtrationis uſus quoad conſcientiam, 459. 460
Deſperatio quando accuſationi conſcientiæ ſuperaccedat, 490
Determinatio actionum liberarum quænam eſſe debeat, 47. 48. 49
Deus auctor legis naturalis, 273. legislator legis naturalis, 274. auctor obligationis naturalis, 275. qualem homini legem præſcribere potuerit, 282. num legi naturæ contraria præcipere queat, 283
Dignitas agentis cur influat in imputationem, 682. 686
Diligentia. Definitio, 751. gradus, 752. 756. quænam ſumma, 753. quando ſumma utatur agens, 755
Diligentia maxima in ſenſu JCtorum, 756
media, 756
infima, 756
Directio actionum ad manifeſtationem gloriæ divinæ num ſit legis naturalis, 254. juxta naturæ legem facta quando infirmitati naturali obnoxia, 371
Diſſenſus. Definitio, 659
Diſſenſus expreſſus. Definitio, 661
Diſſenſus tacitus. Definitio, 661. num ſit verus diſſenſus, 662. unde colligatur, 665. 666. 668
Diſſuadenti cur imputetur factum alienum, 655
Dolus. Definitio, 701. in quibus actionibus ſpectetur jure civili, 704. an adverſus ſeipſum committi poſſit, 704. cur imputetur, 708. quantum imputetur, 709. 710. num ex propoſito committatur, 712

Dolus bonus. Definitio, 711
Dolus clandeſtinus ſeu *non manifeſtus*. Definitio, 715. cur magis imputetur manifeſto, 716
Dolus commiſſionis. Definitio, 721
Dolus ex re. Definitio, 713. quod committatur ex propoſito, 714. num a dolo ex propoſito diſtinguendus, 712
Dolus ex propoſito. Definitio, 713
Dolus malus. Definitio, 711. exempla, 711
Dolus manifeſtus. Definitio, 715
Dolus omiſſionis. Definitio, 721
Doli commiſſio. Definitio, 702

E

E*Rror* quando imputetur, 551. quando imputari nequeat, 552. quando ſit culpa, 771
Error invincibilis. Definitio, 30. undenam ſit, 742. cur non imputetur, 552
Error vincibilis. Definitio, 30. qualis ſit actio, 31. cur imputetur, 551. quandonam ſit, 740. undenam ſit, 741
Exceptio quando circa leges naturæ fieri debeat, 207. quomodo fieri debeat, 210 & ſeqq.
Executio decreti. Definitio, 635. cur imputetur, 636
Executio propoſiti. Definitio, 635. cur imputetur, 636
Excuſatio conſcientiæ. Definitio, 463. quando habeat locum, 464. quod ſit cauſa felicitatis, 495. quod a morſibus conſcientiæ immunem præſtet, 496. quoſnam habeat effectus, 468. 510. qualis ſit in probabilibus, 466. qualem habeat comitem, 467. quando tædium tollat, 469. quando affectus gloriæ eidem jungatur, 470. quando gaudium augeat, 471
Evitabile quidnam nobis ſit, 733

F

F*Acti alieni imputatio*. Definitio, 649. quando fiat, 653. & ſeqq.
Facti alieni imputandi principium generale, 650. gradus undenam ſint, 651. 652
Factum commiſſionis. Definitio, 24
Factum culpabile. Definitio, 697
Factum culpoſum. Definitio, 718
Factum doloſum. Definitio, 702
Factum omiſſionis. Definitio, 24. quando actio libera, deficiente habitu, 36. neglecta diſpoſitione, 34. & habitu acquiſito, 37
Facultas locomotiva. Definitio, 66
Felicitas virtutis indivulſa comes, 400. quænam ejus cauſa, 495. quomodo acquiratur, 396. 398. & conſervetur, 397. quando omittatur, 401. quando ſit apparens, 392
Felix quinam ſit, 395. quinam eſſe nequeat, 403. quali voluptate fruatur, 390. a quo metu liber ſit, 391
Finis quod intendatur, 617. 620. quomodo intendatur 622. 630. cur primus in intentione, 631
Fortuna num imputari poſſit, 641
Fortunæ bona num hominem reddant felicem, 410. 416
Fortunatus. Definitio 409. num ſit felix, 412
Furioſis cur actiones non imputentur, 567

G

G*Audium* ſummi boni comes, 394
Gaudium virtuoſi in ſervanda lege, 348
Gloria quando excuſationi conſcientiæ jungatur, 470
Gloriæ divinæ illuſtratio lege naturæ præcepta, 250
Graduum culpæ fundamentum, 709
Graduum diligentiæ fundamentum, 756
Graduum imputationis principia generalia, 680. 681. 682. 684. 685
Graduum imputationis facti alieni principia generalia, 687. 688. 689. 690
Graduum negligentiæ fundamentum, 756
Grotii definitio de jure naturæ examinatur, 135

H

H*Omo* quando ſibi ipſi lex ſit, 268
Honeſtum. Definitio, 170. num in hypotheſi athei ſubſiſtat, 246
Honeſtus. Definitio, 171

I

I*Gnorantia*. Definitio, 27. quando imputetur, 549. quando imputari nequeat, 550
Ignorantia compoſita quid ſit, 30
Ignorantia invincibilis. Definitio, 28. undenam ſit, 739. cur non imputetur, 550
Ignorantia vincibilis. Definitio, 28. quandonam ſit, 735. undenam ſit, 736. num actionibus liberis accenſenda, 22. cur imputetur, 549
Illicitum. Definitio. 170
Imaginationis actus quando liberis actionibus accenſendi, 20. 21. 22. quando imputentur, 545. non actus quando iiſdem accenſendi, 26. quando imputentur, 548. concurſus ad actionis notionem ſufficienter determinatam, 90. concurſus ad judicium de actionis bonitate & malitia, 91
Impedimentorum theoria generalis ubi tradatur, 9
Impotentia agendi. Definitio, 734. quando imputetur, 568

Impotentia naturalis. Definitio, 369
Improvidentia. Definitio, 764. num ſit culpa, 768. cauſa ſingularis, 767
Improvidus quomodo agat, 765. 768. quinam ſit, 766
Imprudentia. Definitio, 776. num ſit culpa, 777
Impudentis actio qualis ſit, 777
Imputatio actionis. Definitio, 527. requiſita, 528. 592. principium generale, 591. extenſio, 593. ad quidnam fiat, 643. quænam in hypotheſi athei ſubſiſtat, 645. cognitio mathematica num poſſibilis, 608
Imputationis graduum principia, 606. 607. 609. & ſeqq.
Imputationis majoris fundamentum, 606
Imputationis actionum brutorum & rerum inanimatarum principium generale, 541
Imputatio actionum quoad obligationes & jura, 648. actionum legi naturæ conformium & difformium quoad præmia & pœnas, 646. poſitivæ conformium & difformium quoad eadem, 647. actuum imaginationis, 545. & memoriæ, 546. attentionis, 544. oblivionis, 547. ſenſationum, 542. 543
Imputationis facti alieni quoad gradus principium generale, 687
Imputatio moralis. Definitio, 642
phyſica. Definitio, 642
Imputativitas. Definitio, 533. quomodo innoteſcat, 598
Imputativitas actionum naturalium, 534. legi naturæ conformium & difformium qualis ſit, 614
Incogitantia. Definitio, 760. num ſit culpa, 761
Inconſiderantia. Definitio, 760. num ſit culpa, 761. in quonam proprie conſiſtat, 763
Inconſiderati theoria, 762
Incuria. Definitio, 778. num ſit culpa, 780
Incurioſi actio qualis ſit, 779. 780
Indecorum. Definitio, 295
Indigentia hominum, 220
Inducenti alterum cur imputetur factum alienum, 653
Inevitabile quidnam nobis ſit, 733
Infantes cur conſcientiæ actus non eliciant, 454
Infantibus cur actiones non imputentur, 567
Infelicitas vitii comes, 406. a ſummo malo inſeparabilis, 407
Infelicitatis cauſæ, 405. 408. 493. 514
Infirmitas naturalis. Definitio, 370. quando locum habeat, 371. quando non, 373. cur hominem reddat infelicem, 408.
Inhoneſtum. Definitio, 171. num in hypotheſi athei ſubſiſtat, 171
Iniquum. Definitio, 239. in quibusnam actionibus ſpectetur, 241. cuinam obligationi repugnet, 242. num in hypotheſi athei ſubſiſtat, 246
Injuſtum. Definitio, 239. cuinam obligationi repugnet, 242
Inquietudo conſcientiæ. Definitio, 505. quomodo a morſibus differat, 508. 509. quomodo evitetur, 510
Intellectus in judicando liber non eſt, 32
Intellectus operatio quando libera, 32. quando imputetur, 557
Intentio agentis. Definitio, 616. num imputetur, 618. quænam magis imputetur, 626. differentia a propoſito, 633. a decreto, 634. defectus in culpa, 730
Intentio directa. Definitio, 621
Intentio indirecta. Definitio, 621. num imputetur, 625
Intentio immediata. Definitio, 627. num imputetur, 628
Intentio mediata. Definitio, 627. relatio ad immediatam, 629. num imputetur, 628
Intentio primaria. Definitio, 619
ſecundaria. Definitio, 619
Invita actio. Definitio, 581
Inutile. Definitio, 262
Inutilitas. Definitio, 262
Ira quando conſcientiam comitetur, 491. 516
Jubenti cur factum alienum imputetur, 654. 656
Judicium de actione patranda quale ſit, 430. quando falſum, 84. 85. quando caſu verum, 87. de actionis bonitate & malitia quando ab imaginatione dependeat. 91. de actionis malitia quando deficiat, 728
Judicium caſu verum. Definitio, 86. cur detur, 86
Judicium culpoſe agentis quale ſit, 727. qua de cauſa ſit falſum, 729
Judicium practicum. Definitio, 418
theoreticum. Definitio, 418
Jus. Definitio, 156. quale homini det lex naturæ, 158. num ex ſola utilitate ſit conſtitutum, 266. quodnam homini naturaliter competat in actiones alterius, 234
Jure quando quid agamus, quando nullo, 157
Jus Gentium quodnam dicatur JCtis Romanis, 162
Jus imperfectum. Definitio, 237
Jus naturæ. Definitio, 160. quando ad actiones alterius nullum, 233. quodnam dicatur JCtis Romanis. 126
Juris naturalis principium cognoſcendi, 179. principia ubi traduntur, 6. ratio in quo contineatur, 168. notitia quinam careant, 261. utilitas, 263. uſus cur a nemine impediendus,

dus, 180
Jus naturæ commune. Definitio, 162
Jus naturæ proprium. Definitio, 162
Jus perfectum. Definitio, 235
Juſtum. Definitio, 240. in quibus actionibus ſpectetur, 241. cuinam obligationi conveniat, 243

L

L*Atinitas pura* cur in terminis technicis non attendatur, 165
Laudanti cur factum alicuum imputetur, 673
Legislator. Definitio, 272
Legislator legum naturæ quinam ſit, 274
Lex. Definitio, 131. ſpecies, 148. quando una vincat alteram, 208. qualis a Deo homini præſcribi potuerit, 282. quod rationem habere debeat, 132. quando eidem conformiter agens peccet, 445
Legem ſervare. Definitio, 138
Legis transgreſſio. Definitio, 139. quod cuſtodiæ ejus contraria ſit, 140
Lex conſcientiæ quænam ſit, 421
Lex divina. Definitio, 149. num poſſit eſſe contraria legi naturæ, 283
Lex humana. Definitio, 149
Lex naturæ. Definitio, 135. quando conſtituta, 136. unde derivetur, 137. qualem inducat obligationem, 141. Num ab ... admittenda, 245. unde dependeat, 146. quomodo differat ab omni lege alia, 146. quando abeat in divinam & humanam, 150. ad quasnam actiones nos obliget, 152. 153. 188. quando eam ſervemus & transgrediamur, 155. quale homini det jus, 158. 159. cur deſtituatur ratione hiſtorica, 181. quando admittat exceptionem, 207. cur vincat poſitivam, 219. num indigeat promulgatione, 257. quando nobis innoteſcat, 259. quomodo nobis innoteſcat, 259. quomodo cognoſcatur, 269. 270. cur ſit lex divina, 276. 277. num nos obliget ad decorum, 283. quod voluntati divinæ conformis, 284. cur ſit lex conſcientiæ, 421. quomodo demonſtrari poſſit, 455. eſt rationi conformis, 456
Legis naturæ amplitudo, 205. auctor, 273. cognitio in atheum cadens qualis ſit, 255. neceſſitas & immutabilitas, 142. notitia a cultura rationis dependens, 260. a conſcientia ſuppoſita, 429. ſumma de iis, ad quæ aliis obligamur, 223. uſus in imputandis actionibus, 598
Legum naturalium colliſio, 206. principium cognoſcendi, 179
Lex naturæ communis. Definitio, 162
Lex naturæ decori quod detur, 204
Lex naturæ derivativa. Definitio, 183. quales habeat rationes, 185
Lex naturæ perfectiva. Definitio, 193
Lex naturæ permiſſiva qualis ſit, 184. quales habeat rationes, 182. quænam ſit ejus ſumma, 169
Lex naturæ præceptiva quo principio contineatur, 167
Lex naturæ primitiva. Definitio, 183. quales habeat rationes, 185
Legis naturæ prohibitivæ ſumma, 168
Lex naturæ propria. Definitio, 162
Lex permiſſiva. Definitio, 165. cur cedat præceptivæ & prohibitivæ, 212
Lex poſitiva. Definitio, 147. quando non obliget, 151. cur promulgatione indigeat, 258. quando obligare incipiat, 258
Lex præceptiva. Definitio, 164. cur cedat prohibitivæ, 210. cur vincat permiſſivam, 211. quænam alteram vincat, 213. 214. cur vincat legem decori, 215
Lex præceptiva decori una quænam alteram vincat, 218
Lex prohibitiva. Definitio, 163. cur præceptivam vincat, 210. cur permiſſivam, 211. cur vincat legem decori, 215. num cum alia prohibitiva collidatur, 212
Lex prohibitiva indecori cur vincat præceptivam decori, 216. num cum alia ſui generis collidatur, 217
Lex prohibitiva poſitiva cur ſanctionem pœnalem requirat, 292
Libertas quomodo influat in actiones per ipſam eſſentiam & naturam hominis rerumque bonas, 125. item malas, 126
Libertas agentis quomodo reſtringatur, 303
Libertatis animæ cognitio mathematica poſſibilis, 608
Libertatis gradus in actionibus deliberatis, 605
Licentiæ vivendi ab atheo aſſertæ abſurditas, 249
Licitum. Definitio. 170

M

M*Ala corporis* cur pœnæ eſſe poſſint, 287
Mala fortunæ cur poſſint eſſe pœnæ, 287
Mala phyſica quem bonis præbeant uſum moralem, 314. ex actionibus hominum neceſſario reſultantia num ſint pœnæ divinæ, 305. ex nexu rerum reſultantia quando ſint pœnæ divinæ, 308. quales ſint pœnæ, 309. quando non ſint, 314
Malitia actionum undenam ſit, 55. qualis ſit earum, ad quas omittendas lex naturæ nos obligat, 153

Malitia

Digitized by Google

Malitia actionum indifferentium undenam ſit, dum malæ fiunt, 123. in ſe malarum undenam ſit, 123
Malitia intrinſeca actionis. Definitio, 59. unde pendeat, 59. unde oriatur, 124. quibusnam actionibus competat, 106. a quo non agnoſcatur, 360
Malum apparens num per ſe averſabile, 151
Malum verum quando tanquam apparens ſpectetur, 76
Mediorum theoria generalis ubi tradatur, 8
Medium quomodo intendatur, 630. cur ſecundum in intentione, 632
Melancholicis num actiones imputentur, 574
Melius quid dicatur, 591
Memoriæ actus quando pro actionibus liberis habendi, 23. 26. quando imputentur, 546. 548
Memoriæ concurſus ad actionis notionem determinatam, 90. ad judicium de actionum bonitate & malitia, 91
Meritum. Definitio, 785. in quo proprie conſiſtat, 785
Metus quando accuſationi conſcientiæ ſuperaccedat, 489
Metus pœnarum cur obſtet rectitudini actionum, 349
Moleſtia innocua. Definitio, 386
Moraliter bonum. Definitio, 244
malum. Definitio, 244
neceſſarium. Definitio, 115
Morſus conſcientiæ. Definitio, 488. quod dentur, 488. cur non metuendi, 491. quod hominem reddant infelicem, 493
Motiva qualia ſint præmia, 296. qualia pœnæ, 287. quando ab attributis divinis, 253. quando a voluntate Dei deſumenda, 341. quænam ſint vitiis dedito, 362
Motus ceſſans quando actio libera, 69
Motus liberi corporis. Definitio, 67. quales ſint actiones, 68

N

N*Aturaliter debitum*. Definitio, 170. num in hypotheſi athei ſubſiſtat, 246
decorum. Definitio, 196. num in hypotheſi athei ſubſiſtat, 246
illicitum. Definitio, 170. num in hypotheſi athei ſubſiſtat, 246
indecorum. Definitio, 196. num in hypotheſi athei ſubſiſtat, 246
licitum. Definitio. 170. num in hypotheſi athei ſubſiſtat, 246
juſtum, & injuſtum num in hypotheſi athei ſubſiſtat, 246
Naturaliter obligari quid ſignificet, 545
Neceſſitas moralis qualis ſit, 116. quomodo vera ab apparente differat, 117
Negligentia. Definitio, 750. quænam ſumma, 754. fundamentum, 756. in quo conſiſtat, 757. num ſit culpa, 758
Negligentis actio qualis ſit, 758
Noctambulorum exempla ſingularia, 572
Noctambulis an actiones imputari queant, 572
Nolitio qualis ſit actio, 13. 38. quando libere ceſſet, 39
Nolitio ceſſans quando imputetur, 561
Non factum culpabile. Definitio, 697
culpoſum. Definitio, 718
doloſum. Definitio, 702
Non diſſuadenti quando factum alienum imputetur, 677
Non impedienti quando factum alienum imputetur, 678
Non prohibenti quando factum alienum imputetur, 675. cur magis imputetur, quam non vetanti, 676
Non vetanti quando factum alienum imputetur, 675
Non uſus facultatum noſtrarum. Definitio, 734
Notio actionis ſufficienter determinata. Definitio, 71. uſus, 71. neceſſitas, 84. requiſita, 746. quemnam uſum facultatum requirat, 90
Notionum diſtinctarum neceſſitas in moralibus, 399

O

O*Bligatio* qualis a lege naturæ veniat, 141. 142. 144. cur ad impoſſibile nulla, 109. quomodo per pœnas obtineatur, 288. quosnam edat effectus, 303. num veri nominis absque voluntate ſuperioris detur, 304. qualis ſit eorum, in quibus naturalis inefficax, 364. quando eidem ſatisfiat, 120
Obligatio ad rectitudinem actionum, 589
erga alios ad quænam ſpectet, 231. quando nulla, 232
ad illuſtrationem gloriæ divinæ, 250
ad non omittenda motiva ab attributis divinis deſumta, 252
Obligatio activa. Definitio, 518
communis hominum ad mutua auxilia, 225
conſcientiæ qualis ſit, 422. 520. quinam eidem ſatisfaciat, 523
divina ad legem naturæ ſervandam, 276. 318
imperfecta. Definitio, 238

naturalis.

naturalis. Definitio, 129. origo, 129. neceſſitas & immutabilitas, 130. auctor, 275. unde dependeat, 146. cuinam legi competat, 154. in quonam quoad actiones permiſſas conſiſtat, 190. vis in animos hominum, 304
naturalis ad id, quod melius, 192. ad decorum, 203
naturalis legis undenam ſit, 143
paſſiva. Definitio, 118. unde oriatur, 119
perfecta. Definitio, 136
poſitiva. Definitio, 290. vis in animis hominum, 304. quomodo introducatur, 292. 299. 300. 301. qualis ſit, 302
vitio dediti ad ſervandam naturæ legem, 363
Oblivio quando actionibus liberis accenſenda, 25. quando imputetur, 547
Occaſio utenti facultatibus noſtris deficiens num ad impotentiam agendi referenda, 738
Officium. Definitio, 224
Officium erga alios. Definitio, 226. quodnam alterum vincat, 230
erga Deum. Definitio, 226. principium, 251
erga ſeipſum. Definitio, 226. cur vincat officium erga alios, 229
naturale. Definitio, 225
poſitivum. Definitio, 227. qua lege contineatur, 227
privativum. Definitio, 227. qua lege contineatur, 227
Omiſſio actionis. Definitio, 24
Omiſſio actuum memoriæ & imaginationis quando libera 26
Omnis culpa quænam dicatur, 717
Operationes intellectus quando actiones liberæ, 32

P

P*Eccatum*. Definitio, 440. cur rationi, 442. & voluntati divinæ contrarium, 443
Peccare velle cur ſit peccatum, 444
Permiſſio. Definitio, 165
Permiſſio tacita legis. Definitio, 166
Per ſe appetibile. Definitio, 94
averſabile. Definitio. 95
bonum. Definitio, 172
debitum: Definitio, 272. quodnam ſit, 178
honeſtum. Definitio, 172. quodnam ſit, 178
inhoneſtum. Definitio, 173
illicitum. Definitio, 173. quodnam ſit, 178
licita quænam ſint, 178
malum. Definitio, 173
turpe. Definitio, 173. quodnam ſit, 178
Phyſice poſſibile num ſit moraliter tale, 264
Philoſophia practica Univerſalis. Definitio, 3. qua methodo tradenda, 4. quænam in ea tradenda, 6. & ſeqq.
Pietas Philoſophica. Definitio, 338. in virtutem omnem influxus, 344
Pœna. Definitio, 285. effectus, 287. vis in obligando, 288. in quo conſiſtat, 286
Pœna naturalis. Definitio, 306. cur inevitabilis, 306. cur ab atheo admittenda, 309. quo fundamento nitatur, 305. cur a virtute abſit, 346
Pœna poſitiva. Definitio, 307
Pœnitentia quando conſcientiam comitetur, 482. 515
Potentia num det jus, 167
Præceptum. Definitio, 164
Præcipienti cur imputetur factum alienum, 656. cur magis, quam jubenti, 656
Præcipitantia in agendo. Definitio, 772. quosnam defectus actionis pariat, 773. num ſit culpa, 774. qualis ſit culpa, 775
Præcipitanter agentis actio qualis ſit, 774
Præmium. Definitio, 295. effectus, 295. quid faciat ad obligationem hominis, 297. qualem obligationem introducat, 298
Præmium divinum. Definitio, 316
naturale. Definitio, 311. cur ſit inevitabile. 311. fundamentum, 310
poſitivum. Definitio, 312
virtutis, 313
Principia heuriſtica veritatum moralium & politicarum ubi tradantur, 11
Principia juris naturæ ubi tradenda, 8
Principium cognoſcendi juris naturalis, 179
Principium officiorum erga Deum, 251
Prohibenti cur magis imputetur factum alienum, quam vetanti, 657
Prohibitio. Definitio, 163
Promulgatio legis. Definitio, 256. cur legis naturæ non neceſſaria, 257. cur poſitivæ neceſſaria, 258
Propoſiti imputatio, 637
Prudentia cur influat in imputationem, 682. 686
Pſychometriæ poſſibilitas, 607. 608
Publicatio legis. Definitio, 256
Pudor quando conſcientiam comitetur, 485

R

R*Atio* legis naturæ magiſtra, 260
Ratiocinium definitivum. Definitio, 82. quale ſit, 83

Rationis uſu deſtitutis cur actiones non imputentur, 566
Ratio legum quem habeat uſum, 133
Ratio legum hiſtorica. Definitio, 134.
cur legum naturalium nulla ſit, 181
moralis. Definitio, 134
legalis. Definitio, 134. quibusnam naturæ legibus conveniat, 185
Rationes legum naturæ quales ſint, 186. ex quo fonte deriventur, 187. quomodo pateſiant, 185
Ratio juris naturalis in quo contineatur, 161
Rebus inanimatis cur non imputentur actiones, 531
Rectitudo actionis. Definitio, 65. lege naturæ præcepta, 189. virtuti conveuit, 334. in hypotheſi athei ſubſiſlit, 348
Rectitudinis actionis defectus vincibilis quandonam ſit, 743. undenam ſit, 744
Rectitudinis actionis defectus invincibilis quandonam ſit, 745
Rectitudo voluntatis unde dependeat, 89
Reticenti quando factum alienum imputetur. 679

S

SAnctio pœnalis. Definitio, 289. uſus, 291. qualem inducat obligationem, 291. ad quamnam legem neceſſaria, 292. quomodo obliget ad actiones committendas, 293. cur legi præceptivæ adjici nequeat, 293. quomodo conſtituatur, 294
Senſationes quando actiones liberæ, 16. quando neceſſariæ, 17. quando imputentur, 542. quando imputari nequeant, 543
Senſuum concurſus ad notionem actionis determinatam, 90
Scientia affectiva. Definitio, 1
practica. Definitio, 2
Scrupuli conſcientiæ. Definitio, 421. effectus, 506. 507. quomodo tollantur, 460. quando non penitus tollantur, 461
Signorum actionum humanarum theoria generalis ubi tradatur, 10
Somnium quando imputetur, 569
Somnus conſcientiæ. Definitio, 499. quando in eum incidamus. 500
Spes præmiorum quando obſtet rectitudini actionum, 349
Spinoſa omnem actionum intrinſecam moralitatem tollit, 267
Summum bonum. Definitio, 374. effectus, 385. quomodo acquiratur, 376. 378. quomodo conſervetur, 379. quomodo amittatur, 380. quo comite utatur, 393. 394
Summum malum. Definitio, 375. quando in idem incidamus, 377
Syllogiſmus definitivus. Definitio, 82
Syſtema de commercio animæ cum corpore cur in philoſophia practica nullius utilitatis, 67

T

TAcens quando conſentiat, 669. quando diſſentiat, 670.
Tædium quando actio legi naturæ conformis comitem habeat, 366.
Tædiorum independentia a voluntate, 14
Tædium innocuum. Definitio, 386
proficuum. Definitio, 386
tranſitorium. Definitio, 387
Theoria generalis actionum humanarum ubi tradatur, 7. mediorum ubi tradatur, 8. ſignorum ubi tradatur, 10. impedimentorum ubi tradatur, 9
Tranquillitas conſcientiæ. Definitio, 505. cauſa, 511. 512.
Tranſgreſſio legis. Definitio, 139
Tranſgreſſionis legis naturalis effectus, 376. 380. 401. 405.
Triſtitia quando edatur actio legi naturæ conformis, 366.

V

VEritatum moralium & politicarum artificia heuriſtica ubi tradantur, 11
Verſutia quænam culpa dicatur, 782
Vetanti cur imputetur factum alienum, 655. cur magis imputetur, quam diſſuadenti. 657
Virtute prædius cur obligationi naturali ſatisfaciat, 333. quid in agendo obſervet, 334. cur decoro ſtudeat, 335. cur legi naturæ conformiter dirigat actiones, 336. quibus utatur motivis, 337. cur voluntati divinæ ſatisfacere ſtudeat, 342. cur in agendo liber, 345. cur virtutem amet, 351. cur eam perficere ſtudeat, 352. cur legem naturæ ſervet, 357. cur vitium oderit, 368
Virtus. Definitio, 325. ſigna, 348. 368. quomodo acquiratur, 323. conſervetur, 324. perficiatur, 324. amittatur, 326. 327. quales ſibi conformes agnoſcat actiones, 330. quomodo actiones determinet, 331. cur excludat metum pœnarum, 346. cur ſibimetipſi præmium, 353. quam habeat comitem, 400
Virtus chriſtiana. Definitio, 340
philoſophica. Definitio, 338
theologica. Definitio, 340
Vitioſus quales actiones committat, 354. 356. quomodo eaſdem determinet, 355. cur legem naturæ transgrediatur, 357.

cur

cur actiones edat contrarias, 358. quomodo dijudicet actiones liberas, 359. unde bonitatem & malitiam actionum æſtimet, 361. quibus motivis utatur, 362. quomodo obligetur ad naturæ legem ſervandam, 363. cur non cum gaudio agat, quod legi naturæ conforme, 365. quando actionem legi naturæ conformem committat abſque metu pœnæ, 367. cur beatus eſſe nequeat, 382. cur felix eſſe nequeat, 403

Vitium. Definitio, 322. effectus, 404. ſignum, 366. comes, 406. quomodo legi naturæ contrarietur, 356. quomodo acquiratur, 323. 326. conſervetur & augeatur, 325. amittatur, 327

Vita quando ad voluntatem Dei componatur, 279. 280

Vivere naturæ convenienter cur ſit vivere ſecundum voluntatem Dei, 280

Vivere ſecundum rationem cur ſit vivere ſecundum voluntatem Dei, 280

Volitiones quales ſint actiones, 13

Volitio directa. Definitio, 623

indirecta. Definitio, 623. num ſit vera volitio, 624

Voluptas quando degeneret in tædium, 383. quando pariat tædium, 383. cur a voluntate non dependeat, 14.

Voluptas felicis qualis ſit, 390

Voluptas innocua. Definitio, 384

nocua. Definitio. 383

tranſitoria. Definitio, 385

vera qualis ſit, 388. quando tædium non pariat & parere videatur, 389. quod ſummi boni comes ſit, 393

Voluntas qualis ſit in virtute, 328. qualis in vitio, 329

Voluntas Dei quomodo ſit motivum actionum, 341. num ſit principium juris naturalis, 284

Voluntatis determinatio ab intellectu dependens, 88

Uſus facultatum animæ & organorum corporis quando in finem abeant, 45. cur ſint fines a Deo intenti, 46

Utile. Definitio, 262

Utilitas. Definitio, 262. cur non ſit ratio ſufficiens juris. 265

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. F. Lauro M. Piccinelli* Inquiſitore di *Verona*, nel libro intitolato: *Philoſophia Practica Univerſalis, Pars Prior Auctore Chriſtiano Wolfio Francofurti* 1738., non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, e buoni Coſtumi; concediamo Licenza a *Dionigio Ramanzini* Librajo, e Stampatore in *Verona*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 21. Decembre 1738.

(Z. Franceſco Moroſini Cav. Rif.
(
(Daniel Bragadin Cav. Proc. Rif.

Agoſtino Gadaldini Segretario.

AØ1
1454110

Digitized by Google

Errata	ita Corrigenda
§.191. lin.2. perficis	perficit
419. in lem. vera	recta
480. *not*. l.16. ſecundum	contra
508. *not*. l.2. acccuſarione	accuſatione
582. *not*. l.1. pτæſentem	præſentem
589. l. 15. volontaria	voluntaria

Errata	ita Corrigenda
§.650. l.10. bon malique	boni malique
655. in lem. vetarur	vetatur
656. *not*. l.7. quoqne	quoque
665. *not*. l.4. pto	pro
717. *not*. l.6. immutati :	immutari:
742. l.3. ptæſertim	præſertim

AO1
145h40

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XLIV
27